Skoropacki

D. IO. GEORGII ROSENMÜLLERI

SCHOLIA

IN

NOVVM TESTAMENTVM.

TOMVS I.

CONTINENS

EVANGELIA MATTHAEI ET MARCI.

EDITIO TERTIA

AVCTIOR ET EMENDATIOR.

NORIMBERGAE,

IN OFFICINA FELSECKERIANA.

MDCCLXXXVIII.

PRAEFATIO.

Quamuis librorum, qui ad illuſtrandas Sacras Scripturas V. et N. Teſtamenti faciunt, hodie nulla ſit inopia, pauciſſimi tamen ita ſunt comparati, ut Sacrarum Litterarum Studioſis, praelectiones exegeticas cum fructu audire cupientibus, commode inſerviant. Verſiones enim et paraphraſes, magna copia in lucem prodeuntes, praeparationi et repetitioni minus eſſe accommodatas et aptas, concedent omnes,

qui ſciunt, nonniſi per uerborum exploratam ſignificationem, et orationis perſpectam compoſitionem, uiam ad ſolidam et accuratam aperiri interpretationem. Quod autem alia adiumenta ſolidioris exegeſeos attinet, ſunt ea uel ignota multis, uel maioris pretii, quam ut a multis poſſint comparari. Vt igitur commodis Academicae iuuentutis, praeſertim uero Auditorum meorum honoratiſſimorum in hac parte conſulerem, ad conſcribenda Scholia in N. T. quorum Tomum primum iam exhibeo, animum appuli. Selegi nimirum ex annotatis uberioribus *Eraſmi, Bezae, Camerarii, Heinſii, Druſii, Grotii, Lightfooti, Bengelii, Wetſtenii, Moldenhavveri* et eorum, qui obſeruationes ſcripſerunt, praecipue *Krebſii, Loesneri,* aliorumque, ea quae mihi uiderentur optima, Auctorum uerbis uel retentis, uel in compendium redactis. Quanquam autem plurima debeo aliis, deprehendent tamen Viri eruditi, me haud raro ueteres in-

terpre-

terpretationes nouis confirmare rationibus, uel etiam meum ſequi ſenſum. Quodſi inſtitutum meum probari Viris doctis intellexero, hunc tomum excipient tres alii, quibus totum corpuſculum Scholiorum in omnes Noui Teſtamenti libros comprehendetur. Quanquam uero haec Scholia non doctoribus ſcripta, ſed diſcipulis deſtinata ſunt, forſan tamen exercitatioribus, et in interpretatione Sacrae Scripturae multum uerſatis, haud iniucundum erit, in promtu habere breues annotationes, quas ſubinde nouis obſeruationibus, uel ex lectione, uel propria meditatione augere poſſint. Quare Bibliopola, uir honeſtiſſimus, rogatu meo exemplaria nonnulla maiori forma, et cum ſpatioſiore margine typis exprimi curauit, quo illi quibus uolupe eſſet, obſeruationes inter legendum ortas, commodius poſſent adſcribere. Faxit Deus, ut per hanc operam meam quamplurimis Theologiae Cul-

toribus legitimum ac liberale Sacrarum litterarum ſtudium, ad maiorem Summi numinis gloriam, et uberrimum eccleſiae emolumentum incendatur. Scripſi Erlangae d. XXVIII. Auguſti, MDCCLXXVII.

PRAE-

PRAEFATIO
AD EDITIONEM TERTIAM.

Quum Scholiorum meorum in N. T. editio ſecunda uix typis exſcripta prodiiſſet, ecce Librarius parare ſe nouam Tomi primi editionem litteris mihi ſignificauit, meque rogauit, ut ad eam ornandam locupletandamue, ſi aliquid haberem, id conferrem. Feci igitur quod inter cetera negotia et officia muneris uitaeque facere potui. Praeter eos, quos in praefatione editionis primae nominaueram interpretes, alios etiam haud paucos, qui noſtra aetate de interpretatione N. T. optime merentur, conſului; nec tamen in iis conſulendis acquieſcendum, ſed etiam ſententias eorum, inprimis in explicandis locis obſcurioribus, examinandas, et in-

 terdum

terdum ab iis modeste discedendum esse putaui. Atque sic, ut dies diem docet, pleraque mea castigaui; quae emendanda erant, emendaui, addidique non pauca, quae ad eruendum sensum uerborum et illustrandas res facere uidebantur. Hoc ita esse, facile qui uolunt, cognoscent, si perlustrauerint emendationes et supplementa ad Tomum primum, quae proxime seorsim typis exscripta prodibunt, atque secundae editionis possessoribus uenalia prostabunt.

Quod superest, hanc meam operam nec improbatam Viris doctis, nec inutilem fuisse litterarum sacrarum studiosis, impense laetor, Deumque T. O. M. supplex oro, ut eam rei christianae publicae porro salutarem esse iubeat. Dabam Lipsiae, d. 30. mensis Augusti, MDCCLXXXVIII.

SCHO-

Ἡ καινὴ διαθήκη) Hebraei et Pentateuchum peculiariter, et communiter omnes libros ad ſacrum codicem pertinentes תורה ſiue νόμον appellarunt. Sed ueteres Chriſtiani eum librum, in quo doctrina chriſtiana eiusdemque uetuſtiſſima hiſtoria continetur, maluerunt καινὴν διαθήκην appellare. In quo ſine dubio reſpexerunt ad ipſa Chriſti uerba, qui *nouam religionis formam* morte ſua ſanciturus, eam nouum ברית, τὴν καινὴν διαθήκην nominauit Matth. XXVI, 28. Vox ברית, quam LXX. interpretes, Helleniſtae, atque inter eos uiri ſancti, qui Euangelia atque epiſtolas ſcripſerunt, διαθήκην interpretati ſunt, denotat et *promiſſiones diuinas*, et conuentiones mutuas, ſiue *foedera, pacta.* Significat autem διαθήκη interdum etiam *religionis formam*, uel *oeconomiam diuinam;* propter promiſſiones diuinas ſub conditione fidei et obſequii nobis datas. Latine itaque hunc librum nec *Nouum Teſtamentum*, nec *Nouum foedus* appellauerim, ſed potius *nouam religionis formam*, uel *nouam oeconomiam diuinam*, germ. *die neue Religionsverfaſſung, die neue Religion.* Eo ſenſu *Vetus* ipſi ſaepe opponitur. Ita ſecundum Paulum Apoſtolum ſunt δύο Διαθῆκαι, i. e. *Oeconomiae diuinae*, uel *religionis formae* Gal. IV, 24. atque ut *illam Moſaicam* παλαιὰν διαθήκην, ita hanc *chriſtianam* καινὴν uocat idem ille Apoſtolus 2 Cor. III, 14. 6. In Epiſtola ad Hebraeos illam uocat πρώτην, hanc modo καινὴν

modo νέαν, quin et κρείττονα, itemque αἰώνιον. Discrimen *Mosaicae* et *Christianae Oeconomiae* inter alia in eo est positum, quod illa *foederis* tantum, haec et *foederis* et *testamenti* rationem habeat, quod prolixe ostenditur Hebr. IX, 11 - 21. Hinc patet, quo sensu sit accipienda uox διαθήκης, libris sacris cum additamento παλαιὰ, uel καινὴ, tituli loco praefixa.

DE QUATUOR EVANGELIIS,
ET IN SPECIE
DE EVANGELIO MATTHAEI.

Εὐαγγέλιον) Etiam ap. Profanos occurrit, et proprie significat *nuncium laetum.* Est autem nomen, unde hoc denominatur εὐάγγελος, et in Phoenissis Euripidis εὐάγγελος φήμη. Vocem בשר εὐαγγελίζεσθαι late satis patentem, de doctrina Christi usurpauerat Iesaias LII, 7. cf. Rom. X, 15. Proprie ac primario Euangelium dicitur, κήρυγμα illud, a Ioanne Baptista inchoatum (Luc. III, 18.) a Christo uero tum per se, tum per Apostolos consummatum, de regno Messiae deque parta remissione peccatorum. Hinc Ioannis quasi prima uox fuit: *Adest regnum Messiae* Matth. III, 2. Et *Christus* ab eadem illa uoce incipit Matth. IV, 17. Marc. I, 15. Quia uero ad explicandam, illustrandam, et confirmandam doctrinam a Christo annunciatam pertinent omnes eius κηρύγματος circumstantiae: ideo ipsa quoque Historia accepit Euangelii nomen. Ἐυαγγέλιον itaque h. l. est *historica expositio uitae rerumque Iesu Christi.* Quod tamen non ita est intelligendum, quasi unusquisque Euangelistarum totam historiam Christi descripserit ordine chronologico. Quisque eorum recenset potius memorabilia tantum uitae Iesu, prout utilitas

utilitas lectorum, quibus Euangelium ſuum proxime deſtinauerat, requirere uidebatur. Quare oleum et operam perdunt, qui aliam Euangeliſtarum Harmoniam concinnare uolunt, praeter eam, quae circa ipſam narrationum hiſtoricam fidem uerſatur. De Euangeliis Apocryphis, ueritatem religionis chriſtianae non labefactantibus, ſed confirmantibus, legi meretur *Iſaaci Belloſobrii* diatribe, germanice uerſa *in Beytraegen zur Befoerderung theologiſcher Kenntniſſe* etc. a *Io. Andr. Cramero* editis. Kiloni et Hamburgi 1777. P. 1. pag. 249. ſqq. Quatuor, nec plura Euangelia Sec. II. in eccleſia fuiſſe recepta, docet nos *Irenaeus* adu. Gnoſt. L. III, c. II. ex quo loco etiam diſcimus, unde factum, ut Matthaeo hominis, Marco leonis, Lucae uituli, *Ioanni* aquilae adponeretur forma, nempe propter cherubim quatriformia Ezech. I, 10. quia τετραπροσωπα, και τα προσωπα αυτων εικονες της πραγματειας τȣ υιȣ τȣ Θεȣ, qua manifeſtauit ſe ut hominem, regem, ſacerdotem et filium Dei. De ordine et numero Euangeliorum uid. *Euſeb.* Hiſt. eccleſ L. III, c. 24. De fide hiſtorica Euangeliſtarum prolixum opus habemus *Nathan. Lardneri,* Angli. Adde, quae breuiter quidem, ſed optime monuerunt: *Io. Tobler, in Gedanken u. Antworten zur Ehre I. Ch. u. ſeines Reichs.* p. 119. ſeqq. et *Herder,* V. S. V. *in den Briefen das Studium der Theologie betreffend,* epiſt. 14. et ſequentibus. Commendandus etiam tironibus, qui hiſtoriam euangelicam bene illuſtrauit, *Heſſius,* Turicenſis, qui ſcripſit: *Geſchichte der drey lezten Lebensiahre Ieſu etc. et: ueber die Lehren, Thaten und Schickſale unſers Herrn;* ut alios taceam. Ceterum Iuſtinus M. etiam ἀπομνημονευματα libros N. T. uocat, qua uoce *Xenophon* eos libros inſcripſerat, quibus praeci-

pua dicta factaque Socratis annotarat, ſi tamen Euangelia noſtra habuit *Iuſtinus*, quod negat *Fr. And. Strothius*, Vir Cel. haud contemnendis rationibus probans, uſum eſſe Iuſtinum eo, quod non tantum Nazaraeis et Ebionaeis, ſed et omnibus primae aetatis Chriſtianis Palaeſtinenſibus in uſu fuiſſe uidetur, *Euangelio ſecundum Hebraeos.* Vid. *Repertorium litteraturae biblicae et orientalis.* Tom. I. p. 1. ſeqq. Κατὰ Ματθαῖον, *prout edidit ſcripſitque Matthaeus.* Sic Patres Graeci, quando uetus Teſtamentum eiusque uarias Verſiones citant, ſolent dicere κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα, κατὰ Ἀκύλαν, κατὰ Σύμμαχον. (Eſt igitur κατὰ Ματθαῖον pro τοῦ Ματθαίου, nam κατὰ ſaepe indicat Genitiuum. *Sch.*) Vnde patet ignorantia linguae graecae lapſum eſſe *Fauſtum*, *Manichaeum*, qui (teſte *Auguſtino* c. Fauſtum L. XVII, 2. XXVII, 2. XXXIII, 3.) ex titulis Euangeliorum confici poſſe putauit, non eſſe ea ab ipſis, quorum nomina gerunt, Euangeliſtis conſcripta, ſed ab aliis, qui ſe ſecundum eos ſcripſiſſe profiterentur. Matthaeum ſcripſiſſe Hebraice, hoc eſt Syriace ſiue Chaldaice, Patres eccleſiae perhibent, et recentiorum nonnulli ſtatuunt. *Euſeb.* H. E. L. III, c. 39. *Ill. Michaelis Einleitung in die goettl. Schriften des N. B.* §. 127. ſeqq. Sed Patres hic non tam teſtimonium dicunt, quam potius coniecturam ſuam in medium proferunt; putant enim neceſſe fuiſſe, ut Matthaeus, *in gratiam credentium ex Iudaeis in Palaeſtina* Euangelium ſuum ſcribens, Hebraice ſcriberet. Sed conſtat, eo tempore linguam graecam per totum imperium Romanum, et in Iudaea praeſertim, in uſu fuiſſe. Ceterum, Matthaeum *in gratiam credentium ex Iudaeis in Palaeſtina* Euangelium ſuum ſcripſiſſe, et quidem, ut Veteres tradunt, *Hieroſolymis,*

mis, *octauo post ascensionem Christi anno*, qui Claudii Imperatoris primus fuit, magno consensu perhibent Patres ecclesiae. Hoc etiam res ipsa docere uidetur. Multas enim Matthaeus de Iudaeorum superstitionibus refert disputationes, quibus apud alias nationes, uel templo iam euerso uel paulo post euertendo, locus uix fuisset; totus in eo est, ut animos credentium obfirmet, nondum credentium autem animos non irritet magis, quin potius scrupulos ex Christi humilitate, paupertate et morte ignominiosa illis iniectos euellat. Quae etiam caussa fuisse uidetur, cur tam multa V. T. loca ad testimonium citaret, ut recte *Wetstenius* obseruauit. Genuinum esse Euangelium Matthaei, docet inter alios *Eusebius*, H. E. L. III, c. 25. VI, 25. Ex uulgari sententia ratio, cur *Matthaeus* primum in ordine Euangelistarum occupet locum, haec est, quod primus omnium scripserit. Nititur haec sententia Veterum testimoniis. Aliis tamen, recentioribus nempe nonnullis, aut Ioannes, aut Marcus primus scripsisse uidetur. Vide inprimis S. V. *D. Gottlobii Christiani Storrii* Theologi Tubingensis librum, cui titulus: *Ueber den Zweck der Evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis.* (Tub. 1786. 8.) §. 62. sqq. *Marcum* omnium primum scripsisse rationibus haud contemnendis euincere studet Vir doctus. De tempore, quo Matthaeus Euangelium suum scripserit et aliis huc pertinentibus cf. Michaelis lib. cit. §. 126.

CONSPECTUS
TOTIUS EVANGELII MATTHAEI.

Quatuor partibus constat hoc Euangelium:

I. De infantia Iesu. c. I. II.

II. De dictis et factis Ioannis et Christi praeparatoriis ad munus Christi publicum, mox suscipiendum. c. III — IV, 1 - 11.

III. De dictis et rebus gestis Christi in Galilaea, quibus se esse Messiam demonstrauit. c. IV, 12. — XVIII, 35.

1) res gestae Iesu ipsae narrantur uariae. c. IV, 12. — XI, 1.

2) quomodo excepta sint dicta et facta Iesu a uarii generis hominibus, uel quid effectum sit sermonibus et miraculis eius, refertur c. XI, 2. — XVI, 12.

3) de dictis et factis Iesu proxime ad discipulos eius et futuros Apostolos spectantibus, c. XVI, 13. — XX, 16.

III. Vltima fata Christi. c. XX, 17. — XXVIII, 20.

CAP. I.

Duo priora Capita non esse Matthaei, sed addita ab eo, qui Euangelium ex hebr. in graecum transtulerit, multis probare uoluit *Io. Williams*, Anglus, refutatus a *Velthusenio*. Sublestae fidei esse haec duo capita, et alia nonnulla loca huius Euangelii, contendit etiam *Anonymus*, Repertor. Tom. IX. *de interpolationibus in Euangelio Matthaei*. Potiora argumenta pro hac sententia sunt fere ista: Desunt haec capita in eo, quo usi sunt *Ebionaei*, Euangelio hebraico, cuius initium erat: ἐγενετο ἐν ταις ἡμεραις Ἡρωδȣ βασιλεως της Ἰȣδαίας κ. τ. λ. Matth. III. *Epiphan.* Haeres. XXX. Itaque nec genealogia Christi, qua pro sua de Christo sententia speciose abuti potuissent, in Ebionaeorum exemplari-

emplaribus extitit. Defuerunt in Euangelio *Tatiani*, et fortaſſis in eo etiam codice Euangelii Nazaraeorum, quem *Hieronymus* habuit. Ipſa uerba βιβλος γενεσεως Ἰησȣ κ. τ. λ. titulum innuere uidentur peculiaris cuiusdam libelli: ספר תולדות ישוע ſupplementi inſtar praefixi nonnullis Matthaei exemplaribus. Equidem ſententiam hanc ſine impietatis nota poſſe defendi, lubens fateor. Sed teſtimonium Ebionaeorum aliorumque ab Orthodoxis diſſentientium non auſim auctoritati uetuſtiſſimorum Patrum et uerſionis Syriacae praeferre.

1. Βίβλος γενέσεως Ἰησȣ͂) i. e. *Genealogia Ieſu*, ſiue ſeries perſonarum generatarum, a quibus originem trahit Ieſus. Eſt igitur titulus non totius Euangelii, ſed tantum Genealogiae a commate 2. ad 16. Βίβλος *catalogus*, Phil. IV, 3. Gen. V, 1. h. l. *deſcriptio*, Gen. II, 4. LXX. ἡ βίβλος γενέσεως ȣ̓ρανȣ͂ καὶ γῆς. Γένεσις, *ortus*, *familia*, Exod. VI, 24. Num. I, 18. Hebr. ספר תולדות *Genealogia*. Gen. V, 1. et al. loc. LXX. habent βίβλος γενέσεως. Syrus: deſcriptio generationis Ieſu. Χριςȣ͂ υἱȣ͂ Δαβὶδ) Quam uulgata fuerit appellatio *Meſſiae filii Dauidis*, ex ſcriptis Iudaeorum et libris N. T. patet. Χριςὸς, משיח, rex; κατ᾽ ἐξοχὴν maximus ex Dauidica ſtirpe rex, cuius regnum ſpirituale, aeternum, ſuper omnes gentes ſe extendit. Vid. infra not. ad c. II, 4. Vox υἱȣ͂ h. l. ſenſu latiori ſumitur, ſicuti Hebraeorum בן etiam de nepote, abnepote, omnibusque, qui ab aliquo genus ducunt, uſurpari ſolet. υἱȣ͂ Ἀβραὰμ) Hoc de Dauide dicitur; ſolet enim uox filii ad nomen proxime praecedens iungi, ut Zach. I, 1. Luc. III, 23. ſqq. Ab his Chriſtus ortus.

8. Ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ὀζίαν) In libris Regum et Chronicorum haec deprehenditur ſeries genealogica: *Ioram, Ochozias, Ioas, Amaſias, Ozias.* Conſilium Matthaei non fuiſſe uidetur, ut ſingulas perſonas enumeraret: cum enim ipſi unice propoſitum fuiſſet, oſtendere, Ieſum ex regia proſapia ortum; obtinere illud potuit etiam non omnibus perſonis enumeratis. Nec obſtat uerbum ἐγέννησεν, quod etiam nepos ab auo, imo pronepos a proauo generatus dici poſſit. Omiſit autem quasdam perſonas ſecundae et tertiae claſſis, ut τῶν δεκατεσσάρων numerum per omnes claſſes retineret.

11. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε etc.) Inſerunt quidam: τὸν Ἰωακείμ. Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε; contra auctoritatem ueterum Codicum, Verſionum et Patrum. Ioſias genuit Iechoniam mediata generatione. cf. *Bowyer Coniecturen über das* N. T. ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος) Μετοικεσία τοῖς ὁ eſt translatio populi Iudaici ex patria in Babyloniam, quam Hebraei captiuitatem appellare ſolent. Sic ὁδὸς Αἰγύπτου, uia in Aegyptum Ier. II, 18. ἐπί ſub, circa, hebr. אל.

12. Ζοροβάβελ) Forſan diuerſus ab eo, cuius fit mentio 1. Chron. III, 17-19.

16. Τὸν ἄνδρα) Maritum atque uxorem etiam ex ſponſalibus dici, non Hebraeorum tantum, ſed et aliarum gentium inſtitutis conuenit. ἐγεννήθη) γεννᾷν Graecis et de patre et de matre dicitur.

17. Αἱ γενεαὶ) γενεὰ, *aetas*, דור. *Ioſephus* Antiquitt. L. VII, c. 6. ἐπὶ τέσσαρας γενεὰς *in quartam usque ſtirpem.* Dionyſius Halicarn. tot γενεὰς numerat, quot erant ſucceſ-

ſiones

ſiones regum. *Herodoto* paulo plus annis XXX, cum tres γενεὰς complere dicat annos centum. Non caret difficultatibus haec genealogia, praeſertim cum ea, quam Lucas habet, comparata. Sed difficultates non quidem plane tolluntur, minuuntur tamen, ſi, quod ueriſimile eſt, ſtatuamus, eam, quam *Matthaeus* habet genealogiam, eſſe Ioſephi, quam Lucas, Mariae. A Matthaeo recenſeri genealogiam Ioſephi, a Salomone ducentis genus, patet ex comm. 16. coll. 6. 7. Mariam uero genus duxiſſe ab alio filio Dauidis, *Nathane*, (cuius nomen extat etiam I Chron. III, 5.) diſcimus ex Luc. III, 31. Matthaeus Ioſephi genealogiam recenſere uoluit, quia ſcripſit Euangelium ſuum in gratiam Iudaeorum, paucis annis poſt aſcenſionem Domini. Cum nempe multi Ioſephum Ieſu genitorem putarent: conſtare debuit illis de ortu Ioſephi ex Dauide. Accedit, quod Canones Hebraeorum non ſolent in generationibus ordinem mulierum texere. Eſt tamen nonniſi ſecundaria Ioſephi apud Matthaeum genealogia, ad tempus adhibita, dum omnibus innoteſceret, Ieſum eſſe Mariae, non etiam Ioſephi (niſi per adoptionem) filium. Primaria Mariae, apud Lucam, eſt genealogia. Et optimo quidem iure Maria genealogiam ingreditur, quia, quicquid ex humana, Dauidica ſtirpe traxit Ieſus, id totum ex matre traxit. Ceterum Matthaeus et Lucas genealogiam ex tabulis publicis facile repetere poterant; nec aduerſarii quicquam exceperunt, cum Ieſus filius Dauidis uocaretur. Cf. S. V. *Velthuſenii* libellum egregie ſcriptum: *Sophienruhe oder die Landpfarre*, etc. Hamb. et Kil. 1783. 8.

18. γέννησις) al. leg. γένεσις. Γέννησις de eo dicitur, qui natus ſeu genitus eſt; γένεσις generaliorem *originis* habet ſignificationem. γὰρ) h. l. explanandi ſignificationem ha-

 bet;

bet; *nempe*, *ſcilicet*, *nimirum*. Solent Graeci narrationem alicuius rei exordiri, particula γὰρ addita. Exempla habet *Krebſius* ex Ioſepho. συνελθεῖν) conuenire cf. u. 20. Antequam ipſam ſolenni nuptiarum ritu domum deduxiſſet conſortemque tori feciſſet. Vtrumque enim, ubi de matrimonio ſermo eſt, ex natura rei intelligitur. 1 Cor. VII, 5. Non uidetur perpetuum fuiſſe, ut a ſponſalium die ſponſa in ſponſi domum tranſiret. Deut. XX, 7. εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα) ſc. foetum i. e. *grauida erat*. Ἑυρεθῆναι idem eſt ac εἶναι, e. g. Luc. XVII, 18. 1 Pet. II, 22. ἐκ πνεύματος ἁγίου) Solet Scriptura S. omnia miracula ad Spiritum S. referre Matth. XII, 38. Το ἐκ h. l. uim generatricem notat, ut Hebr. VII, 5. ἐκ τῆς ὀσφύος. Cf. infra u. 20.

19. Δίκαιος) *pius*, *aequus*, *uir bonus*. Volebat eam repudiare, quam ex alio uiro grauidam eſſe ſuſpicabatur: ſed ab omnibus, quae famae et exiſtimationi Mariae nocere poterant, conſulto abſtinuit. μὴ θέλων ἀυτὴν παραδειγματίσαι) nolens illam diffamare, dehoneſtare, oſtentui habere, nec illi malam famam conciliare, quae uis eſt uocis παραδειγματίζειν. Haec ſuadebat Ioſepho et lenitas, et cura exiſtimationis propriae, et amor. λάθρα ἀπολῦσαι) clam repudiare, i. e. non adiecta repudii cauſa. Poſtquam nempe Ioſephus conſilium cepiſſet Mariam dimittendi, non poterat id quidem facere niſi libello repudii ſcripto, teſtibus adhibitis, et iisdem, quibus ſponſalia contracta erant, ſolemnibus ſeruatis: at in ipſius erat arbitrio, utrum uellet cauſſas, quae ipſum, ut ita ageret, permouerant, exponere an tacere, ut patet ex locis Rabbinorum a *Wetſtenio* laudatis. Omnibus igitur rite perpenſis, ſtatuit Ioſephus Mariam *clam* repudiare, i. e. non adiecta repudii cauſſa.

20. Ἐνθυ-

20. ἐνθυμηθέντος) i. e. ἐννοήσαντος, quum apud ſe conſtituiſſet, ſeruata aoriſti ſignificatione. Ἰδοὺ) Hebraeis הִנֵּה, qua particula ſingulis paene uerſibus utuntur. Interdum tamen haec ipſius uis eſt, ut lectorem praeparet ad aliquid inſigne et mirificum audiendum. Apud Profanos etiam τὸ *ecce* repentinum quid et improuiſum denotat. Virgil. Aen. II, 270. „*In ſomnis ecce* ante oculos moeſtiſſimus Hector uiſus adeſſe mihi.„ ἄγγελος — ἐφάνη αὐτῷ) Viſa quaedam dormientibus a Deo obiici, conſtanter ab omnibus creditum eſt. *Homer.* Iliad. α. 63. καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. *Ariſtotelis*, *Iſocratis* et *Suetonii* loca Wetſtenius ad h. l. laudat. Ceterum quod Ioſephum et Mariam attinet, inciderat hic dignus uindice nodus, qui expediri non poterat aliter, niſi ſi Deus ἀπὸ μηχανῆς intereſſet. Conſilium enim quod Ioſephus ceperat, erat illud quidem prudentiſſimum; at uero ſi id executus fuiſſet, omnium contumeliis expoſita fuiſſet innocens et ſancta uirgo. Ne igitur iniuria fieret uirgini, Deus prouidentia ſua effecit, ut conſilium ſuum mutaret Ioſephus. Dicitur autem *angelus Iehouae* ei apparuiſſe. Vbi notandum, angelorum nomine in ſacris litteris haud raro uenire omne id, quo Deus utitur ad uoluntatem ſuam exſequendam, ſiue ſit naturale ſiue praeternaturale, dummodo ex improuiſo ita euenerit. Sic peſtem (2 Sam. XXIV, 15. ſqq. Pſ. LXXVIII, 49. coll. Exod. XII, 12. 13) et morbos (Act. XII, 23.) angelus Iehouae immiſiſſe dicitur. Sic etiam uenti et fulgura nominantur angeli Domini. Pſ. CIV, 4. Inprimis uero omnes euentus improuiſi, quibus pii atque Deo cari homines iuuantur, tribuuntur angelis, ut 2 Reg. XIX, 35. Pſ. XXXIV, 8. XCI, 11. 12. Quum igitur *angelus* Ioſepho

fepho per quietem apparuiffe dicitur, hoc fignificatur, non fine prouidentia diuina fingulari factum effe, ut is per fomnium ad mutandum confilium de deferenda uirgine commoueretur. Qualis autem fuerit fpecies uel figura oblata Iofepho per quietem, an humana, an uero alia, id quidem tacente hiftoria nemo facile definire aufit. Ὑιὸς) pro ὑιὲ, faepius. Παραλαβεῖν) *Feminam fibi adiungere, in domum illam deducere;* opponitur ergo uoci ἀπολῦσαι, et faciendum ipfius focietatis coniugalis initium innuit. Maria, fponfa Iofephi hic dicitur γυνὴ, *uxor*, e more Iudaeorum, apud quos fponfa eodem cum uxoribus loco habebatur. Sic Gen. XXIX. 21. *da mihi uxorem meam*, i. e. fponfam mihi pactam. Τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθέν) Vulgaris loquendi modus de foetu nondum in lucem edito, quia ignoratur utrum fit mas, an foemina. Ceterum uerte, Aorifto per praefens expreffo: *quod in illa gignitur.* Γεννάειν, *gignere*, mulieribus tribuitur, dum foetum concipiunt, et in utero ad maturitatem usque enutriunt. ἐκ πνεύματός ἐςιν ἁγίȣ) *Hoc totum debetur omnipotentiae diuinae.* Deus pro fua omnipotentia progenuit hunc foetum. Nam πνεῦμα ἅγιον, πνεῦμα θεȣ̃, רוח יהוה, in facris litteris V. et N. T. haud raro indicat *uim poteftatemque diuinam*, e. g. Matth. XII, 28. coll. Luc. XI, 20. et Spiritus Iehouae fuper aliquem uenire dicitur, quando uis diuina in eo operatur. Huius ufus loquendi habemus multa exempla in libro Iudicum et Actis Apoftolorum. Potuiffe autem Deum efficere, ut uirgo δίχα κοινωνίας ἀνδρὸς conciperet, nemo facile negauerit, qui credit primum hominem fine patre et matre natum, omnesque mortuos in uitam redituros effe. De *Celfi* et Iudaeorum calumniis

calumniis uix eſt cur dicamus. Legat qui uult *ORIG. contra Celſum* Lib. I. p. 25. ſqq. edit. Spenceri, et ספר תולדות ישו in *IO. CHRISTOPHORI WAGENSEILII* libro, cui titulus: *Tela ignea Satanae, h. e. arcani et horribiles Iudaeorum aduerſus Chriſtum Deum et chriſtianam religionem Libri* ἀνέκδοτοι. etc. Altdorfii MDCLXXXI. 4.

21. καὶ καλέσεις — Ἰησοῦν) Sic uocari aequum fuit eum, qui populum ſuum a maximo periculo liberatum ad uitae aeternae felicitatem perducere debebat. Eodem nomine et alii homines appellabantur, et in V. et in N. T. Hebraice ſcribitur in *lege* et in *Prophetis* יהושע, et deriuatur a uerbo ישע, in Kal inuſitato, in Hiphil הושיע *ſeruauit*, *ſaluauit*, et nomine יהוה. In Hagiographis autem ſcribitur contracte ישוע, quod *Graeci interpretes*, *Siracides*, *Ioſephus et Philo* uertunt Ἰησοῦν. Significat itaque Ἰησοῦς ſeruatorem, eum, qui ſalutem confert. In Ieſu noſtro nomen erat ominoſum; quia eſt *Seruator* hominum. Quare ſtatim additur: αὐτὸς γὰρ σώσει — — ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Dicitur σώζειν *ſeruare*, is, qui ab interitu liberat et ſalutem affert. Ieſus noſter liberat a *peccatis*, quae ſunt periculis plena, et hominem malis grauiſſimis reddunt obnoxium. Eſt autem σωτηρία quam Ieſus nobis offert, remiſſio peccatorum, emendatio uitae, tranquillitas animi, ſpes uitae aeternae, et ipſa aeterna felicitas. Per λαὸν αὐτοῦ Ioſephus non alium populum intelligere potuit quam nationem Iudaicam. Eo enim tempore nec angelorum nec hominum cuiquam innotuerat beneficium Chriſti aeque ad gentes et ad Iudaeos ſpectare.

22. ἵνα πληρωθῇ) Nulla quidem nos cogit neceſſitas, ut ſtatuamus, ſcriptores N. T. omnia, quae ex Vetere citant, loca, pro totidem de Chriſto uaticiniis habuiſſe. Nihil enim impedit, quo minus alterius ſcriptoris uerba quaedam mea faciam, iisque, eodem ordine poſitis, animi mei ſenſa exprimam, quibus ille alia occaſione ſui animi ſenſa expreſſit. Pleni ſunt omnes Philoſophorum Rhetorumque libri uerſibus Homericis ad aliam ſignificationem translatis. Nec obſtat formula ἵνα πληρωθῇ, quae etiam improprie accipi ſolet, e. g. cum Angelus S. *Ephremo*: Caue, inquit, ne *in te impleatur*, quod ſcriptum eſt: Ephraim, ut uitula etc. Oſe. X, 11. (ap. *Aſſemannum*. Bibl. Orientalis T. I. 1. 36.) Cf. Iac. II, 23. Sed multa loca V. T. ab Apoſtolis citata ſine dubio uaticinia de Chriſto proprie dicta continent; quibus locis et noſtrum Eſaiae VII, 14. annumerandum exiſtimo. Quum autem magni momenti ſit quaeſtio de *uaticiniis Meſſianis*, eorumque in libris N. T. applicatione: operae pretium me facturum eſſe exiſtimo, ſi de re ardua et perquam difficili pauca quaedam, praecipue in uſum tironum praemittam. Ante omnia igitur conſideranda eſt *uaticiniorum Meſſianorum*, (de his enim ſolis nobis nunc eſt ſermo) natura ac ratio. Quid ſit *uaticinium*, nullibi in ſacris litteris definitur. Interdum ita uocatur quoduis praeſagium, quantumuis obſcurum, quod ullo modo ad res Ieſus applicari poteſt, quamuis ipſe praeſagiens de alia re cogitauerit. Sic e. g. *Caiaphas* Io. XI, 50. 51. dicitur edidiſſe uaticinium de utilitate mortis Ieſu, quum ipſe nonniſi utilitatem politicam ſpectauerit. Et haec plurimorum uaticiniorum eſt ratio. Sunt nempe futurarum rerum praeſagia, (*Ahndungen*) praedictiones generaliores et ſubobſcurae, quibus laetior rerum

facies maiorque felicitas, uariis temporibus et modis, per uarios homines, ſenſu tamen auguſtiſſimo per Meſſiam reſtituenda reparandaque promittitur Abrahae poſteris. Vaticinia a ſacris ſcriptoribus V. T. in litteras relata ipſis diuinis uiris fuiſſe obſcura, et Petrus docet 2. epiſt. I, com. 20. (προφητεια ἰδιας ἐπιλυσεως ὐ γινεται, i. e. prophetia *ſuae* interpretationis non eſt, non ipſa ſe interpretatur ante euentum, ὐκ ἐπιλυει ἑαυτην, obſcura eſt per ſe;) et Hebraei fatentur, quorum loca collegit *Schoettgen.* ad Ioan. XI, 51. ex quibus ſatis erit unum hic repetiiſſe: (*Ialkut Simeoni* P. II. fol. 98. 3.) *Nemo prophetarum nouit, quid uaticinatus ſit, (excepto Moſe et Ieſaia.)* Cf. etiam Dan. XII, 4. 8. 9. *Generaliores* autem eſſe praedictiones prophetarum, nec ad Meſſiam ſolum eſſe reſtringendas, ſed ad alias etiam res extendendas, ipſa res docere uidetur. Si dicas: multiplicem ſenſum affingi oraculis diuinis; reſpondeo, hac hypotheſi unitatem certitudinemque ſenſus non tolli. Nam ſenſus unius eiusdemque loci poteſt eſſe unus, ſed tam praegnans et foecundus, ut de multis perſonis uel rebus recte idem praedicari poſſit. Quod etiam ualet de uaticiniis Meſſianis; haec enim ad uaria tempora uariosque homines recte applicari poſſunt, ut egregie falli uideantur ii, qui loca nonnulla V. T. uel Pſalmos de uno Meſſia, nec de aliis etiam rebus ſimul agere exiſtiment. Vno alteroue exemplo rem declarabo. Verba Dauidis Pſ. XVI, 10. *Tu non es animam meam orco relicturus, nec paſſurus, ut ſanctus tuus corruptionem ſentiat,* proxime ita intelligi poſſunt, ut uates diuinus dicat, Deum non conceſſurum eſſe, ut ab inimico ſuo morti et ſepulcro tradatur. Sed, moderante ſpiritu prophetico, iis uerbis uſus eſt Dauides, quae ſenſu maxime proprio et foecundiſ-

cundiſſimo in Chriſtum conuenirent, et eius a mortuis reſurrectionem ſignificarent. Quare Petrus Apoſtolus hunc Pſalmi locum Act. II, 25. ſqq. adducens, haud negare uidetur, haec uerba in ſe de Dauide ipſo eſſe intelligenda; ſed hoc affirmat, Dauidem haud fortuito, uel impetu quodam naturali, quo Poetae ferri ſolent, ſed tanquam prophetam, a ſpiritu diuino actum, quum iſta caneret ſcriberetque, meminiſſe et ſciuiſſe, ſibi abs Deo fidem iureiurando eſſe firmatam, fore, ut in ſolio ſuo reſideret ex ſeſe natus, 2 Sam. VII, 12. ſqq. et ſimul etiam reſurrectionem Meſſiae, uere quidem, ſed obſcure, ut mos eſt prophetarum, praenunciaſſe. Sic etiam Pſalmus II. quem plurimi de Meſſia, multi recentiores de Dauide interpretantur, nec de Dauide ſolo, nec de ſolo Meſſia explicandus eſſe uidetur. Nimirum ſanctus uates in genere depingit non tantum coloribus poëticis, ſed etiam tanquam Propheta, nationum profanarum contra Iehouam et carum ſibi populum uana conſilia et molimina, atque iſtos rebellium conatus fore irritos, ſpiritu diuino edoctus auguratur, Deo pro ſua in ſuos beneuolentia regnum una cum regibus a ſe conſtitutis potentiſſime protecturo. Hoc igitur uaticinium uariis temporibus et modis impletum eſt, in Dauide, Salomone, denique uero poſt exilium Babylonicum, collapſis Iudaeorum rebus, ſenſu auguſtiſſimo in Meſſia, rege omnium ex Dauidis ſtirpe prognatorum maximo et aeternum regnaturo. Hoc idem ualet etiam de loco Ieſ. VII, 14. Clarum eſt nempe, prophetam promittere ſignum breui extiturum, ex quo Achas breui futuram liberationem ab hoſtibus ſibi tum imminentibus deberet cognoſcere. Indigitauit itaque uirginem quandam praeſentem omnibusque notam, et praedixit, eam breui tempore poſt ex iuſto matrimonio parituram

rituram esse filium, in signum futurae liberationis, addita promissione, antequam puer ex ista uirgine nasciturus ad discretionis annos peruenerit, regionem istorum regum, propter quos aegre erat Achaso, fore desertam. Quum autem non fortuito, sed moderante Spiritu diuino usus esset Propheta uerbis: *En uirgo grauida facta pariet filium, quem Immanuel uocabit,* haud immemor fortassis eorum quae Deus Dauidi 2 Sam. VII, 12. *sqq.* de regno eius aeternum duraturo promisisset; Israelitae etiam posteris temporibus, collapso regno Dauidis, concipere poterant spem, fore, ut aliquando alius ex uirgine proprie tali sit nasciturus puer, uere *Immanuel,* i. e. Dei fauorem conciliaturus populo. Quod igitur Iesaiae tempore modo quodam imperfecto impletum est, id perfectum suum implementum habuit in Messia. Scilicet Iudaei antiqui, probe considerantes, libros sacros, inprimis propheticos V. T. non ab hominibus uulgaribus, sed spiritu diuino actis esse scriptos, in ea erant sententia: Quicquid magnum, eximium, mirabile de certis quibusdam hominibus in V. T. dictum esset, id multo magis et sensu maxime proprio ualere de Messia, quod clarissime ex *CHRISTIANI SCHOETTGENII libro de Messia* T. II. Hor. Hebr. cognosci potest. Quamuis autem Iudaeos antiquos in hac re fuisse nimios haud negem; Christum tamen et Apostolos, quod caput rei attinet, idem sensisse de V. T. libris et uaticiniis in iis contentis, patet ex Matth. XI, 12. 13. 14. Luc. XXIV, 25. 27. 44. Act. III, 18. 24. Sed plura quo minus addamus, instituti ratio prohibet. Bene totam hanc de uaticiniis materiam illustrarunt *Io. Tobler* in libro: *Gedanken und Antworten zur Ehre Iesu Christi und seines Reichs,* p. 183. *sqq. HERDER in den Briefen*

das Studium der Theologie betreffend, epist. 17. *sqq.* *HESSE Versuch vom Reiche Gottes*, *Sect. IX.* 10. *GODOFR. EICHHORN Einleitung ins alte Testament*, Tom. III. p. 1. *sqq.* Adde Ven. *HUFNAGELII* dissertatt. de Psalmis Prophetias Messianas continentibus, et Ven. *SEILERI* Progr. de Vaticiniorum — iusta interpretandi ratione.

25. οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν) sc. tori consuetudine ut Gen. IV, 1. Iud. XI, 39. quomodo etiam Graeci et Latini loquuntur. ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον) *Heluidius* olim, quem recentiorum nonnulli secuti sunt, hoc praecipue loco aduersus perpetuam Mariae uirginitatem abusus est. Quamuis autem haec opinio nihil habeat periculi, ex his tamen uerbis firmari haud potest. Nam ἕως sicut hebr. עַד interdum etiam futurum tempus includit Gen. XXVIII, 15. 2. Sam. VI, 23. 1 Tim. IV, 13. Et primogenitus est, ante quem alius non est natus, siue deinde alii secuti fuerint siue non. *Pollux* Onomast. 2. 2. Βρέφος — π ρ ω τ ό τ ο κ ο ν, πρωτόγονον, etc.

CAP. II.

1. Βηθλεέμ) Sex milliaria Romana aberat Hierosolymis, austrum uersus. μάγοι) μάγος uox Persica, denotat Antistitem religionis, uel Sacerdotem et Philosophum. Veteres de Magis tradunt, fuisse Persas siue Parthos, philosophos et sacerdotes, frequenter peregrinationes instituisse, et contemplationi astrorum, uel potius astrologiae operam dedisse. *Apuleius* in Apologia: Persarum lingua Magus est, qui nostra sacerdos. *Hesychius*: μάγον τὸν θεοσεβῆ καὶ θεό-

λογον

λογον καὶ ἱερέα δι Πέρσαι λέγυσι. *Suidas* in Lexico: μάγοι παρὰ Πέρσαις δι Φιλόσοφοι καὶ Φιλόθεοι. *Cic.* de Diuinit. I, 23. "In *Perſis* augurantur et diuinant Magi, qui congregantur in fano commentandi cauſſa et inter ſe colloquendi — nec quisquam rex Perſarum poteſt eſſe, qui non ante magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit.„ Seneca epiſt. 58. *Magi, qui forte Athenis erant.* ἀπὸ ἀνατολῶν) ἀι ἀνατολαὶ et ἡ ἀνατολὴ ſignificat plagam mundi orientalem; inprimis uero Regnum Parthicum Regnum Orientis uocari ſolet, ut patet ex locis Wetſtenio laudatis. Sed Iudaea Arabiam etiam habet ſitam orientem ſolem uerſus. Non igitur contemnenda eſt eorum ſententia, qui Magos ex Arabia adueniſſe exiſtimant, quod etiam *Iuſtinus* M. ſtatuit in diſputatione cum Tryphone. In Arabia etiam et aliis in regionibus fuiſſe Magos C. *Adami* in obſ. Th. Philol. oſtendere conatus eſt. ἐις Ἱεροσόλυμα) Non putabant, regem illuſtrem in uico ignobili naſciturum, ſed illum quaerendum eſſe in urbe regia, in ipſo palatio, atque in familia, quae tum regnabat. Nam tota eorum ars erat coniecturalis.

2. Λέγοντες) Solent fere Hebraei hiſtorias, quae narrantur, inductis ipſis perſonis explicare: Latini contra plerumque obliquis narrationibus, quas uocant, utuntur, quo modo etiam *Caſtellio* totam hanc periodum conuertit. Ceterum ineſſe in modo narrandi, quem ſcriptores N. T. uſurparunt, neceſſarias ad narrandi conſilium naturamque uirtutes, easque omnes ſimplicitate ſcribendi, ſine ornatu, teneri poſſe, eleganter docet S. V. *Morus*, Lipſ. in *Defenſione narrationum N. T. quoad modum narrandi.* Ἀυτῦ τὸν ἀςέρα) *ſtellam, quae hunc regem portendebat.* Plurimos

haec Matthaei narratio de ſtella Magis uiſa offendit, quod putarent, ſtellam iſtam fuiſſe quaſi ducem itineris Magis, eosque antecedendo deduxiſſe Hieroſolyma primum, deinde Bethlehemum; denique autem euanuiſſe. Quod ſecus eſſe, ex commatis 9. explicatione patebit. Interim ut hanc difficultatem, non Matthaei, ſed interpretum culpa enatam tollerent interpretes, finxerunt, ſtellam illam fuiſſe miraculoſam, uel coeleſtem illam lucem, quae ipſa nocte natiuitatis Chriſti paſtores Bethlehemiticos circumfulſerat, uel aliud quoddam *Meteoron*, ſtellae ſimilitudinem referens. Sed *Cometam* fuiſſe, recte uidit *Origenes*, c. *Celſum* L. 1. p. 45. edit. Spenc. de hac ſtella ſcribens: τῷ γένει τοιῦτον γεγονέναι, ὁποῖοι κατὰ καιρὸν γινόμενοι κομῆται κ. τ. λ. Quod uel ex eo fit uероſimile, quod Veteres, eodem monente *Origene* l. c. in ea fuerunt opinione, ſignificari huiusmodi ſtellis inſignes in terris mutationes, e. c. translationes regnorum, bella, et interdum etiam res bonas. *AELIUS LAMPRIDIUS* de Alexandro Seuero: *Fertur pridie natalis eius tota die apud Arcem Caeſaream ſtella primae magnitudinis uiſa.* *Iuſtinus* Lib. XXXVII. de Mithridate: *Quo genitus eſt anno, et eo quo regnare coepit, ſtella cometes per utrumque tempus ſeptuaginta diebus ita luxit, ut coelum omne conflagrare uideretur.* In opinione hac, natum eſſe regem Iudaeorum, confirmare poterat Magos *uetus et conſtans opinio, quae* (teſte *SUETONIO* in Veſpaſ.) *percrebuerat Oriente toto, eſſe in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur.* *Tacitus* Hiſt. V, 13. *Pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut ualeſceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur.* Equidem hanc de Cometarum praeſignificationi-

ficationibus opinionem fuiſſe ſuperſtitioſam, ultro largior. Sed ſingulari prouidentia ac bonitate Dei interdum fieri, ut errores ipſi occaſio ſint ad ueritatem perueniendi, quis dubitet? Licet igitur certiſſime futilis, uana atque fallax fuerit ars Magorum, caſu tamen aliquando in uerum incidere potuit. Egregie Wetſtenius: admirabilis (inquit) hinc elucet ſapientia Dei, qui hominum erroribus et ſceleribus uſus Ioſephum per ſcelus fratrum in Aegyptum deduxit, regem Babelis per haruſpicia et ſortes Iudaeis immiſit, *Ezech.* XXI, 11. 12. et Magos hic per Aſtrologiam ad Chriſtum direxit. Lege, quae nuper in hanc hiſtoriam ſcite obſeruauit I. C. *Velthuſen* in libro: *Sophienruhe oder die Landpfarre* etc. Hamb. et Kil. 1783. 8. προσκυνεῖν) in N. T. ſaepius Dat. interdum Acc. habet. Reſpondet uoci hebraicae השתחוה et ſignificat, in genua procidere *honoris exhibendi cauſa.* Gen. XLIII, 26. Ritus erat Perſicus et Orientalis. Herodot. I, 134. *Corn. Nepos* Conon. 3. *neceſſe eſt enim, ſi in conſpectum ueneris, uenerari te Regem, quod* προσκυνεῖν *illi uocant.* Par igitur eſt, ubi de Rege agitur, exiſtimare, Magos eo honore Ieſum proſecutos fuiſſe, quo Regem ſuum ſolebant.

3. ἐταράχθη) *Matthaeus*, quod ſcriptoribus S. alias ſolemne eſt, unico uerbo tanquam in tranſitu indolem et characterem morum Herodis accuratiſſime exprimit. Herodes, ſeptuagenarius quidem et aegrotus, ſed, creſcente inprimis aetate, ſuſpicionibus indulgens, cogitabat de Meſſia, qui imperium in Iudaeam ſibi deſtinatum, more aliorum principum ui occupaturus hoſteſque debellaturus eſſet. πᾶσα Ἱεροσόλυμα) Ἱεροσόλυμα, eſt plur. neut. Deeſt igitur uox

ἡ πολίς. Sine aſpirato ſcribi deberet; deriuatur enim non ab ἱερὸν Σαλομῶντος, ſed a ירוש שלם poſſeſſura eſt pacem, aut יראו שלם uiſuri ſunt pacem; quod nomen urbs accepit ab eo tempore, quo Dauid arce Zionis potitus eſt. I Chron. XI, 4. ſq. Per metonym. *incolae urbis.* Hieroſolymitanos perturbabat memoria motuum inter initia regni Herodis excitatorum: tum enim Parthi, duce Pacoro, regis filio, Hieroſolymis et tota Iudaea occupatis, Antigonum regem conſtituerunt. Inde bellum, cui aegre finis impoſitus.

4. πάντας τὺς ἀρχιερεῖς) Etiam uicarius Pontificis, et Pontifices exauctorati, et Pontifici ſanguine proxime coniuncti, et ſtationum ſacerdotalium principes, Pontifices maximi ſeu ſummi ſacerdotes nuncupantur. γραμματεῖς τῦ λαῦ) γραμματεὺς, סופר idem eſt quod praeceptor, magiſter, litterator. סופרים educationi ſcholaſticae, tractando calamo, atque ſcriptioni praecipue ſeſe addixerunt: quales erant, Notarii publici in Synedriis, Regiſtrarii in Synagogis, Amanuenſes tranſcribendis Phylacteriis, legi, ſententiolis poſtibus affigendis, contractuum libellis, aut diuortii etc. operam nauantes. ἐπυνθάνετο — γεννᾶται) ὁ χριςὸς eſt translatio graeca nominis hebraici משיח, quod ſignificat *Regem.* Hinc משיח et מלך, (χριςὸς, *Meſſias,* et βασιλεὺς, *Rex*) permutari ſolent, e. g. Pſ. II, 2. 6. et innumeris V. T. locis. Haec appellatio ad regem Iudaeis promiſſum translata eſt primum Dan. IX, 25. 26. et ab eo tempore Iudaeis uſurpata.

5. οἱ δὲ εἶπον — Ἰυδαίας) Magno conſenſu Iudaei tradunt Meſſiam Bethlehemi naſciturum. Io. VII, 42. quod probant

bant ex hoc Michae loco V, 1. *Pirke R. Eliefer* c. 3. „Vnde uero probabis, nomen Meſſiae fuiſſe ante mundum conditum? ex Pſalmo LXXII, 17. Et alia ſcriptura dicit: et tu Bethlehem Iuda an parua es inter Principes Iudae? et egreſſiones eius ſunt ab initio h. e. quum mundus nondum eſſet conditus.„ Nihil igitur refert, an Michas l. c. intellexerit Meſſiam ſiue minus. Sufficit Iudaeos locum ſic interpretatos eſſe.

6. καὶ σὺ — Ἰσραήλ) Receſſit hic Matthaeus a uerbis LXX interpretum, quae Hebraica ſatis exprimunt, et quae alias ſequi ſolet, libertate ſua uſus, et dummodo mentem uerborum retineret, de minutiis parum ſollicitus. γῆ h. l. eſt *urbs*; LXX interpretes enim Hebr. עִיר ſaepe per γῆν reddiderunt, ut Ierem. XXXIV, 22. XL, 8. Regionis autem nomen Bethlehemo additur, quia alterum Bethlehemum erat in Galilaea. Ioſ. XIX, 15. οὐδαμῶς ἐλαχίςη εἶ) Michae V, 1. Bethlehem uocatur צָעִיר parua, uel minima, hic autem uocatur *non minima*. Vtrumque certo reſpectu uerum erat. Bethlehem enim et uicus paruus atque ignobilis erat: et natiuitate Meſſiae futurus erat clariſſimus. Accedit, quod צָעִיר interdum ſignificat *princeps, illuſtre*. Zachar. XIII, 7. et in Arab. lingua. Simili fere modo conciliat R. *Salomo*. „Digna quidem eras, ut eſſes parua in familiis Iudae; propter uitium Ruthae Moabitidis, quod tibi adhaeret, uerum ex te prodibit mihi Meſſias filius Dauid etc.„ Ποιμανεῖ τὸν λαόν) uſitata metaphora, qua gubernatio et rectio indicatur. Notum eſt, reges eſſe *Homero* ποιμένες λαῶν, et eſt Xenophontea ſententia: ὅτι παραπλήσια ἔργα ἐςὶ νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ.

7. ἠκρίβωσε) diligenter et ſolerter inquiſiuit. Τὸν χρόνον) annum, menſem, diem, quo primum apparuiſſet. Haec enim Aſtronomi ſtudioſe notare ſolebant.

8. ὅπως κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ) His uerbis iterum ingenium Herodis accurate depingitur; erat enim homo callidus, aſtutus et uafer, qui aliud in lingua, aliud in pectore gerebat.

9. Προῆγεν αὐτοὺς) Verbum προάγειν ſignificat et *producere* et *praecedere*. H. l. in poſteriori ſumitur ſignificatione, et προῆγεν αὐτοὺς in plusquamperfecto uertitur: *Praeceſſerat eos.* Nimirum Cometes apparuerat Magis in oriente, non autem monſtrauerat uiam; nam ſua ſponte in eam ferebantur opinionem, regem illuſtrem nonniſi Hieroſolymis, in urbe regia eſſe quaerendum, nec duce itineris erat opus. Pergentes autem Hieroſolymis Bethlehemum, iterum conſpexerunt ſtellam in patria uiſam. ἔστη) Iterum uerte in plusquamperfecto: *Subſtiterat.* Sic uiſum Magis; ut nos dicere ſolemus, lunam conſpici ſuper hac uel illa domo.

10. Ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα) Oratio abundans. Elegantia autem Attica in his: ἐχάρησαν χαρὰν, gauiſi gaudium, ſicut πόλεμον πολεμίζειν; ἀγορὰν ἀγορεύειν et βουλὰς βουλεύειν. Latini: ſeruire ſeruitutem, et pugnare pugnam. Saepenumero in hoc pleonaſmo eſt emphaſis.

11. εὗρον) Legendum potius: εἶδον. Sic enim habent Codices tantum non omnes; Verſiones et Patres multi, et edit. quoque. πεσόντες) πίπτειν h. l. eſt *humi procumbere.* τοὺς θησαυροὺς αὐτῶν) Theſaurus hic non ſignificat ipſum aurum et res pretioſas reconditas, ſed conditorium,

arcam,

arcam, ſaccum, in quo reconduntur. Heſychius: θησαυρὸς εἰς ἀναθημάτων καὶ χρημάτων ἱερῶν ἀπόθεσιν οἶκος. δῶρα) Reges cum donis adire et toti orienti, et Perſis ſiue Parthis praecipue in more poſitum fuit, cf. Gen. XXXII, 14. ſqq. Gen. XLIII, 11. 25. 1 Sam. X, 27. et alia loca. λίβανον) Grammatici contendunt, λίβανον arborem dici, λιβανωτὸν uero thus. *Suidas*: λιβανωτὸν καὶ λιβανωτὸς ὁ καρπὸς τοῦ λιβάνου, λίβανος δὲ αὐτὸ τὸ δένδρον. Sed Ammonius: λίβανος κοινῶς καὶ τὸ δένδρον καὶ τὸ θυμιώμενον. Ita ſingulari diuina prouidentia factum eſt, ut paupertati Ioſephi ſubuenirent magi, eumque ad fugam uiatico inſtruerent. Nam praeter aurum poterant thus et myrrha medicis caro uendi. Thus quidem et myrrham nonniſi in Arabia naſci *Herodotus* (III. 107.) auctor eſt. *Strab.* tamen L. XVI. Τοῦ λιβάνου βέλτιστον τὸν πρὸς τῇ περσίδι eſſe affirmat. Ex eodem *Strabone* diſcimus, merces iſtas iuxta mare rubrum natas per ſinum perſicum deportatas atque ita per Babyloniam, Meſopotamiam, Syriam in Palaeſtinam ueniſſe.

12. χρηματισθέντες) *moniti a Deo.* 2 Maccab. II, 4. χρηματισμοῦ γενηθέντος et alibi paſſim apud LXX. Interpretes, ut et apud *Ioſephum*. Occurrit etiam ſaepiſſime uerbum χρηματίζεσθαι apud profanos ſcriptores, ſed alia notione, ac in S. litteris. κατ᾽ ὄναρ) *Per ſomnium.* Ad artem Magorum non ſolum ſpectabat Aſtrologia, uerum etiam Onirocritice. Attendebant igitur et mutationibus in coelo ortis et ſomniis ſiue ſuis ſiue aliorum. Saepe coniectura eos turpiter feſellit, ut in interpretatione ſomnii Xerxis et defectionis ſolis cuius meminit *Herodot.* VII. 19. Hic tamen ſomnium a Deo immiſſum recte agnouerunt. Quam ob cauſſam

 Theodo-

Theodotio etiam μάγυς uocauit ſomniorum coniectores. ἀνεχώρησαν) Seceſſerunt, occulto itinere, et ſe receperunt in patriam. Ceterum ſapientiſſimo Dei conſilio ita eueniſſe credimus, ut peregrini aduenirent recens nati regis adorandi cauſſa. Pertinuit enim hoc ad excitandos admonendosque Iudaeos, ut praepararent animos ad recipiendum Meſſiam, qui tum ab omnibus exſpectabatur. Pertinuit etiam ad alendam et confirmandam ſpem, quam parentes aliique pii homines, moniti a Deo, de puero conceperant. Sequens hiſtoria nos docet, quantis periculis Ieſus iam puer fuerit expoſitus, at ſingulari Dei prouidentia ereptus.

13. ἄγγελος — Ἰωσὴφ) Vid. ſupra c. I, 20. εἰς Αἴγυπτον) Aegyptus Bethlehemo fuit prouincia proxima, ita ut illam intra paucos dies attingere poſſent. Poſt Antonii et Cleopatrae mortem in prouinciam romanam redacta fuerat; plurimi autem Iudaei ſedes ibi fixerant, qui graece loquentes uerſionem graecam librorum ſacrorum adornauerant, quin etiam templum auctore Onia IV. Heliopoli exſtruxerant.

14. ὁ δὲ ἐγερθεὶς — Αἴγυπτον) Chriſtum in Aegypto didiciſſe artes magicas, peruulgata eſt Iudaeorum calumnia, quae refutatione non indiget. *Celſo* eam repetenti breuiter ſed bene reſpondit *Origenes* c. Celſ. L. I. p. 30. edit. Spenc. Turpiſſimam hanc fabulam dudum exploſam nonnullis noſtrae aetatis fabulatoribus arriſiſſe quodammodo, quis non miretur? Quam parum uero mendaces ſibi conſtent, patet ex recentioribus Iudaeorum commentis de *Schemhamephoraſch* in libro *Toldos Ieſchu* ſupra memorato ad c. I, 20.

ſcriptoris

ſcriptoris noſtri. Alias fabulas commemorauit *Io. Chriſtoph. Wagenſeilius* in confutatione illi libro annexa.

15. Ἵνα πληρωθῇ κ. τ. λ.) cf. annotata ad Cap. I, 22. ἐξ ἀιγύπτȣ ἐκάλεσα τὸν ὑιόν μȣ) Sic Hos. XI, 1. in Hebr. Paullo aliter LXX interpretes. Hoſeas ſine dubio loquitur de exitu Iſraelitarum ex Aegypto, duce Moſe, reſpicitque ad uerba Exod. IV, 22. 23. Matthaeus haec uerba non citat tanquam uaticinium de Meſſia, ſed apte perſonae Meſſiae accommodat. Quaſi dicat: ac tum illud recte dici potuit, quod ab Hoſea de Iſraele uſurpatur etc. Idem Dei amor, qui eum mouerat, ut Iudaeos ex ſeruitute aegyptiaca liberaret, effecit etiam, ut Chriſtum in Aegypto non relinqueret, ſed ad ſuos, quibus doctrinam coeleſtem traditurus eſſet, reduceret.

16. ἐνεπάιχθη ὑπὸ τῶν μάγων) *quod ludibrio habitus eſſet a Magis.* In eam enim partem interpretatur fruſtrationem expectationis ſuae et opinionis, ad ſe illos redituros eſſe. ἀποςείλας ἀνεῖλε) immiſit percuſſores. ἀπὸ διετȣ̃ς καὶ κατωτέρω) Hinc doctiſſimi interpretes poſt Origenem, Euſebium et Epiphanium colligunt Chriſtum fere biennium compleuiſſe, cum Magi aduenirent, uariis inducti rationibus, quarum haec non eſt poſtrema, quod putant, non occiſurum fuiſſe Herodem omnes *bimulos*, ſi Ieſus longe abfuiſſet ab iſta aetate. Sed potuit tyrannus maioris ſecuritatis cauſſa iubere, ut bimuli etiam interficerentur, ne ex errore fortaſſis in uiuis conſeruaretur quem ſibi inuiſum putabat infans. Quaeritur etiam quando aduenerint Magi ex Oriente? Quanquam nihil definiri poteſt, hoc tamen certum eſſe uidetur, omnia quae Lucas c. II, 22. de itinere Hieroſolymitano, de purificatione,

et

et Sacrificio (quod ante diem XL a nato puero offerri non potuit Leuit. XII.) enarrat, ante Magorum aduentum contigisse. Non enim est uerisimile, post caedem infantium, Herode adhuc uiuo atque superstite, Iosephum cum matre et filio Hierosolymam petiisse, et templum, in quo neque latere neque sine praesentissimo periculo agnosci poterat, intrasse. Videtur quidem repugnare *Lucas* c. II, 39. post narrationem de purificatione et sacrificio, nulla itineris Aegyptiaci mentione facta dicens: ὑπέστρεψαν (Iosephus et Maria cum infante) εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν Ναζαρέτ. Sed reuera non repugnat. Tacet quidem fugam in Aegyptum, sed non negat. Vix per aliquot menses in Aegypto mansisse uidentur Iosephus et Maria cum puero. Mors enim Herodis primo aut secundo Christi anno contigit. Mortuo autem tyranno Iosephum cum puero in Galilaeam concessisse, Matthaeus etiam narrat u. 19, 22. Silentio *Iosephi* de hoc infanticidio fides Matthaei non labefactatur. Tanta enim fuit crudelitas Herodis, ne a cruore quidem trium filiorum abstinentis, ut caedes 50 puerorum, (plures enim non fuisse uidentur,) non tanti *Iosepho* uisa fuerit, quae prae ceteris regis crudelissimi facinoribus commemoranda esset.

18. Τότε ἐπληρώθη — τοῦ προφ.) Ierem. XXXI, 15. θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς eleganter iunguntur ad magnitudinem luctus indicandam. Ῥαχὴλ) Antonomasia, i. e. singulae filiae Rahel, et aliae matres. καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι) Gen. XXXVII, 35. post παρακληθῆναι supplendum est: λέγουσα. Graece enim non dicitur παρακαλεῖσθαι ὅτι etc. sed παρακαλεῖσθαι ἐπί, aut similiter. ὅτι οὐκ εἰσί) i. e.

mortui

mortui ſunt. Sic Gen. XLII, 36. Hebr. איננו *non eſt.* Graeci etiam de mortuis uulgo dicunt, ὅτι οὐκ εἰσί. Plenius *Ioſephus* in uita ſua: οὐκέτι εἰσὶ μεθ' ἡμῶν. Non de infanticidio, ſed captiuitate decem tribuum Propheta proprie loquitur. Vrbana manet interim ac ſuauis applicatio Ac ſi dicat Matthaeus: Tum uere illud dici potuit: Vox lamentabilis audita eſt; matres liberos amiſſos deplorarunt, neque conſolationem admiſerunt, quia amplius non erant. Tum Bethlehemum uere facta eſt Rama. Nec perſonae de quibus loquitur, ſunt eaedem, nec locus, nec denique calamitas. Qui ex Graecis Romanisque auctoribus, quid ſit locos adhibere ſimiles, didicerunt, fieri non poteſt, quin urbanitatem ſummam hic ac elegantiam agnoſcant.

19. *Herodis* triſtia fata narrat *Ioſephus* Antiqq. XVI, 11. XVII, 9. qui etiam de eius crudelitate ac tyrannide multa commemorat. Contigit autem mors Herodis primo aut ſecundo Chriſti anno. Vide Wetſtenium ad h. l. et Chronologos.

20. οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου) Hebr. בקשי נפש, *qui inſidiabantur uitae pueri*, (Exod. IV, 19.) Herodes nempe, et filius eius *Antipater*, paucos ante patris obitum dies in carcere interemtus. Ioſeph. Antiqq. XVII.

22. Ἀκούσας — ἀπελθεῖν) Archelao ceſſerat Iudaea, Samaria et Idumaea. Bethlehem erat in Iudaea. Quanquam igitur conſilium Ioſephi fuerat ſedes figere Bethlehemi, filiumque educare in eodem oppido, in quo Dauid educatus fuerat, mutauit tamen conſilium, quum audiuiſſet Bethlehemum in Archelai ditione ac poteſtate eſſe. Nec immerito. Archelaus

chelaus enim patrem moribus referebat, ualde ſuſpicax atque crudelis: quem animum, antequam Ioſephus rediiſſet, multis indiciis prodiderat. Ioſeph. de B. Iud. I, 21. ἐις τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας) Galilaea et Peraea ceſſerant Herodi Antipae, qui ingenio mitis atque benignus, urbibus Iuliadi et Tiberiadi exſtruendis intentus, pollicitatione atque indultu immunitatum et leni imperio multos ex aliis prouinciis incolas allicere ſtudebat. Seruiebat uoluptatibus; at tales non ſolent eſſe truculenti.

23. καὶ ἐλθὼν) *Et quum (eo) ueniſſet.* Haec genera dicendi ſumta ſunt ab Hebraeis, quibus ſunt iſti pleonaſmi frequentes, ueluti quum dicunt: *et ſurgens abiit; et reſpondit dicens*, et ſimilia multa, quae infinitis locis occurrunt. κατώκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέτ.) Sic cap. IV, 13. Apud Graecos differunt κατοικεῖν et παροικεῖν, ſicut apud Latinos *habitare*, et *commorari*. Ἐις πόλιν, uel *habitatum conceſſit*, uel εἰς πόλιν poſitum pro ἐν πόλει. Nam frequenter εἰς pro ἐν ponitur, ut Marc. II, 1. ſicut apud Hebr. אֶל pro בְּ ponitur. Ναζωραῖος κληθήσεται) Euangeliſta loqui uidetur de humili et uili Saluatoris externa conditione. Nam per contemtum uocatus eſt olim a Iudaeis Ναζωραῖος, i. e. Nazarethanus, et hodie adhuc a Iudaeis uocatur *Ieſchu Hanozri.* Obſeruetur, Euangeliſtam non unum aliquem e Prophetis citare, ſed plures, quia multi eorum uilem Chriſti et abiectam conditionem praedicant. Vide Pſ. XXII. Ieſ. LII, et LIII. Itaque ipſo loco, locique nomine, Nazaret, ad apicem illud impletum, quod a Prophetis praedicatur, Meſſiam fore contemtum. Fuit enim Nazaret uicus ignobilis, ita ut prouerbio diceretur: a Nazaretha poteſt aliquid

bonum esse? Io. I, 47. Alii deriuant hoc nomen a uerbo נצר, ut נֹצֵר sit *seruans*. Κληθήσεται, *erit* Syr. נצריא.

CAP. III.

1. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις) בימים ההם. Ita solent Scriptores V. et N. T. narrationem ordiri Ies. XXXVIII, 1. Gen. XXXVIII. 1. H. l. est μετὰ ταῦτα, cum Iesus Nazarethae in obscuro uiueret. Post historiam natiuitatis et infantiae Christi sequitur iam secunda pars Euangelii, continens historiam dictorum et factorum Ioannis et Iesu praeparatoriis ad munus Christi publicum mox suscipiendum. c. III — IV, 1 - 11. Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς) Ita cognominatus, ut distingueretur a Ioanne *Apostolo*. Accepit autem hoc nomen a munere, quod ex mandato Dei baptizaret Iudaeos in uenturum Messiam. Io. I, 28. Egregio testimonio Ioannem ornauit *Iosephus*, Antiqq. XVIII, 5. 2. quem locum etiam *Origenes* citauit c. Cels. L. I. Κηρύσσων) *Proclamans*. Κηρύσσειν de iis dicitur, qui in plateis, in campis, in aëre aperto, ut a multis audiantur, uocem tollunt, et quae auctoritate publica uel regia promulganda sunt, quaeque in mandatis habent ab alio, praedicant, quemadmodum Graecorum Κήρυκες, et Latinorum *praecones*. ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας) ἔρημος χώρα, *solitudo*. Solitudinis Iudae fit etiam mentio Iud. I, 16. Ps. LXIII, 1. Sic uocantur campi tribus Iuda, adiacentes lacui Asphaltitidi et Iordani fluuio. *Ioseph. de Bello* Iud. III, 10. 7. Iordanus διατέμνει τὴν Γεννήσαρ μέσην, ἔπειτα πολλὴν ἀναμετρούμενος ἐρημίαν εἰς τὴν ἀσφαλτῖτιν ἔξεισι λίμνην. Tempore Iosuae (c. I, 61. 62.) habuit haec solitudo sex urbes multosque uicos. Thalmudici etiam pecudum, arborum, frugum solitudinis mentionem

tionem faciunt. Regiones minus habitatae atque cultae opponuntur populosioribus.

2. Μετανοεῖτε) μετανοεῖν proprie significat *post factum sapere, et de errore admisso ita dolere, ut sapias*, quod Latinis proprie significat *resipiscere.* Semper cum μετανοίᾳ cohaeret ὁ σωφρονισμὸς, sicut haec duo recte coniunguntur a Plutarcho in Dialogo πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα. Hebraeorum שוב. Ratio cur iam uita esset emendanda statim additur: ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν) *Iam enim in eo est, ut regnum Dei instituatur.* ἤγγικε forma quidem praeteriti temporis uerbum, cum significatio praesentis sit, id quod in multis uerbis in graeco sermone deprehenditur. *Iam fere adest:* ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Iudaei multa etiam habent de מלכות שמים. Aliquoties βασιλεία τοῦ θεοῦ Marc. I, 15. Luc. VI, 20. alibique frequenter. Iudaica enim dialecto שמים haud raro sumitur pro *Deo*, Dan. IV, 28. Matth. XXI, 25. Luc. XV. 21. Ioh. III, 27. Regnum *coelorum* itaque est regnum *Dei*, uel regnum Messiae. Desumitur haec Phraseologia, *Regnum coelorum*, a Daniele C. VII, 13. 14. 27. ubi promittitur Messias, s. Rex qui cum nubibus coeli uenturus, regni aeterni post IV Monarchias fundamenta iacturus, et praesertim homines uerum Dei cultum edocturus Deoque subiecturus esset. Hoc regnum Messiae tum exspectabatur. Ioannes igitur eadem formula usus est, quae usu recepta erat apud Iudaeos. Quum autem hi sibi persuaderent, Messiam sibi et nationi Iudaicae, quippe ab Abrahamo ducenti genus, omnes alias nationes subiecturum, et uisibili modo regnaturum esse, Ioannes non aperte quidem, (hoc enim tum temporis supra captum eorum fuisset) tacite

tacite tamen correxit ideam de Meſſia, ſignificans, nonniſi moribus et animis emendatos participes fore felicitatis per Meſſiam reparandae. Non poteſt autem ubiuis haec βασιλεία τ. ὐρανῶν exprimi ſine periphraſi, quia eius partes ſunt multae. Interdum ſignificat *coetum Meſſiae ipſum*, *interdum bona huic coetui propria et in his terris et poſt hanc uitam.* Haud raro ita uocatur etiam *opus Dei in hac omni re inſtituenda, decernenda et exſequenda.* Dicitur nimirum Deus regnare κατ᾽ ἐξοχὴν, ubi legibus eius et inſtitutis obtemperatur; qui his legibus obediunt, felices redduntur. Ergo ſenſus uerborum ἤγγικε ἡ βασιλεία τῶν ὐρανῶν hic eſt: *Iam in eo eſt, ut Deus ſibi colligat ſocietatem hominum, qui eius uoluntati et praeceptis obſequium praeſtabunt, fauore eius ſingulari fruentur, et beneficiis eximiis in hac et futura uita ornabuntur.* Quum nemo niſi bonus iuribus et beneficiis huius ſocietatis frui poſſit, omnino animum et mores emendare debet is, qui hoc Dei regnum optat, uel *intrare regnum* Dei, i. e. in hanc ſocietatem adoptari cupit. Quia Deus hanc nouam ſocietatem, quae deinceps ἐκκλησία uocata eſt, per Meſſiam inſtituit, igitur uocatur etiam *regnum Meſſiae.*

3. ὁ ῥηθεὶς) praedictus, iam olim annunciatus, nam ῥέω, per Synecd. gen. *praedico.* ὑπο Ἡσαΐȣ) Cap. XL, 3. Φωνὴ βοῶντος) *Vox (auditur) clamantis* — Hebr. קול קורא Vox clamat. ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίȣ) *Parare uiam*, eſt uiam munire, ſternere, complanare, purgare, expedire quae prius aſpera, inepta, ſentibus obſita, pulueruleuta erant. εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβȣς ἀυτȣ̃) *Complanate ſemitas, quibus incedet.* Simile deſumtum a rege in itinere conſtituto ἡ

τρίβος, hebr. מסלה quae vox non ſemitam ſed uiam regiam, uel uiam ſtratam et munitam ſignificat. *Rectam uiam facere*, eſt, deſerta uia obliqua et per ambages ducente, uiam breuem atque compendiariam inuenire. Per montes, ualles, ſiluas, qua Rex incedere debebat, mittebantur munitores, qui arbores caederent, ualles adaequarent, montium obſtacula tollerent. Senſus eſt: Efficite, ut Meſſias mox uenturus animos ueſtros, omnibus obſtaculis remotis, praeparatos ad ſe recipiendum inueniat. Erat nempe munus Ioannis praeparare populum ad Meſſiae aduentum.

4. ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλȣ) ἔνδυμα generale eſt ueſtimenti ſeu amictus nomen; *Anzug, Kleidung.* Hirta ueſtis molli opponitur infra c. XI, 8. Τρίχες *Rufino* interpreti ſunt *cilicia.* Primi mortalium pellibus animalium pro ueſte ſunt uſi. Succeſſerunt ueſtes, pilis non arte comtis ſed aſperis hirſutae. Veſtis erat pauperum et lugentium. *Max. Tyrius XIII*, 5. ζώνην δερματίνην) Ita cinctus erat Elias, 2 Reg. I, 8. ἀκρίδες) Locuſtae genus erat mundum, et eſui licitum חגב Leuit. XI, 21. 22. ubi LXX. habent: τὴν ἀκρίδα. Locuſtarum uſum ignorare non poſſunt, qui legerunt unquam, quae de iis prodiderunt, qui in Oriente uerſati ſunt. Loca Veterum non pauca notarunt *Heinſius et Wetſtenius* in h. l. Recentior et fide digniſſimus teſtis eſt *Carſten Niebuhr* in *deſcriptione Arabiae*, germanico idiomate exarata; p. 171. ſqq. cf. etiam *Haſſelquiſt, Schaw, Arvieux.* μέλι ἄγριον) *Plinius* XI, 15. tertium genus mellis minime probatum ſilueſtre, quod ericaeum uocant. Ericen autem myricae eſſe ſimilem, tum Dioſcorides, tum idem Auctor dixit. 1 Sam. XIV, 25. 26. Victu ueſtituque uili uſus

usus est Ioannes, tum ut seueritas morum responderet doctrinae ipsius, tum etiam ut hoc modo et corpus et animum firmaret, seque ad subeunda intrepide pericula praepararet.

5. ἡ περίχωρος τȣ̃ Ἰορδάνȣ) Idem forsan est περίχωρος Euangelistae, quod *ora*, *et regio per oram* Plinio. Strabo de planitie Iordani adiacente haec habet: Est locus C. stadiorum, totus irriguus atque habitationibus plenus.

6. καὶ ἐβαπτίζοντο) βαπτίζειν est mersare, tingere, corpore vel parte corporis quod baptizari dicitur, aquas subeunte. Vetustissimi mortalium Baptismos siue ablutiones ad Religionem cultumque numinis pertinere iudicarunt, tum ut munditiem et puritatem commendarent, tum ut ritu solemni cauerent, ne quis irreuerenter ac temere ad res sacras accederet. Aeneid. II, 717. At hic agitur de uno solemni Baptismo, semel et in perpetuum administrando, nec unquam postea repetendo. Huius ritus uestigia inueniuntur in Baptismo Proselytorum. Nimirum magno consensu hodie a Iudaeis traditur, si quis ex gentibus ad Religionem Iudaicam accessisset, et ipsum cum uxore et liberis, etiam infantibus fuisse baptizatum. Iam in *Thargum Ionathanis* in Pentateuchum eius fit mentio, ubi de Proselytis sermo est, Exod. XII, 44. circumcides eum et baptizabis eum. Permulta loca uide apud *Lightfootum* et *Wetstenium*. Baptismus Proselytorum fuit traductio Gentilium in religionem Iudaicam; Baptismus *Ioannis* traductio Iudaeorum in religionem aliam. Atque hinc eo magis est mirandum, quod ad eum tam prompte populus conflueret, cum Baptismum tam diuersum a noto illo proselytico introduceret. Cuius ratio hinc sumenda, quod ad aduentum *Messiae*, immutan-

dam plane rerum faciem merito opinati ſunt. ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας) Confitebantur, ſe eſſe peccatores, et per ſe indignos qui participes fierent beneficiorum Meſſiae. Generalis erat haec peccatorum confeſſio. Nonnunquam autem acceſſiſſe uidetur ſpecialis deteſtatio eorum peccatorum, quae praecipue Deum irritant. Act. XIX, 18. Ratio additur Luc. III, 12. 14.

7. τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων) De iſtis Iudaeorum ſectis multa habent *Ioſephus* et *Thalmudici*. Tres Iudaeorum ſectas numerat *Ioſephus*, Antiq. XIII, 5. 9. *Phariſaeorum* nempe, *Sadducaeorum* et *Eſſenorum*, easque nominat τρεῖς φιλοσοφίας, triplicem *philoſophiam*, quae tres ſectae non male conferuntur cum tribus in Graecia inclutis, *Pythagoraeorum*, *Epicureorum* et *Stoicorum*. Origo earum uidetur referenda ad tempora poſt captiuitatem Babylonicam, quum Iudaea eſſet in poteſtate Regum Syriae et Aegypti, Alexandri M. Succeſſorum. Tunc enim Iudaei multa inprimis de immortalitate animorum et de potentia Spiritum dogmata arripuerunt a Graecis Philoſophia Pythagorea et Platonica imbutis. *Phariſaei*, פרישים, quaſi ἀφωρισμένοι, ita appellantur, quod maiori ſanctitatis gradu aut praetextu ab aliis ſemet ſepararent. *Sadducaei*, צדוקים, a צדוק *Zadoko*, degenere Antigoni Sochaei diſcipulo, qui ſub Ptolemaeo primo Aegypti Rege tribus ante Chriſtum natum ſeculis uixit, denominati ſunt. Duo autem erant praecipua capita diſſenſus Phariſaeorum et Sadducaeorum: Prius uerſabatur circa uarios ritus, cerimonias a Phariſaeis inſtitutas et traditiones non ſcriptas a Sadducaeis repudiatas; poſterius erat de immortalitate animarum, quam Phariſaei ſtatuebant, Sad-

Sadducaei negabant. Praeterea etiam *Pharisaei* dicebant quidem, fato omnia fieri, sed hominis uoluntatem non priuabant impetu a seipsa pendente, quippe sic Deo placuisse, ut certo temperamento miscerentur in unum fati decretum et ratio humana, si quis uelit agere cum uitio aut cum uirtute. Ioseph. A. XVIII, 1. 3. Sectae Pharisaeorum addicta fuit plebs et mulierculae, cum Sadducaeis uero faciebant principes, nobiles atque diuites. *Ioseph.* A. XIII, 10. 5. 6. *Essaeos* uel *Essenos* Ἐσσάιυς uel Ἐσσηνὺς, eosdem cum חסידים Ἀσιδάιοις 1 Maccab. II, 42. VII, 12. aut ab illis ortos uolunt. De his uid. *Ioseph.* A. XVIII, 1. 5. inprimis uero *PHILONEM de uita contemplatiua.* Horum in Euangeliis non fit mentio. Quam corrupta fuerit Sadducaeorum et Pharisaeorum doctrina, et quam aliena in maximis capitibus ab auita disciplina ex ipsis Euangeliis satis clare patet. ἐρχομένυς ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἀυτῦ) ἐπὶ *ad;* ut *apud Xenoph.* Cyropaed. ἦλθον ἐπ' ἀργύριον. *Polyb.* ἐλθεῖν ἐπὶ τῦτο. Alii ἐπὶ reddunt *contra,* ut sensus sit: Videns Ioannes Pharisaeos et Sadducaeos eo consilio accedere, ut baptismum impedirent. Sed non opus esse uidetur hac explicatione. Licet enim plerique Pharisaeorum baptismum Ioannis non reciperent, Luc. VII, 30. Matth. XXI, 25. nihil tamen impedit, quo minus statuamus saltem quosdam illum suscepisse, inter initia praecipue praedicationis, antequam Sectae illi inuisus esset Ioannes. γεννήματα ἐχιδνῶν) *progenies uiperarum,* i. e. homines pessimi, noxii, uiperarum simillimi, ab origine adeo generis. Clytemnestra Electram uocat θρέμμ' ἀναιδὲς, sobolem impudentem. Ita et beluam uocarunt Latini hominem immanem. Δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα dixit *Sophocles.* Vipera est autem pessimae naturae et pesti-

 stilen-

stilentissima. Est asperius dictum, quia Iudaeorum isti doctores pietatis et auctoritatis pallio tecti, lingua sua animis simpliciorum falsa et superstitiosa dogmata instillando nocebant. τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς) vehemens Oratio! cf. Gal. III, 1. *Quis uos doceat effugere poenam imminentem?* Nam ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ est *poena diuina.* ὑποδεικνύειν, *demonstrare, persuadere.* Quum nempe Iudaei ipsi Messiam omnibus mortalibus praestantiorem fore, et per ipsum maxima bona exspectanda esse crederent, facile erat intellectu eum impunitatem peccatis haud concessurum, sed singularem morum innocentiam a subditis requisiturum, poenasque tanto grauiores contumacibus inflicturum esse, quanto et ipsius dignitas amplior, et pollicitationes maiores forent. Sed difficillima res erat Pharisaeos, sanctitatis opinione ac fama superbientes, et Sadducaeos, uoluptatibus deditos ad ueram perducere poenitentiam. Ergo Ioannes, mirum est, inquit, uos etiam hic conspici; quo monitore uos accessistis, qui aliorum Doctores estis? Serione ista agitis? Si me uiam uobis monstrantem sequi uultis, opere ipso ostendite.

8. καρποὺς ἀξίους) leg. καρπὸν ἄξιον. Sic enim habent plurimi Codd. Verss. et Patres quidam. Passim opera *fructuum* nomine appellantur. Re ipsa et factis ostendite, uos pristino more non amplius uelle uiuere, sed nunc sentire rectius.

9. μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς) Ne animum inducite sic apud uosmet cogitare. Τὸ δοκεῖν hic non simpliciter significat *uideri*, sed *aliquid sibi per arrogantiam persuadere*, uel sibi de aliquo placere. πατέρα — Ἀβραάμ) Iudaei putabant,

tabant, ſe iam propter Abrahamum, generis ſui auctorem Deo eſſe gratos et acceptos, nec emendatione mentis et morum ſibi opus eſſe. Io. VIII, 33. 39. 53. Vide loca Rabbinorum ap. *Wetſtenium.* Iudaei quidem ueteres, Philo, Ioſephus, aliique a genuinis Abrahami filiis requirebant, ut exemplum illius ſibi proponerent. Quum autem docerent, ipſam pietatem Abrahami poſteris eius imputari, factum eſt ut Iudaei de parentum ſanctitate ſpem impunitatis et ſuperbiam conciperent, ſeque propter uicariam ab Abrahamo praeſtitam operam legibus ſolutos exiſtimarent. Hanc uanam opinionem nunc abiiciendam eſſe Ioannes monet. λέγω γὰρ — τέκνα τῷ Ἀβραάμ) Senſus eſt: *Deus pro omnipotentia ſua poteſt efficere, ut alii homines* (non-Iudaei) *fiant filii Abrahami* (mores eius imitantes) *quamuis hoc nunc minime fieri poſſe uideatur.* Nam filii Abrahami illi intelliguntur, qui mores eius imitantur. Io. VIII, 39. 40. Rom. IV, 16. IX, 7. Ἐκ τῶν λίθων τούτων, *ex lapidibus his*, in ripa iacentibus, quos Iordanes uel aduexerat uel nudauerat, eſt figuratum loquendi genus, quo indicatur omnipotentem Deum efficere poſſe, quod nullo modo fieri poſſe homines putent. Cf. Luc. XIX, 40. Senſus igitur eſt: Nolite exiſtimare, uos ſolos Deo eſſe caros, et promiſſionem Abrahamo datam ad uos ſolos, quanquam improbos, et in peccatis ueſtris perſeuerantes, pertinere. Poteſt Deus efficere, ut homines ex aliis nationibus, uobis digniores, meliores et percipiendis beneficiis Meſſiae idonei reddantur. Paſſim Baptiſta, Chriſtus, Apoſtoli dant operam, ut Iudaeis adimant ſuperbiam et ſpem impunitatis de parentum ſanctitate conceptam, quod illis maximum fuit bonae mentis impedimentum. Τέκνων, i. e. *prolis* nomen, ſeu li-

 berorum,

berorum, latius quam filiorum patet; quod semel annotasse sufficiat, quum idem infinitis paene locis occurrat.

10. ἡ ἀξίνη πρὸς τ. ῥ. τῶν δένδρων κεῖται — βάλλεται) Sensus est: Iam imminent poenae diuinae improbis et pertinacibus paratae. Quicunque malus est, nec animum moresque emendat, iustam sentiet animaduersionem. Solent nempe homines boni maliue arboribus bonis aut malis comparari. Ps. I. Matth. VII, 17-20. Rom. XI, 17. Erant Iudaei in ea opinione, si Messias adueniat, gentes omnes nouis suppliciorum generibus, et portentis inusitatis in lacum ignis perpetui deiectum iri, se autem omnes fore incolumes et beatos. Ioannes autem Iudaeis etiam, qui poenitentiam non essent admissuri, iustas denuntiat poenas.

11. ἐν ὕδατι) ἐν ex Hebr. Idiotismo redundat; quod saepissime fieri solet. εἰς μετάνοιαν) εἰς caussam finalem indigitat. *Ad.* Vel secundum Grotium: *Super professione poenitentiae quam facitis.* Hoc igitur uolebat Ioannes: Ego tantum aqua uos baptizo, et quidem eo consilio ut uos hoc solemni ritu obstringam meliori uitae, quam promittere debet is qui baptismum suscipit. ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος) qui paulo post me munus suum auspicabitur, nempe Messias. ἰσχυρότερός μου ἐστὶν) *potentior, dignitate maior.* Hellenistae τὸ אל haud raro uertunt ὁ ἰσχυρὸς, δυνατὸς. ἱκανὸς) Idem ualet quod ἄξιος, Io. I, 27. Quo sensu etiam apud Profanos occurrit. τὰ ὑποδήματα βαστάσαι) Seruile ministerium. Sensus est: Indignus sum, qui mancipium apud illum agam. Nam seruorum erat, calceos dominorum portare. Βαστάζειν, quod proprie de magnis oneribus usurpatur, h. l. est φέρειν. βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί)

καὶ

καὶ πυρὶ ommittunt praeter Cod. Basileensem alii 50. iuniores. Librarii forsan studio praetermiserunt, quia non intelligebant. βαπτίζειν h. l. metaphorice accipitur, et significat: *largiter perfundere*, Act. I, 5. πνεῦμα ἅγιον, notat dona spiritualia extraordinaria, uisibilem spiritus sancti effusionem. Io. VII, 39. Ἐν πυρὶ h. l. est *inter ignem, inter fulmina missa.* Respicitur ad historiam Act. II. Die nempe Pentecostes dona spiritus sancti data sunt inter fulmina et ignes. *Ego*, inquit Ioannes, *baptismo uos meliori uitae obstringere possum; sed post me ueniet aliquis, qui eximia dona hominibus largietur.* Aliis πῦρ est Symbolum grauissimarum poenarum; ut sensus sit: *Largissime imbuet doctrina coelesti,* (eos, qui disciplinae eius se tradunt,) *aut grauissime puniet*, (eos, qui emendari nolunt.) Prior explicatio facilior esse uidetur.

12. οὗ τὸ πτύον — ἅλωνα αὐτοῦ) *Qui uentilabro, quod in manu habet, purgabit aream suam*, i. e. triticum, quod est in area. In uerbis: οὗ τὸ πτύον etc. est Hebraismus, pro: ἐν οὗ χειρὶ τὸ πτύον. *Tritico* comparantur boni homines, *paleis* mali, homines nauci. Sensus est: *Accurate discernit bonos et malos; perspicit etiam intimos recessus animorum.* Area est locus sub dio frumentis et ceteris leguminibus per boues exprimendis facta. καὶ συνάξει — ἀσβέστῳ) ἀποθῆκαι non sunt horrea, sed *cauernae subterraneae,* in quibus Orientales frumentum, uinum et oleum asseruare solent. cf. b. *Fabri Beobachtungen über den Orient* P. II. p. 463. Vtitur hac uoce *Aquila* Prou. III, 10. ubi Symmachus uertit θησαυροὺς, LXX. ταμιεῖα. πῦρ ἄσβεστον significat talem ignem, qui non prius extingui potest, quam omnia consum-

 serit

ſerit atque deleuerit. Alii ignem infernalem intelligunt. Solebant, poſtquam frumentum in horreum comportatum eſſet, paleae ſub diuo iacenti ignem immittere, quo citiſſime conſumebatur, cum rapidus incendia flatus uentilaret. Senſus eſt: *Bonos tuebitur, a calamitatibus liberabit, et ſeruabit; malos autem grauiſſime puniet.* Ipſe erit doctor et iudex.

13. Τότε — τῦ βαπτισθῆναι) ſc. ἕνεκα. Paulo ante initium muneris ſui adueniebat Ieſus cum aliis Galilaeis, a Ioanne baptizari cupientibus. Narratur hiſtoria inaugurationis Ieſu ad munus Meſſiae, ſane memorabilis.

14. χρείαν ἔχω ὑπ.) opus mihi eſt ut baptizer abs te. Tui baptiſmi indigens ſum. Neſciebat quidem Ioannes tum, Ieſum eſſe Meſſiam, Io. I, 33. ſed agnoſcebat tamen in eo hominem ceteris longe praeſtantiorem.

15. ἄφες ἄρτι) ἀφιέναι hic eſt *ſinere*, ut infra VII, 4. 5. πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην) *Cumulate ſatisfacere officio*, plene ac perfecte facere quod eſt ius, fas, (δίκαιον) nihil officii in ulla parte uitae munerisque reliquum facere. Chriſtus nempe non egebat baptiſmo, quum nec peccatorum confeſſio, nec remiſſio peccatorum cum baptiſmo coniuncta in eum caderet. Volebat tamen a Ioanne baptizari, quia per hanc occaſionem innoteſcere populo Iudaico (Io. I, 31.) et partim miſſa coelitus uoce Filius Dei, partim Spiritu inſtructus adſpectabili ſigno declarari debebat. Vid. Ven. MORI diſſ. *de Chriſto, demandatum ſibi a Patre duplex negotium exſequente cum uirtute* etc. in diſſertt. Theologicis p. 320.

16. ἀνέβη

16. ἀνέβη εὐθὺς) i. e. *uix ascenderat.* Non enim uult subito ascendisse Christum ex amne, sed ut ascenderat subito factum quod sequitur. In hunc ferme modum εὐθέως utitur *Marcus I,* 29. ἀνεώχθησαν ἀυτῷ οἱ ὐρανοί) *Coelum apertum est,* apud Profanos tria significat: tonuit, nubes discesserunt, et lumen effulsit. Euangelium *Ebionit.* ap. Epiph. H. 30. Καὶ εὐθὺς περιέλαμψεν τὸν τόπον φῶς μέγα. Iustinus M. Dial. c. Tryph. p. 315. edit. Colon. πῦρ ἀνήφθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ. Discesserunt itaque nubes, et fulgura apparuerunt. ὡσεὶ περιςερὰν) Ambiguum uideri posset loquendi genus. Potest enim intelligi aut *species columbae uisa*; aut quod uisum est, ita descendisse, quomodo columbae solent. Mihi posterius placet. Visus est nempe fulgor, non subito, (ueluti quum aliquid dicitur ut sagitta i. e. celeriter de coelo delabi,) sed paullatim, ut columbae solent, descendens. Volatus enim columbae, descendentis praesertim, habet aliquid singulare. Aeneid. V, 217. Nec repugnat Lucas c. III, 22. Nam σωματικῷ εἴδει est *uisibili specie,* non περιςερᾶς, sed ὡσεὶ περιςερὰν descendisse Spiritum, i. e. Symbolum Spiritus sancti dicit Euangelista. Hoc Symbolum autem in Iesum descendentis Spiritus S. erat fulgor eximius, ut die Pentecostes Act. II. et alias saepe in V. T. Τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ *descendens* igitur non erat persona Spiritus sancti; (huic enim, utpote omnipraesenti motus localis tribui non potest,) sed corporea quaedam, et quidem ignea species e nubibus delapsa, non tantum Iesu, sed et Ioanni ac populo adstanti uisa, qua attenti reddebantur omnes qui tum forte aderant, ut cognoscerent, hunc Iesum muneri Messiae gerendo esse destinatum. Haec species corporea fuit *Symbolum externum* uenientis super Iesum *Spiritus sancti:*

cti; uocatur enim τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. *Dotes* eximias intelligi, plerique interpretes consentiunt; et confirmatur haec sententia ex locis, ubi Iesus, quicquid fecit ac docuit, ἐν πνεύματι fecisse ac docuisse dicitur, e. c. cap. IV, 1. XII, 28. Luc. IV, 18. coll. 21. Act. X, 38. Sed quaeritur, quales fuerint istae dotes Spiritus sancti cum Iesu tum, quum baptizaretur, communicatae? Haec difficilis quaestio dirimenda est non ex coniecturis, sed ex usu linguae Scriptoribus sacris peculiari. Est autem notissimum, hebraico loquendi usu, quem Scriptores N. T. perpetuo imitantur, רוח, πνεῦμα saepissime dici de quauis animi uirtute, et רוח יהוה πνεῦμα Θεοῦ esse *permagnam et praestantissimam animi uim.* Persaepe exprimitur hac phrasi *magnus animus*, *fortitudo insignis*, et *Spiritus Dei super homines praeclaros uenisse dicitur*, quando insignis et plane singularis, uel etiam magnus animus iis accessit, ad magna negotia suscipienda. Cf. Iudic. III, 10. VI, 34. XI, 29. XIV, 6, 19. XV, 14. coll. XVI, 19. 20. Ies. LXI, 1. Quum igitur nostro loco τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ super *Iesum* descendisse dicitur, haud dubie sensus est, Iesum ualde commotum animo iam firmiter decreuisse suscipere munus docendi, uel Messiae prouinciam difficillimam, molestiis et maximis periculis plenam. Quare non sine caussa addit Lucas c. III, 21. accidisse hoc Iesu *inter precandum* προσευχομένου (αὐτοῦ.) Notitiis certe atque dotibus ad docendum necessariis tum temporis instructum esse Iesum, non est credibile. Hae enim per naturam rei unius horae spatio suppeditari haud possunt. Accedit, quod Iesus a primis pueritiae annis se ad munus docendi praeparasse, et sapientia creuisse dicitur, Luc. II, 40—52. ut taceam,

propter

propter intimam coniunctionem filii Dei cum homine Iesu noua institutione non opus fuisse. Puto igitur Iesum hominem tum, quum baptizaretur, excitatum esse ad suscipiendum forti animo difficillimum munus. In hoc suo proposito confirmatus est uoce coelesti, cuius statim u. 17. fit mentio.

17. φωνὴ ἐκ τῶν ὀυρανῶν) i. e. *Tonitru*, קול אלהים. Deus ipse uoce coelesti declarauit, hunc Iesum esse Messiam. ὁ ἀγαπητὸς) Cum articulo, charissimus, dilectissimus. Ita proprie uocatur filius unicus. Graeci interpretes uocem יחיד quae unicum significat, solent uertere ἀγαπητὸν Gen. XXII, 2. 12. 16. Iud. XI, 34. Ier. VI, 26. ἐν ᾧ εὐδόκησα) Haec uerba ex Ies. XLII, 1. leuiter immutata et huc translata sunt. Phrasis autem εὐδοκεῖν ἐν τινί est Hebraismus 1 Par. XXVIII, 4. Significat proprie in eo acquiescere, quod quis probauit. — Qui mihi acceptus est. Declaratus itaque est Iesus modo maxime solenni pro filio Dei unico, et uero Messia. Nam *filius Dei* et *Messias* Iudaeis erant Synonyma. Quo sensu autem Christus esset *filius Dei* hoc per Apostolos demum declaratum est.

CAP. IV.

1. Τότε — ὑπὸ τοῦ διαβόλου) Multa sunt in hac narratione obscura, quae ad liquidum perduci uix possunt. Hoc tamen facile apparet, Iesum hominem, qui nunc inchoare uellet munus difficillimum et periculis plenum, iussu diuino se in desertum contulisse, ut a populi commercio semotus, precibus, ieiuniis et meditationibus se praepararet muneri, et firmaret animum aduersus grauissima pericula, molestias et tenta-

tentationes, quibus ſe expoſitum fore facile praeuidere potuit. Dicitur Ieſus ſeceſſiſſe εἰς τὴν ἔρημον. Quaenam ſolitudo h. l. ſit intelligenda non conſtat. Veriſimile tamen eſt, intelligi deſertum *Quarantaniae*, quod a Ierichunte tendit per montana Bethelis, ualde horridum, duobus fere milliaribus cum dimidio diſtans ab Hieroſolymis. Quare *Marcus* c. I, 13. addit, Ieſum in ſolitudine fuiſſe cum feris beſtiis. Vid. *Anton. Frid. Bueſchingii* Harmonia Euangeliſtarum, p. 7. 8. In hanc ſolitudinem actus eſſe Ieſus dicitur (ἀνήχθη, pro ſimplici ἤχθη, ut Act. XVI, 34.) ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Dudum exploſa eſt eorum ſuperſtitioſa opinio, qui Ieſum a malo daemone per aërem actum eſſe in deſertum ſtatuunt. Eſt potius ὑπὸ τ. πν. *inſtinctu et impulſu diuino.* (Cf. Luc. II, 27.) *Lucas* habet c. IV, 1. Ἰησοῦς πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου κ. τ. λ. *Marcus:* τὸ πν. αὐτὸν ἐκβάλλει, *Spiritus eum exire iubet.* De uera notione uocis πνεῦμα ἅγιον cf. notata ad c. III, 16. Πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου. Infinitiuus πειρασθῆναι non indicat conſilium Ieſu, ſed euentum. Non ſeceſſit Ieſus, ut ſe tentandum praeberet, ſed ut uacaret precibus, ieiuniis et meditationibus. Quum autem his eſſet intentus, permittente Deo id euenit, quod iam narratur. Πειράζειν, *experiri aliquem, quid ualeat; ſollicitare ad peccandum.* Iac. I, 13. Sollicitatus eſt igitur Ieſus, ut aliquid faceret, quod munere nunc ſuſcipiendo eſſet indignum, uel etiam a propoſito munus hoc difficillimum et periculoſiſſimum ſuſcipiendi prorſus deſiſteret. Is, qui Ieſu inſidiatus eſt, uocatur ὁ διάβολος, ὁ πειράζων (u. 3.) et σατανᾶς (u. 10.) Διαβάλλειν non tantum eſt *calumniari,*

ſed

ſed ſaepe etiam *decipere*. *Heſychius* διαβάλλοντο explicat ἐξηπάτησαν. *Ariſtophanes* in Equit. πανουργότατον καὶ διαβολώτατον iungit, et huic tribuit τὸ ἐξαπατᾶν. Vox σατανᾶς origine eſt hebraica, שטן, quam LXX modo ἐπίβουλον, modo διάβολον reddiderunt. His igitur uocabulis deſcribitur aliquis, qui dolo et aſtu alterum aggreditur, ut eum ad peccatum uel indignum aliquod facinus impellat. Qui autem hoc facit, eſt ὁ πειράζων, i. e. πειράζει. Saepe *hominibus* aſtutis et per fraudem inſidiantibus tribui nomen *Satanae* et *diaboli*, dubio caret. Vid. 1 Chron. XXI, 1. Matth. XVI, 23. 1 Tim. III, 11. Interdum etiam homo peſſimus, diabolica indole praeditus uocatur διάβολος. Io. VI, 70. Saepius in ſacris litteris κατ' ἐξοχὴν uocatur ὁ σατανᾶς et ὁ διάβολος malus ille daemon, qui pro auctore habetur omnium peccatorum et ſcelerum. Solenne eſt autem Scriptoribus ſacris dicere, improbum illum Satanam dixiſſe uel feciſſe, quod dixerunt uel fecerunt improbi et callidi homines, diabolica indole praediti, e. g. 1 Petr. V, 8. 2 Cor. XIII, 7. 1 Theſſ. II, 18. Equidem non dubito, noſtro etiam loco intelligendum eſſe hominem improbum, callidum, qui amicitiam ſimulans, impellere ad facinus aliquod indignum, uel etiam prorſus deterrere a propoſito conaretur Ieſum. Nam colloquia cum eo inſtituit; comitatus eſt eum etc. Niſi igitur anilibus fabulis de ui et poteſtate diaboli in alias formas ſe mutandi fidem adhibere uelimus, concedendum ſane erit, eum qui Ieſum ſollicitauit, fuiſſe hominem, ſed hominem peſſimum, callidiſſimum, et uerſutiſſimum ſimulatorem. Non continua ſerie iſtas tentationes ſe excepiſſe, quin potius aduerſarium per interualla, prout ſeſe offerret occaſio, artium ſuarum feciſſe periculum,

ſcite

ſcite iam obſeruauit *Gottfr. Olearius* in obſeruatt. in Eu. Matthaei p. 108 Quis is fuerit, id plane ignoramus; et ipſe Ieſus ignoraſſe uidetur. Ignoramus etiam, unde peſſimus iſte nouerit, Ieſum eſſe Meſſiam? Potuit adeſſe, quum Ieſus baptizatus et publice uoce coeleſti Meſſias declaratus eſt. Potuit ex colloquiis cum Ieſu inſtitutis reſciſcere quis eſſet. Quid horum uerum ſit, plane ignoramus. Confer tamen ad u. 5. annotanda. Multo difficilior eorum uidetur eſſe ſententia, qui putant Ieſum interne tantum tentatum eſſe, malis cogitationibus animo eius a diabolo ſuggeſtis, aut non reuera, ſed in uiſione prophetica haec contigiſſe, ceu *Io. Clericus* in animaduerſionibus prim. edit. ad Hammondi Commentar. N. T. et *Abr. Scultetus* in deliciis bibl. et alii arbitrati ſunt, quam ſententiam exornare ſtuduit *Hugo Farmer*, Anglus, in peculiari libro, quem Reu. *Schwager* in uernaculam noſtram tranſtulit. Bremae 1777. 8.

2. καὶ νηςεύσας — ἐπείνασε) Senſus eſt, Ieſum finitis quadraginta diebus uim famis ita ſenſiſſe, ut uix amplius reſiſtere poſſet. Qui putant Ieſum per omnes illos quadraginta dies ne minimam quidem famem ſenſiſſe, illi nimis urgent uerba. Moſes etiam et Elias per 40 dies et noctes ieiunaſſe dicuntur, Exod. XXXIV, 28. 1 Reg XIX, 7. 8. et ſolebant alii etiam ieiunio et precibus, h. e. precibus tam ardentibus, ut interdum cibum ſumere negligerent, muneri ſacro gerendo ſeſe praeparare, Actor. XIII, 3. XIV, 23. Sed Ieſus in ſolitudine illa horrida ne habuit quidem unde famem depelleret.

3. καὶ προσελθὼν — γένωνται) *Et quum ad eum accessisset tentator, dixit: Si es Messias, iube uerbo, ut hi lapides panes fiant.* Ὁ πειράζων, i. e. ὁ πειραστής, (Hellenistae enim saepe more Hebraeorum, qui uerbalibus destituuntur, uice eorum participia usurpant,) *insidiator*, per fraudem ad peccandum sollicitans. 1 Thess. III, 5. 1 Cor. VII, 5. Πειράζειν uniuerse est *explorare*; saepius autem in malam partem sumitur pro *insidias struere, ad peccandum sollicitare.* Matth. XVI, 1. et locis modo citatis. Is igitur qui ad Iesum accesserat, uoluit ei insidias struere, eumque impellere ut aliquid faceret, quod persona Messiae esset indignum. Primo ei suasit, *ut si crederet se esse Messiam, miraculum ederet ad depellendam, quam tum sentiebat, famem.* Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, *si es Messias* (c. III, 17.) εἰπέ, *iube uerbo* ἵνα οἱ — γένωνται, *ut hi lapides* (hic obuii) *panes fiant.* Breuius haec narrantur. Videtur enim ὁ πειράζων de aliis etiam rebus collocutus esse cum Iesu antequam hoc diceret. Hoc uidetur uoluisse dicere: Non est credibile, uocem illam, qua nuper declaratus es Messias (c. III, 17.) fuisse diuinam. Videris phantasia deceptus ipse imponere humeris tuis onus, cui ferendo eris impar. Quodsi tamen tibi persuades, a Deo ipso tibi esse demandatam Messiae prouinciam, nunc fretus eius auxilio ad pellendam famem lapides hos muta in panes. Certe enim fame perire Deum pati Filium suum, indignum est, ut adeo certo tibi ex eo, quod μεταμόρφωσιν istam praestare nequeas, constare possit, te non esse Messiam. Speciosa sane oratio! Sed indignum persona Messiae fuisset, si abiecta fiducia in Deum, sui ipsius conseruandi caussa miraculum fecisset. Adeo

patiens malorum debuit eſſe Ieſus, ut etiam cruci ſe affigi ſineret, nec per miraculum impediret conatus hoſtium, nec deſcenderet de cruce. Ad ſolam aliorum hominum utilitatem conceſſa erat ei facultas patrandi miracula. Quare reſpondet Ieſus:

4. οὐκ ἐπ' ἄρτῳ — ςόματος Θεοῦ) *Deus non tantum pane, ſed quocunque etiam alio modo conſeruare poteſt uitam hominis.* Deut. VIII, 3. Ἐπὶ παντὶ ῥήματι, *quacunque re*, Luc. I, 37. Ἐκπορευομένῳ διὰ ςόματος Θεοῦ) *quod egreſſum fuerit ex ore Dei*, i. e. quod Deus conſtituerit et decreuerit. Thren. III, 38. Iud. XI, 36. Vita hominis non pendet a pane, ſed a uoluntate et decreto Dei; qui non tantum pane, ſed quacunque alia re poteſt conſeruare uitam hominis. Sic olim conſeruauit uitam Iſraelitarum in deſerto, Manna depluente.

5. Τότε παραλαμβάνει — πόλιν) *Tum aſſumit* (et deducit) *eum deceptor in urbem ſanctam,* Hieroſolyma. Ridiculi ſunt, qui Ieſum a Diabolo in aërem ſublatum, et Hieroſolymam raptatum ſibi perſuadent. Παραλαμβάνειν ſignificat haud raro *comitem ſibi adiungere, eumque in aliquem locum abducere.* Matth. XVII, 1. Num. XXIII, 14. *Hermannus von der Hardt* (in Ephemerid. Philolog. diſc. 1. de ala templi Hieroſolym.) iam ſuſpicatus eſt, hunc, qui Ieſum deduxit Hieroſolyma, fuiſſe quendam ex Primoribus Iudaeorum, inſignem Ieſu aduerſarium, cum eo congreſſurum, eumque coram ſynedrio rebellionis accuſaturum. Quae opinio egregie conſpirat cum iis, quae nos ad u. 1. monuimus. Qui obiiciunt, Ieſum ante auſpicia muneris ſui Iudaeis ignotum fuiſſe, ii non cogitant, multos fuiſſe teſtes et

et ſpectatores inaugurationis eius ſolennis, c. III, 16. 17. Synedrio autem diſplicuiſſe et Ioannis baptismum, et Ieſu conſilium, quis dubitet? Quum igitur ὁ πειράζων, quisquis ille fuerit, uideret, Ieſum a propoſito munus Meſſiae ſuſcipiendi deterreri nullo modo poſſe, alia ratione aggreſſus eſt eum. Simulauit, ſe eius reſponſione (u. 4.) acquieſcere, et ſuaſit ei, ut iam Hieroſolyma ſe conferret, ibique muneris auſpicandi gratia inſpectante populo inſigne aliquod miraculum ederet. Sine dubio Ieſus Hieroſolymis cibo ſe refecit; cur enim in urbe, ubi alimenta non deerant, abſtineret a cibo, nulla poteſt excogitari idonea ratio. Hanc autem περίστασιν commemorari non opus erat, quum per ſe facile intelligatur. Ceterum *urbem Hieroſolyma* Matthaeus, Hebraeis ſcribens, appellat urbem ſanctam et infra c. XXVII, 53. ſicut Ioannes in Apocalypſi, nimirum ex receptiſſima conſuetudine. Siclorum inſcriptio erat *Ieruſalem ſancta.* καὶ ἵστησιν — τοῦ ἱεροῦ) *et transfert eum in pinnaculum templi,* i. e. confert ſe cum eo in illud pinnaculum. De hoc pinnaculo uariae ſunt interpretum ſententiae. Multi interpretes accipiunt de *porticibus,* quibus templum circumdatum erat. Sed obiiciunt alii, πτερύγιον nuſpiam ſignificare *porticum prope aedes uel aedem conſtructam. Krebſius de faſtigio ſiue ſuperiori parte templi* accipere mauult; ſed dubitationem non tollit, quod Ioſephus tradit, *faſtigio templi* fuiſſe *obelos ferreos* affixos, ut ne aues ibi conſidere poſſent. *Wetſtenius* intelligit *tectum* porticus regiae. Secundum deſcriptionem Ioſephi columnarum huius porticus mediarum altitudo erat pedum centum: ipſius autem uallis profunditas quadringentorum cubitorum. Quanquam uero haec omnia ſunt

 incerta,

incerta, uerisimile tamen est, porticum aliquam templi esse intelligendam. Nam πτερὸν et πτέρυγα architectorum esse uocem, et significare *alam*, porticum, uel quicquid a latere alicuius rei prominet, fuse ostendit *Gottfridus Olearius* in *obseruationibus sacris* ad Eu. Matthaei. Porticibus autem circumseptam fuisse aedem sacram Hierosolymitanam, omnibus notum. Porticus uero istae ingentibus lapidum molibus erant superstructae, quas ex profundissimis uallibus eduxerat Salomon, ut adeo ex istarum porticuum tectis praecipitia ista non sine uertigine oculorum spectari possent. Fuse eas descripsit Iosephus de B. I. L. VI. et Antiqq. l. VIII. Non per miraculum, sed ambulandi et colloquendi caussa τὸν πειραστὴν ascendisse cum Iesu in tectum alicuius porticus, per se clarum est. Plana enim fuisse plerumque tecta aedificiorum apud Orientales, et ita comparata, ut in iis ambulare, edere, dormire possent homines, res est notissima.

6. καὶ λέγει — σεαυτὸν κάτω) *Et dixit ei: si filius es Dei* (Messias) *fac te praecipitem ex hoc loco.* Suadet improbus ille Iesu, ut ex tecto, in quod eum eduxerat, demittat se, quo scilicet omnibus, in atriis proximis obambulantibus, filium Dei uel Messiam esse ipsum, innotescat. Insigni quodam miraculo, inquit, ostendendum est, te esse Messiam. Si igitur praecipitem te ex hoc loco conieceris, et mihi et omnibus aliis constabit, te esse quod putas: si facere uel non audeas, uel non possis, pone quaeso opinionem superbam, qui tantilla re, filium Dei te esse, probare non ualeas. Vt uero uim argumento suo addat maiorem ὁ πειραστὴς uersutissimus, promissionem quoque

allegat

allegat diuinam, qua omnibus piis ſingularem angelorum tutelam polliceatur Deus, certius profecto unice dilecto praeſtandam. Sic enim pergit: γέγραπται γὰρ — — τὸν πόδα σου) *Scriptum eſt enim, angelis ſuis mandauit de te, ut te tueantur, ne ullo modo laedaris.* Pſ. XCI, 11. 12. Τὸ αἴρειν hic non declarat iacentem ſubleuare, ſed *in manibus ferre et geſtare,* hoc autem eſt *tueri.* Quod omiſſum uulgo creditur, *in omnibus uiis tuis,* id, ſi ſenſum ſpectes, omiſſum non eſt. Quum enim ſtilo Hebraeorum *uia alicuius* ſignificet *omnem uitam eius,* comprehenditur id κατὰ τὴν διάνοιαν in uerbis περὶ σοῦ, ἀροῦσι σε, μήποτε προσκόψῃς τὸν πόδα σου. Fallacia potius tentatoris in eo erat, quod locum male applicabat ad cauſſam quae tum agebatur. In Pſalmo promittitur piis auxilium in malis fortuitis, quae contingere poterant *aut inſciis aut inuitis,* non autem iis qui temere et ſine iuſtis rationibus ſeſe periculis obiiciunt.

7. ἔφη αὐτῷ — τὸν Θεόν σου) Πάλιν, *uiciſſim, e diuerſo.* Ieſus nempe tentatori aliud ſcripturae oraculum opponit, ex Deut. VI, 16. Ἐκπειράζειν τὸν Θεὸν hic eſt, Dei *potentiam* aut *prouidentiam* uelle amplius experiri, quum ſatis magna iam eius documenta apparuerint. Cf. etiam Ieſ. VII, 12. Act. XV, 10. Reſpondet igitur Ieſus, non poſſe eum promittere ſibi auxilium diuinum, qui ex temeritate facere audeat quod ſui officii non eſt.

8. Πάλιν παραλαμβάνει — αὐτῶν) *Alia uice deceptor in montem praecelſum eum deduxit, et luculenta oratione omnia mundi imperia omnesque diuitias eorum oculis ipſius ſubiecit.* Πάλιν, *alia uice, alio tempore.* Non enim uidentur ea quae hic narrantur, continua ſerie, ſed per inter-

ualla atque diuersis temporibus contigisse. Nouo doso aggressus est Iesum nequam praeuaricator. An is mons, in quem se cum eo contulit fuerit *Nebo*, Deut. XXXIV, 1. uel *Quarantania*, uel alius, frustra quaeritur, tacente historia. Hoc autem probe notandum est, uerba δεικνύειν, ὑποδεικνύειν, ἀποδεικνύειν non semper significare *monstrare digito*, sed etiam interdum, ut hoc nostro loco, *oratione ostendere* atque *menti repraesentare*. Matth. XVI, 21. Obseruandum est etiam, non propterea praecise τὸν πειραστὴν exspatiatum esse cum Iesu in montem, quod alia ratione δεῖξιν illam omnino praestare non posset: (hoc enim in ima ualle, imo et spelunca quacunque facere potuisset.) sed loci simpliciter notari περίστασιν, (ut infra c. XVII, 1.) quae sane propterea hic magis erat obseruanda, quod ex ipsa ea occasionem noui experimenti captare potuerit tentator. Dum enim ita una in montis fastigio obambularent, et in uicinas quasdam prouincias, populi Romani obnoxias imperio, pateret prospectus, de illis, uiribusque earum, et opibus, totiusque adeo Romani Imperii facie sermones miscere coeperunt. Vnde tentator occasionem sumsit suadendi Iesu, quod ei suasisse mox dicitur. Ἡ δόξα, *diuitiae*, *uires*, *opes*. Multa egregie obseruauit in totum hunc locum *Gottfr. Olearius* in obseruatt. in Euang. Matthaei.

9. καὶ λέγει — προσκυνήσῃς μοι) Προσκυνεῖν h. l. non est adorare sensu stricto, quum aliquem precibus imploramus, sed est in sensu ciuili *supplicare*, *prolabi in genua uenerandi caussa*. Cf quae diximus de huius uerbi significatione supra ad c. II, 2. Videtur tentator suasisse

Iesu,

Iesu, ut regia potestate atque dignitate uteretur, et statim initio muneris occuparet imperium. Quam in rem pollicitus est ei fortassis suam opem. *Dabo tibi*, inquit, *omnia haec regna*; i. e. consiliis meis et efficacissima opera mea efficiam, ut imperio non tantum Iudaeae, sed et aliarum gentium omnium potiaris, modo mihi eum honorem exhibere uelis, quem Reges minores Regibus maioribus exhibere solent.

10. τότε λέγει — λατρεύσεις) Ὕπαγε. Addunt ὀπίσω μου codices haud pauci, uersiones nonnullae, et Patres antiqui. Ὕπαγε σατανᾶ, *apage Satana*. Iisdem uerbis allocutus est Iesus Petrum, quum is aliquid consiliis diuinis contrarium dixisset atque suasisset, Matth. XVI, 23. Cf. supra ad u. 1. notata. Verba, quibus repellit Iesus tentatorem, extant Deut. VI, 13. Verbum λατρεύειν LXX interpretes interdum laxius usurpant, de quocunque genere cultus et uenerationis. Negat Iesus se callidis consiliis seductoris obsecuturum, eique tanquam Regi honorem cultumque exhibiturum, sed soli Deo eiusque prouidentiae se suasque res esse permissurum.

11. τότε — ὁ διάβολος) Relinquit eum, cum dedecore uictus, sua, quam conceperat spe, frustratus. καὶ ἰδοὺ — διηκόνουν αὐτῷ) Putauit *Zach. Webberus* angelos Iesu ministrantes fuisse certos homines, cibum potumque ei afferentes. Sed non opus est, ut hoc statuamus. *Angeli*, s. boni illi Spiritus sunt ministri prouidentiae diuinae; (uid. dicta ad c. I, 20.) et omnium piorum curam gerere dicuntur. Infra c. XVIII, 10. Innuitur ergo hoc loco, ut mihi quidem uidetur, Christum ab eo tempore luculen-

tissima prouidentiae, tutelae et beneuolentiae diuinae documenta expertum esse, et ipsa re cognouisse, uere diuinam fuisse uocem illam coelestem c. III, 17. Cf. etiam Io. I, 52. qui nostro loco plane est similis.

12. Ἀκούσας — τὴν Γαλιλαίαν) Sequitur *tertia* pars Euangelii, continens narrationem de dictis et factis Christi in Galilaea, quibus se Messiam esse demonstrauit. Res gestae Iesu maxime memorabiles narrantur u. 12. huius cap. ad XI, 1. Omisit Matthaeus quasdam historias a Ioanne c. I, 35. sqq. relatas, (quemadmodum Ioannes uicissim omisit historiam tentationis) et statim ad narrationem eorum, quae in Galilaea gessit et dixit Iesus, progreditur. Refert autem Matthaeus, Iesum secessisse in Galilaeam, quum percepisset Ioannem traditum esse, ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη, nimirum εἰς φυλακὴν, Ioannem captum esse. Cum multi et ad tumultum spectantes de Ioannis custodia ab auditoribus eius spargerentur sermones, Iesus eis se immiscere noluit, ideoque secessit in Galilaeam. cf. Cap. XIV, 5. XXI 26. Luc. XX, 6. Intelligunt nonnulli *Galilaeam* non Herodis, sed Philippi; nam huic pars maritima, in qua Bethsaida et Capernaum, obuenerat. Fuerunt etiam aliae caussae, cur potius in Galilaea, quam Hierosolymis et in Iudaea, inchoare uellet Iesus munus docendi. Nam Hierosolymitani et Iudaeae incolae, audito Messiae nomine, statim ad seditiones erant proni. A procerum autem insidiis uix fuisset tutus in iis regionibus. Denique Galilaeis, a Iudaeorum doctoribus paene neglectis, praecipue opus erat tali doctore.

13. καὶ καταλιπὼν — τὴν παραθαλλασίαι) Rationem, cur Nazaretham, ubi initium docendi fecerat, relinqueret Iesus, legimus Luc. IV, 16 — 30. Εἰς κατ. τ. παραθαλασσίαν, ad lacum Genesarum. Hebraeis etiam lacus maria uocari solent. Capernaum, urbs ualde amoena, in qua Petrus et Andreas habitabant, maxime opportuna erat Iesu. Fuit enim emporium florentissimum, et tum Iudaeis tum Gentilibus frequentatum.

14. Cf. Ies. VIII, 23. IX, 1. ubi Propheta satis clare describit felicitatem melioris cognitionis, impertiendae Israelitis per Messiam. Sensum exhibet Matthaeus, non singula Iesaiae uerba.

15. γῆ — ὁδὸν θαλάσσης) i. e. *incolae terrae Sebuloniticae et Naphtaliticae, adiacentis mari.* κατὰ τὴν ὁδὸν uel παρὰ τὴν ὁδὸν; regio quam homines maritimo itinere adire solent. LXX. apud Iesaiam: δι τὴν παραλίαν κατοικοῦντες. γαλιλάια τῶν ἐθνῶν,) cf. 1 Macc. V, 15. Symmachus uertit: ὅριον τῶν ἐθνῶν, quia Galilaea, inprimis superior, uicina fuit gentibus, Syris nempe ac Phoeniciis, et multi ex his uicinis gentibus habitabant inter ipsos Iudaeos.

16. ὁ λαὸς — φῶς μέγα) i. e. *Populus in tristi ignorantia uiuens, et calamitatibus pressus, luce doctrinae* coelestis illustratur. Κάθημαι, *dego, habito,* ut hebr. ישב. Σκότος significat metaph et *calamitates,* et ignorantiam et errores. Φῶς μέγα, magna lux cognitionis, et magna felicitas. Iudaei et Messiam uocabant lucem, et loca V. T. in quibus lucis fit mentio, ad Messiam trahere solebant. καὶ τοῖς καθημένοις — ἀνέτειλεν αὐτοῖς) *Degentibus in regione, ubi non-*

nisi superstitio tristis et calamitas, oritur lumen cognitionis. Ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου est ἓν διὰ δυοῖν, pro χώρα σκιᾶς θανάτου. heb. צלמות, cimmeriae regiones. Vel ἐν ᾅδου, qui diu iam quasi mortui sine spe in uitam redeundi iacuerant. Αὐτοῖς, Pleonasmus Hebraeis frequens. Non fortuito factum esse docet Matthaeus, ut Christus in Galilaea praecipue doceret.

17. Ἀπὸ τότε — οὐρανῶν) Non statim publice dixit Iesus, se esse Messiam, sed praeparauit tantum animos, uti Ioannes fecerat. Cf. dicta ad Cap. III, 2.

18. Iam tempus erat, ut Christus ex discipulis aliquos eligeret, quos familiares haberet, et testes omnium, quae faceret, ac doceret, et per quos deinceps institueret alios. Περιπατῶν — ἁλιεῖς) ὁ Ἰησοῦς deest in Codd. plurimis. Additum uidetur ab iis, qui ab hoc commate Lectionem ecclesiasticam incipiebant, non addituris, si comma praecedens etiam legissent. Hebraeis שמעון Συμεὼν uocabatur 2 Pet. I, 1. Graecis et Hellenistis Σίμων, Latinis Simo. Ἀνδρέας est Nomen Graecum. Ex quo dominatio successorum Alexandri Iudaeam occupauit, multa uocabula Graeca in linguam Iudaeorum irrepsere: unde factum ut reges, tetrarchae, pontifices et plurimi de plebe nomina etiam haberent Graeca. Non autem Pharisaeos, non Sacerdotes, non opulentos sibi delegit Christus, sed *piscatores*, i. e. pauperes, et indoctos. Nota piscatorum paupertas, et prouerbio dictus ἁλιέων βίος. Tales elegit Christus, tum ut molestias eo facilius ferrent, tum praecipue ut manifestum fieret, doctrinam Christi a Deo traditam esse, suaque se euidentia commendare. Sic suspicio non poterat habere locum, assensum

plebis

plebis aut ui extortum, aut pecunia emtum, aut artibus oratoriis captatum fuiſſe 1 Cor. I, 18-31.

19. δεῦτε ὀπίσω μου) i. e. *eſtote diſcipuli mei.* Nam diſcipuli Iudaeorum magiſtros ſuos, quocunque terrarum ambulabant, ſequebantur. ἁλιεῖς ἀνθρώπων) Vid. Ezech. XLVII, 10. Metaph. Efficiam, ut qui nunc piſciculis inſidiamini in perniciem, homines capiatis in ſalutem aeternam.

20. εὐθέως — ἠκολούθησαν αὐτῷ) ſtatim tanquam diſcipuli comitati ſunt eum. Neque tamen exiſtimandum eſt, illos temere et ſine iudicio, uel repentino quodam impetu animi incitatos hoc feciſſe. Andreas, cum diſcipulus Ioannis antea fuiſſet Io. I, 41. a magiſtro ſuo praeparatus et ad Ieſum deductus eſt; multa de Ieſu fama perceperant; Chriſtum ipſum uiderant et audiuerant. Cf. etiam Luc. V, 1-11.

21. Ἰάκωβον τοῦ Ζεβεδαίου) Sc. υἱόν. Hic autem Iacobus dicitur *maior*, ſiue aetate, ſiue ſtatura, ut diſcernatur a Iacobo minore, Marc. XV, 40.

23. ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν) Vox haec συναγωγὴ tam late patet, quam hebraea עדה, aut latina *conuentus.* Deinde uero coepit et ad loca transferri, in quibus conuentus rerum ſacrarum gratia habebantur, ut Luc. VII, 5. *Scholae Iudaica*, ſiue locus publicus, in quo Iudaei conueniebant, ut docerentur, et preces peragerent. In V. T. nulla fit Synagogarum mentio: unde colligitur, poſt reditum demum ex babylonica captiuitate aedificari coepiſſe. Magno autem

fuerunt

fuerunt numero, tum in Palaeſtina, tum alibi. Conueniebant in Synagogis ad legem legendam ter ſingulis hebdomadibus, die ſecundo, quinto, et ſeptimo, praeter tempora feſtorum et ieiuniorum ſolennium; quolibet autem die mane, et ueſperi ad preces. Chriſtus et Paulus iure communi et poteſtate, a Praefectis Synagogae cuilibet, quem idoneum iudicabant, promiſcue concedi ſolita, uſi ſunt, cum in Synagogis et legerent et praedicarent. Luc. IV, 16. 21. Act. XIII, 14. 15. 16. Multa et notatu digna congeſſit *Campeg. Vitringa* de Synagoga uetere. Edit. alt. Leucopetrae 1726. 4. τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας) Adeſſe tempus, quo Deus per Meſſiam olim promiſſum ſit collecturus hominum ſocietatem ſibi praecipue caram, in hac et futura uita felicem et uere beatam. πᾶσαν νόσον, *omnis generis morbum*. Vox πασᾶ hic, ut alibi indefinite ſumitur pro generibus ſingulorum. μαλακίαν) Proprie apud Medicos ignauiam ſtomachi ſignificat μαλακία, quam aliter uocant κίτταν: ſed pro iis morbis hic accipitur, quibus correpti, etſi non decumbunt, tamen languent et contabeſcunt. Interdum tam late patet, ut dolorem malumque omne includat, reſpondens Hebraeis uocibus מכאוב ut Iobi XXXIII, 19, et אסון ut Gen. XLII, 4. Heſychius: μαλακία, νόσος. μαλακίζεσθαι, ἀσθενῶς διακεῖσθαι, νοσηλεύεσθαι.

24. Ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ) *fama, rumor de eo.* hebr. שמע, et ſic adhibent Symmachus et Theodotion Ieſ. XXIII, 5. Heſych. ἀκοή, φήμη. ἀπῆλθεν, יצא, *exiit.* εἰς ὅλην τὴν Συρίαν) Galilaeae conterminam. τοὺς κακῶς ἔχοντας) ſc. ἑαυτοὺς, male ſe habentes, i. e. aegrotos. βασάνοις συνεχομένους) cruciatibus conſtrictos, uel compreſſos. ἡ βάσανος proprie

prie eſt coticula, qua aurum exploratur, Lapis Lydius. Transfertur autem ad quaſcunque quaeſtiones, etiam tormentorum. H. l. ſignificantur cruciatus atque tormenta morborum, συνέχειν, *comprimere, cruciare, affligere.* Heſych. συνεχόμενον, ἐναντιούμενον, ἀρρωστοῦντα. δαιμονιζομένους) Apud Graecos media eſt uox δαίμονος. Helleniſtae uero *Angelos lucis* noluerunt appellare *Daemonum* uocabulo, ſed in deteſtationem paganicae ſuperſtitionis nomen id proprium eſſe uoluerunt Spiritibus noxiis, quos Graeci diſcriminis cauſſa κακοδαίμονας, ueteres Latini *Veioues* appellarunt. Graeci δαιμονῶντας dixere eos, qui ira diuina exagitarentur, ut Euripides Phoeniſſis: ὡς δαιμονῶντας κἀνατρέψαντας πόλιν, Κακοδαιμονᾶν eſt apud Ariſtoph. in Pluto Act. II. Scen. 4. ubi extremam dementiam, furorem uehementiſſimum indicat. Habet δαιμονίζεσθαι Plutarch. Symp. Q. VII, 5. in fine. Iudaeis uſitatiſſimum erat, morbos quosdam grauiores eos praeſertim, quibus uel diſtortum eſt corpus, uel mens turbata et agitata phreneſi, malis ſpiritibus attribuere. *Ioſephus* Antiq. VI, 8. 2. τὸν Σάουλον περιήρχετο πάθη τινὰ καὶ δαιμόνια, πνίγμοὺς αὐτῷ καὶ στραγγάλας ἐπιφέροντα. Contra hanc Saulo a daemonibus illatam perturbationem, (πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν δαιμόνων ταραχὴν —) Dauides ſolus erat medicus. Idem *Ioſephus* Eleazarum quendam liberantem obſeſſos ex poteſtate Daemonum refert. Modum curationis his deſcribit uerbis: προσφέρων (Ἐλεάζαρος) ταῖς ῥισὶ τοῦ δαιμονιζομένου τὸν δακτύλιον, ἔχοντα ὑπὸ τῇ σφραγίδι ῥίζαν ἐξ ὧν ὑπέδειξε Σολομὼν, ἔπειτα ἐξεῖλκεν ὀσφραινομένῳ διὰ τῶν μυκτήρων τὸ δαιμόνιον. Antiq. VIII, 2. 5. Sunt multi in ea opinione, Daemoniacos, quorum in Euangeliis fit mentio, fuiſſe morbis ex naturalibus cauſſis ortis, affectos, Chriſtum autem et Apoſtolos accommodaſſe

loquendi

loquendi modo apud Iudaeos recepto. Daemoniacos uocatos esse insanos, furiosos uel modo aliquo mente laesos, contendit *Hobbesius*; (in Leuiath. c. 8.) epilepsia, uel alio grauiori morbo cum distorsione corporis et perturbatione mentis coniuncto affectos, *Thom. Bartholinus*, lib. de morbis bibl. art. 19. Prolixe hunc locum tractat, et multis argumentis sententiam illam confirmat *Wetstenius* ad h. l. Nostra aetate de daemoniacis et lunaticis multum disputatum est. Vid. S. V. *Semleri* diss. de Daemoniacis, quorum in Euangeliis fit mentio. 1760. et *umstaendliche Vntersuchung der daemonischen Leute* 1762. Adde *Hugh. Farmer's Briefe an D. Worthington ueber die Daemonischen in den Euangelien.* Cum not. et praefat. *Semleri* Halae 1783. D. *Theodori Gerh. Timmermanni Diatribe antiquario — Medica de Daemoniacis Euangeliorum.* Rintelii 1786. 4. Contrariam Sententiam cum multis aliis defendit Cel. *Hessius* in libro: *Veber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn.* Sect. 8. σεληνιαζομένους) Lunatici sunt, qui mente moti furore corripiuntur, et pro ratione lunae putantur plus uel minus moueri. παραλυτικούς) *Celsus* παράλυσιν transfert neruorum resolutionem, et Paralytici sunt *eneruati, languentibus et debilitatis corporis membris.* Ceterum eo consilio miracula edidit Iesus, ut homines attenti redderentur, et ad se libenter audiendum suauiter inuitarentur. Quo successu, statim dicitur.

25. Δεκαπόλεως) δεκάπολις, regio decem habens ciuitates. *Plinius* et Iosephus *Decapolitanam* regionem lateri Syriae adiungunt. Fuerunt autem illae ciuitates: Scythopolis, olim Bethsan, Gadara, Hippo, Pella, Caphar, Zemach,

mach, Beth Gubrin, Caphar Carnaim, Caesarea Philippi et Orbo.

CAP. V.

1. Ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος) τὸ ὄρος significat certum et notum montem, Taborem, uel alium urbi Capernaum uicinum. Infra VIII, 5. καθίσαντος αὐτοῦ) *Cum ibi consedisset.* Subintell. ἑαυτὸν, nam καθίζειν significat collocare. προσῆλθον) propius accesserunt discipuli, quam turba: sed docuit omnes, et discipulos et populum, quod manifeste patet ex c. VII, 28. 29.

2. ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ) Loquendi formula est mere hebraica, et pleonastice ponitur ab Hebraeis et Scriptoribus N. T. quum commemorare uolunt, *aliquem loqui* aut *docere uoluisse.*

3. μακάριοι — τῷ πν.) Vt recte intelligamus sequentem Christi sermonem, iucundissimum pariter ac utilissimum, sapientissimis monitis et praeceptis plenum, ob oculos habere debemus tum faciem, quae tunc erat, nascentis ecclesiae, i. e. eius societatis quae Iesum pro doctore et Propheta diuinitus misso agnoscebat, *tum* orationis totius scopum atque consilium. Iesus nempe et doctrina sua plane admirabili, et miraculis, quae eum a Deo missum esse, aperte loquebantur, iam omnium oculos ita in se conuerterat, ut maxima hominum multitudo ex Galilaea, Decapoli, Hierosolymis, totaque Iudaea, regionibus item ad Iordanem sitis (c. IV, 25.) ad audiendum ipsum accurreret, eumque sequeretur. Sed huius multitudinis maxima pars erat ignobilis, opibus minime affluens, eamque ipsam ob causam contem-

contemtui flori populi, Principibus, Phariſaeisque et Sacerdotibus. Multi ſperabant a Ieſu, quem Moſe nihil inferiorem exiſtimabant, ſaltem felicitatem a Moſe promiſſam, rerum omnium affluentiam, et ſi quae alia ſunt, quae hominem in hac uita beatum reddere creduntur. At eius rei exigua hucusque ſpes affulgebat, quum ſortis eſſent parum optabilis, quotquot eum hucusque ſecuti fuerant. Docet igitur ſequenti hoc ſermone Ieſus, quid expectandum, quid ſequendum ſit iis, qui ſe in eius diſciplinam tradituri eſſent. Quo autem attentiores reddat auditores, doctrinam ſuam proponit per enuntiata quaedam paradoxa, quae prima quidem ſpecie falſa uidentur, conſiderantibus autem ueriſſima eſſe agnoſcuntur. Vulgo diuites, opibus ſuis ſuperbientes, ſoli beati uocantur. Vt Iudaei in hoc cum uulgo ſentirent, ſuadebat ipſa religio, non Sadducaeis ſolum, uerum etiam Phariſaeis, qui quum donaria templi et multitudinem ſacrificiorum mirarentur, putabant eos Deo eſſe gratiſſimos, qui maiores hoſtias et plura dona afferrent. Huc accedit, quod ſe honoribus et diuitiis a Meſſia cumulatum iri ſperabant. Quare Ieſus ſermonem ſtatim his exorditur uerbis: μακάριοι ὁι πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι ἀυτῶν ἐ. ἡ βασ. τ. ὐρανῶν. *Beati quoad animum ſunt pauperes,* (humilis conditionis homines,) *nam ad eos pertinent beneficia regni Dei;* facile poſſunt adoptari in ſocietatem, quae Deo nunc colligitur, eiusque ſocietatis frui iuribus et beneficiis. Hunc horum uerborum ſenſum eſſe puto. Πνεύματι non refero ad ὁι πτωχὸς, (nam Lucas c. VI, 20. ſimpliciter habet: μακάριοι ὁι πτωχοὶ.) ſed ad μακάριοι, et πνεῦμα intelligo *animum.* Indicat nempe Ieſus, ſermonem ſibi eſſe de felicitate, quae ad animum, non ad corpus perti-

pertineat. Sed hoc ſemel monuiſſe ſufficere poterat; quare in ſequentibus commatibus πνεύματι repetere non erat opus. Alii uerba οἱ πτωχοὶ πνεύματι coniungunt, et *pauperes Spiritu* intelligunt eos, qui non fortuna tantum, ſed et animo ac uoluntate pauperes ſint, hoc eſt, ſorte ſua contenti placide in prouidentia diuina acquieſcant. Sed huic ſententiae forſan aliquis opponat, quod hac explicatione admiſſa, uideatur Chriſtus uerbis μακάριοι οἱ πραεῖς (u. 5.) dicere illud, quod ſignificari uolunt noſtro in loco. Videtur potius Ieſus proponere Paradoxon, quum aliquid dicitur, quod primo intuitu falſum eſt, ſed recte conſideratum uerum eſſe deprehenditur. Πτωχοὺς ex Hebraismo cum *Pricaeo* expono ταπεινοὺς. Nam hebr. עָנִי, quod LXX interdum exprimunt πτωχὸς, ſignificat non tantum *pauperem*, ſed et *afflictum, humilis et contemtae ſortis hominem*, ταπεινὸν, ut Ieſ. XXVI, 6. Deinde notandum etiam eſt, comparate hoc dici. Vulgo diuites et magnae dignitatis homines putantur eſſe feliciores pauperibus, et contemtae ſortis hominibus. Sed Chriſtus contrarium affirmat. Facilius enim pauperes et humiles ad religionem perducuntur, quam diuites et lautae fortunae homines. Cf. Matth. XIX, 23. 24. Quid ſit ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, explicauimus ſupra ad c. III, 2. Αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασ. τ. οὐρ. ii facile poſſunt eo adduci, ut huic ſocietati ſe addicant, diſcipuli mei fiant, et fruantur beneficiis quibus beantur religionis meae cultores.

4. μακάριοι — παρακληθήσονται) *Beati ſunt lugentes; accipient enim conſolationem*, recreabuntur. Hoc paradoxon, (ut illud u. 3.) iterum intelligendum eſt comparate.

Multo feliciores ſunt lugentes illis, qui ſemper fruuntur rebus ſecundis, et propter eas perpetuo gaudent. Παρακληθήσονται autem uerti debet: *facile conſolationem accipere* uel recreari *poterunt*. Non uno ſenſu uerum eſt hoc paradoxon. Dolores ſaepe ſunt gaudii principia. Saepe uoluptatibus immerſus, morte amici uel alio caſu duriori excitatus eſt, ut in ſe deſcenderet et mores emendaret. Vita humana perpetua laetorum et triſtium uiciſſitudine tranſigitur; feliciores autem ſunt, quorum luctus deſinit in gaudium illis, quorum gaudium deſinit in dolorem. Ieſ. XXII, 12. 13. Io. XVI, 20. Iac. I, 12. Rom. V, 3. 4. 5.

5. μακάριοι δι πραεῖς — τὴν γῆν) Τὺς πραεῖς non intelligo ex Hebraismo *ui et oppreſſione aliorum miſeros*, ſed *mites et manſuetos*, qui opponuntur iracundis et ferocibus. Iam uulgus putat, ignaui eſſe, de iure ſuo aliquid remittere, aut illatam iniuriam non ulciſci. Veterem iniuriam ferendo inuitari nouam. Ieſus autem mites et manſuetos beatos praedicat. Nam, inquit, κληρονομήσυσι τὴν γῆν, i. e. *quiete et tranquille in terra uiuent*. Verba ſunt petita ex Pſ. XXXVII, 11. Κληρονομεῖν, ירשׁ, *poſſidere*. *Terram autem poſſidere dicuntur*, qui in ea terra, in qua uiuunt, uitam tranquillam et quietam tranſigunt. Experientia teſte ſcimus, iram praecipitem funeſtos habere exitus; ueterem iniuriam ulciſcendo prouocari nouam; facilitate contra nihil eſſe homini melius. Infra u. 38 — 48. Cf. Prou. XXII, 24. 25. XV, 1. XXV, 8. 15.

6. μακάριοι — χορτασθήσονται) *Beati qui religionem et uirtutem appetunt; nam uoti compotes fient.* Fames et ſitis

ſitis tralatione uſitata uehementem quandam appetitionem ſignificat; e. g. auri ſacri fames; inexplebilis honorum fames; ſitiens uirtutis; famae ſitis. Δικαιοσύνη eſt doctrina Chriſti, et uirtus coniuncta cum ea. c. VI, 33. uia ſalutis, quam Deus monſtrauit c. XXI, 32. ὁδὸς δικαιοσύνης 2 Petr. II, 21. nam Helleniſtis hebr. צדק eſt et δικαιοσύνη, et ἀλήθεια, ut Dan. VIII, 12. Malach. II, 6. Δικαιοσύνη ergo ponitur pro: ἀλήθεια. Hanc ueritatem coeleſtem ſitit, qui ſerio et ſincere uiam quaerit, ut illam ingrediatur, quem neque metus, neque labor ac moleſtia ulla ab ea quaerenda abſterret. Qui igitur hoc faciunt, ii uoti compotes fient, uel fieri poſſunt.

7. ἐλεηθήσονται) Qui miſericordes et benigni ſunt, eorum Deus miſerebitur, et ipſi fruentur aliorum hominum benignitate. Iac. II, 13. Pſ. XLI, 2. 3. XXXVII, 25. 26. Matth. VI, 4.

8. οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ) Qui ſunt animo ſincero et caſto, alieni a fraude, dolo, et ſceleris impuritate. Καρδία, (לב) mentem ſignificat. Requirebant quidem uulgo puras manus, puram linguam, at de puro corde parum erant ſolliciti, putantes cogitationum poenam neminem pati. Chriſtus autem exigit etiam animi innocentiam. Infra u. 27. 28. Pſ. LXXIII, 1. τὸν θεὸν ὄψονται) i. e. *aeterna beatitudine fruentur.* Vt externa immundicies excludebat templo; ita interna excludit coelo 1 Ioh. III, 2. 3. purae autem menti praemium eximium proponitur, quod ſit fruitura cognitione Dei intuitiua 1 Cor. XIII, 12.

9. οἱ εἰρηνοποιοὶ) Pacem facere et pacificare non ii ſolum dicuntur, qui aliis diſſidentibus medios ſe interpo-

 nunt,

nunt, uerum etiam qui placabiles ſunt, et inimicitias facile deponunt. Rom. XII, 18. His opponuntur, qui diſcordias ſeminant, animos aliorum inflamant, et inimicitias immortales gerunt. *Pacifici.* υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται) *Filii Dei erunt*; i. e. ſingulari Dei amore fruentur. Deus in multis S. Script. locis uocatur Deus *pacis*. Senſus igitur eſt, eos, qui paci ſtudent, Deo ſimillimos, ac proinde etiam Deo dilectiſſimos fore, cf. u. 45. Eſt autem καλεῖσθαι hic, rem ea uoce indicatam conſequi.

10. οἱ δεδιωγμένοι — δικαιοσύνης) Qui uexantur, exagitantur, infeſtantur uirtutis, et praecipue religionis cauſſa. ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν) Vid. ſupra u. 3. Hoc autem loco praecipue reſpicitur ad praemia expectanda iis, qui propter religionem uexantur. Ciues huius ſocietatis uel reipublicae Chriſtianae conſtantes, qui mala perferunt propter bonam cauſſam religionis olim maxima accipient praemia.

11. ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς καὶ διώξωσι) Tertiis perſonis uerborum Graeci et Latini ſaepe imperſonaliter utuntur. πᾶν πονηρὸν ῥῆμα) *Quiduis mali.* πᾶν indefinite accipitur; ῥῆμα, hebr. דבר, pro indefinita particula uſurpatur. ψευδόμενοι additur, quia ſunt quae uere obiici exprobrarique poſſunt.

12. ἀγαλλιᾶσθε) Vox eccleſiaſticis Scriptoribus potius quam profanis nota. 1 Petr. I, 6. 8. proprie *prae gaudio exſultare*; metaph. *laetari*. Ὁ μισθὸς, *praemium*, non quidem debitum, ſed tamen ex gratuita Dei benignitate pro magnitudine laboris diſtribuendum. Τοὺς προφήτας, quos beatos praedicatis, Iac. V, 10. 11. Matth. XXIII, 29.

13. τὸ ἅλας τῆς γῆς) Quod ſal eſt cibis, hoc uos eſſe debetis ceteris hominibus, nempe omnium ſapientiſſimi et optimi. Salis praecipua uis eſt aduerſus putredinem. Hinc *ſapientia* ſal dici coepit; et proxime ad hoc loquendi genus accedit, quod *Liuius* Graeciam *ſal gentium* uocat. Vox γῆς et quae eſt commate ſequenti uox κόσμȣ haud dubie *generis humani uniuerſitatem* ſignificant, quomodo et *terrarum* et *mundi* uox Latinis uſurpantur. Senſus igitur eſt: Alii ex uobis diſcere debent, uos aliis exemplo eſſe debetis; uos omnium hominum debetis eſſe ſapientiſſimi et optimi. Ἐὰν δὲ — τῶν ἀνθρώπων) Senſus eſt: Quemadmodum ſal, quum ſaporem et uirtutem amiſit, nulli rei utilis eſt, ſed foras proiicitur: ita et uos, ſi defeceritis a religione et pietate, nullius apud me pretii eritis. Pro μωρανθῇ Marcus IX, 50. habet: ἄναλον γένηται, *inſulſum, quaſi ſine ſale.* Quaerunt, quomodo ſal ſaporem et uirtutem amittere poſſit; et reſpondent nonnulli: apud Iudaeos in uſu fuiſſe, praecipue in ſacrificiis, ſalem non foſſilem aut coctilem, ſed bituminoſum, quem Sodomiticum uocant. Sal ille nihil aliud eſt, quam bitumen ex mari mortuo, quae materia Aſphaltum genuit. Bitumen illud poteſt corrumpi et inſulſum fieri. Sed ne opus quidem eſt, cum tota locutio ſit prouerbialis, et ſal coctilis haud raro ſaporem amittat. Huic prouerbio ſimilia uide apud *Wetſten.* e. g. *Diog. L.* Diogene VI, 47. πρὸς τὸ ῥυπαρὸν βαλανεῖον, οἱ ἐνθάδε, ἔφη, λȣόμενοι πȣ͂ λȣ́ονται; *Ad Herennium:* Iſti, cum non modo dominos ſe fontium, ſed ſe ipſos fontes dicant, et omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, ſi, cum id polliceantur aliis, areſcant ipſi ſiccitate. Ἐν τίνι ἁλισθήσεται ſc. ſal. Quo ſalietur ipſum ſal? i. e. nulla re

re ſalietur ſal, uel ſaporem poterit recuperare. Marc. IX, 5 ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; Senſus eſt: Vos alios docere et emendare debetis, non autem expectare, ut alii uos doceant, et emendent.

14. Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου.) Quod ſol eſt mundo hoc uos praeſtare debetis aliis hominibus. Luce ueritatis ſalutaris alios illuſtrare, iisque exemplo ueſtro praelucere debetis. Τὸ φῶς τοῦ κόσμου. *Solem* proprie ſignificat Io. XI, 9. Transfertur autem ad homines praeclaros. אור העולם uocantur Sapientes in genere. In libro ſelectarum gemmarum: *Sapientes in terra ſunt quod luminaria in coelo; nam illuminant mundum et pellunt tenebras errorum;* ex capite de Sapientia. πόλις κρυβῆναι) Vult Chriſtus auditorum ſuorum integritatem non minus eſſe conſpicuam, quam ſolent eſſe urbes, quae in montis uertice ſunt collocatae, qualis erat Hieroſolyma. A ſale autem tranſit ad ſolem, quia utriusque maxima eſt utilitas.

15. Idem fere dicitur aliis uerbis. Καίειν h. l. eſt *accendere*. Μόδιον eſt uox latina; nam graecum nomen eſt μέδιμνος, ſed alia tamen menſura quam modii; nam modius eſt medimni ſexta pars. Cic. in Verr. III. 49. *Corn.* Nep. Att. Ex Graecia tamen, quamquam Graecis minus uſitata, in Latium uenit; et *Dinarchus* ea utitur, in Demoſth. *Syrus* modium uocat Satum, Hebraeorum more. καὶ λάμπει) Hebraismus, pro: ἵνα λάμπῃ. Senſus eſt: Quemadmodum lumen non eo fine accenditur, ut occultetur, ſed ut hominibus luceat: ita et ego uos in edito quaſi collocabo, et lucem ueritatis in animis ueſtris

ſtris accendam, ut per uniuerſum orbem doctrinam meam propagetis, et exemplo ueſtro aliis praeluceatis.

16. Propriis uerbis exprimitur, quod u. 14. 15. improprie dictum erat. In uerbis ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα καὶ δοξάσωσιν eſt Hebraismus pro: ἰδόντες δοξάσωσι. Tum uero δοξάζειν eſt collaudare, celebrare. Celebrant autem *Patrem coeleſtem*, optimum, maximum, ſapientiſſimum omnium rerum auctorem, conſeruatorem et εὐεργέτην, qui eum animo et factis colunt; hi per religionem felices redduntur et uere beati.

17. Μὴ νομίσητε — πληρῶσαι) Nolite exiſtimare, me talem eſſe doctorem, qui, quod praecipuum eſt in lege et Prophetis (Matth. XXII, 37.) abolere, et auctoritate ſua priuare uelit. Veni potius legem perficere, nouis praeceptis augere, *et docendo et uiuendo ſtabilire.* Καταλῦσαι τὸν νόμον eſt *legem abrogare, tollere, ſoluere uiolare.* Phraſis occurrit apud Heliodor. Polyb. Iſocr. aliosque. Hoc faciebant Phariſaei, additamentis ſuis et humanis conſtitutiunculis ſic aggrauantes legem, ut quod eſt illius praecipuum, (amorem Dei et proximi) negligerent et abolerent. Iidem uiuendo etiam doctrinam diuinam peruerterunt. Πληρῶσαι denotat: *facere quae lex iubet*, ut apud *Herodot.* τὸν νόμον ἐκπλῆσαι, et *Herodianum* πληρῶσαι ἐντολὰς - et *perficere, perfecte docere, legem ſtabilire agendo et docendo*, quae eſt ſignificatio hebraeo-graeca radicis גמר, et hic ui oppoſitionis locum habet cf. u. 19. ubi explicatur per ποιεῖν et διδάσκειν, cf. Rom. XV, 19. Col. I, 25. Dicit igitur Ieſus, ſui muneris eſſe ſatisfacere legi uita et factis. Nonne autem Chri-

ſtus maiorem partem legum Moſaicarum abrogauit? Reſp. Ille legem diſſoluit, qui bonis legibus ſublatis aut nullas aut malas fert; non ille qui meliores et temporibus aptiores ſancit. *Ariſtot.* Rhet. ad Alex. 3. τὸ προστιθέναι τοῖς ὑπάρχουσιν ἐ καταλύειν ἐςὶν, ἀλλ' αὔξειν τὰ καθεςῶτα. Perfecit legem Chriſtus tum agendo, et ſatisfaciendo legi uita et factis, tum addendo, tum ea auferendo, quae obſtabant, quo minus gentes cum Iudaeis in unam ſocietatem coaleſcere poſſent. De his autem tunc nondum erat locus diſtincte agendi.

18. ἀμὴν) Hebr. אָמֵן modo aſſeuerat, et idem ualet, quod Graecum ἀληθῶς, modo *deſiderii uehementiam* exprimit, et eam uim habet, quam apud Latinos aut *quaeſo* aut *utinam.* Iudaei hanc uocem ſolent adiicere precibus pro clauſula; quos et Chriſtiani ſunt ſecuti. ἕως ἂν παρέλθῃ — πάντα γένηται) Senſus eſt: *Vsque ad finem mundi perdurabit auctoritas earum legum, quas Prophetae tanquam praecipuas commendant; nec per me abolebitur, ſed potius confirmabitur et amplificabitur.* Locutione *citius coelum et terram interitura* etc. ſignificatur nunquam futurum eſſe id, de quo eſt ſermo. Παρέρχεται, *interit* coelum. Ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία ἀπὸ τȣ̃ νόμȣ, *ne minimum quidem ex lege.* Sunt hae etiam locutiones prouerbiales. Nimirum nominantur litterae, et apices, et intelligitur ſenſus in litteris, apicibus et uerbis latens. Similes locutiones inueniuntur apud Rabbinos; e. g. Si omnes nationes congregantur, ut aboleant Iod, quae minima eſt litterarum in lege, praeſtare illud non poterunt. Si quis Daleth. in Deut. VI, 4. אחד mutaret in Reſch, is concutiat totum mundum.

Κεραία

Κεραία eſt litterae minimus apex, e. g. ר et ד ſimiles ſunt, et paruo tantum apice diſtinguuntur. Παρέρχεσθαι autem nunc eſt irritum fieri.

19. Ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ — οὐρανῶν) *Quicunque igitur* uita uel uerbis derogauerit uel uni *ex minimis horum mandatorum*, et ita docuerit homines, is nullo plane numero erit in regno Meſſiae ; non erit dignus nomine Chriſtiani. Celebris eſt apud Iudaeos diſtinctio inter praecepta magna et parua. Manifeſtum autem eſt, Chriſtum hic non commendare praecepta, quae Phariſaeis tunc leuia aut parua uocabantur : multum enim abfuit, ut illis diſcipulos ſuos adſtringeret. Sed intelligit praecepta, quae erant iuris perpetui, e. g. de dilectione Dei et hominum, Matth. XXII, 37. de quibus in antecedentibus et conſequentibus ſermo eſt, quorum non pauca ab hominibus ſibi relictis parui habentur. Λύειν ἐντολὴν eſt derogare praecepto, uel factis uel uerbis. Ἐλάχιστος. i. e. ut *Chryſoſtomus* recte explicat, ἀπεῤῥιμμένος, ἔσχατος, *abiectus*, *ultimus*.

20. ἐὰν μὴ περισσεύσῃ — Φαρισαίων) *Niſi uirtus ueſtra ſit praeſtantior illa, quam exercent legisperiti et Phariſaei*. Περισσεύειν hic eſt *praeſtans et excellens eſſe* ; πλεῖον יותר efficit, comparat. Ἡ δικαιοσύνη eſt integritas morum et obſequium erga mandata diuina. Chryſoſtomus: ἐνταῦθα δικαιοσύνην τὴν πᾶσαν ἀρετὴν λέγει. Plerique ex Phariſaeorum numero erant mortalium peſſimi, pauciores uero aut erant, aut populo ſaltem uidebantur inculpati iuſtitia in lege ſita, et ex ſecta religionis Iudaicae exactiſſima uiuentes. Chriſtus ſine dubio non exigit a diſcipulis, ut uirtus eorum peſſimos ſuperet, ſed ut ſuperent eos, qui optimi habebantur

iustissimique, quia non solum nihil admittebant, quod secundum leges a iudice Hebraeo puniri poterat, uerum etiam religiose multa faciebant, aut a multis abstinebant, quae lege nec iubebantur, nec uetabantur. Sed deerat innocentia cordis et sincerae uirtutis studium. ὐ μὴ εἰσέλθητε — ὐρανῶν) *non eritis apti, aut conuenietis regno et menti Christi,* (Messiae,) i. e. nec digni eritis, qui huic coetui, quem ego colligo, adscribamini, nec bonis huic meo coetui, propriis fruemini. Vid. dicta supra ad c. III, 2.

21. Ἠκύσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχάιοις) Variant interpretes. Alii enim τοῖς ἀρχάιοις positum putant pro ὑπὸ τῶν ἀρχάιων, alii πρὸς τὺς ἀρχάιυς. Qui prius statuunt, hanc afferunt rationem, Christum non disputare contra Mosen et Prophetas, sed contra legis corruptores, Pharisaeos et traditionum auctores, sub Maccabaeis primum ortos. Vertunt igitur: *Ab antiquis.* Sed Datiuus non eos, qui uerba fecerant indicat, sed eos ad quos uerba erant facta. Sic omnes Graeci, qui in hunc locum scripsere, interpretati sunt. Itaque οἱ ἀρχᾶιοι non sunt interpretes, sed qui primi legis latae promulgationem audiuerunt, ut Rom. IX, 12. Gal. III, 16. Exinde autem non sequitur, Christum contra Mosen et Prophetas disputare; hoc tantum sequitur, praecepta Christi esse praestantiora et perfectiora illa lege Mosaica, quae ingenio hominum simplicium et rudium accommodari debuit. Illustrat nempe Iesus exemplis id quod dixerat supra u. 17. se uenisse ut *impleret legem.* Πληρῶσαι. Oppositio in sequentibus semper est haec: *Lex Mosaica* hoc uel illud praecepit, *ego* autem a uobis, discipulis meis, et omnibus Christianis perfectiorem uirtutem requiro.

Chryso-

Chryſoſtomus: ἐκκαλεῖται ἀυτὲς πρὸς τὰ μείζονα τῶν διδαγμάτων, ὡσανεὶ ἔλεγεν. ἀρκὃντα ἔχετε χρόνον ταῦτα μελετῶντες, καὶ δεῖ λοιπὸν πρὸς τὰ ὑψηλότερα τὅτων ἐπείγεσθαι. ἔνοχος ἔςαι τῇ κρίσει) Non extat quidem hoc totidem uerbis in lege, ſed ſenſus eſt apertus, lege praecipi, ut homicida deducatur ad iudices, et ex eorum ſententia damnatus, capitali ſupplicio afficiatur. Leuit. XXIV, 21. Num. XXXV, 16. Eſt igitur κρίσις hoc et ſequenti commate auditorium iudicum, qui in portis cuiusque ciuitatis ius ſuper cauſſis maioribus reddebant, et in homicidas etiam lege agere ſolebant, de quibus agitur Deut. XVI, 18. Conſeſſum iſtorum iudicum Hebraei *uiginti trium* dicunt.

22. ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ ἀυτὃ εἰκῇ) *Qui iraſcitur alteri temere*, ſine cauſſa. Ἀδελφὸς, אח, ſaepe eſt *alter*, Gen. XXVI, 31. Vſurpatur etiam de rebus inanimis, ut Exod. XXVI, 3. Hic igitur frater eſt homo quiuis. Εἰκῇ addunt Patres graeci et latini non pauci, Syr. et codices multi. Hieronymus, quem Auguſtinus eſt ſecutus, radendum putauit, ſed magis homileticis quam cirticis rationibus ductus. Nec ſola Hieronymi auctoritas nos inducere debet, ut contra conſenſum graecorum latinorumque Patrum et Verſionum mutare quicquam conaremur. Peccat igitur quisquis iraſci ſolet εἰκῇ, *temere*, ὅις ὐ δεῖ, καὶ ἐφ' ὅις ὐ δεῖ, καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ, Ariſtoteles loquitur. ἔνοχος ἔςαι τῇ κρίσει) i. e. *Dei iudicio eadem poena eſt dignus, qua afficitur homicida ex ciuilis magiſtratus ſententia damnatus ad capitale ſupplicium.* Κρίσεως poena uſitatiſſima erat gladius. Non uult autem Chriſtus, eos qui temere iraſcuntur, puniri debere a magiſtratu, ſed hoc dicit, iracundis propoſitam eſſe

esse in altero seculo poenam non minus grauem, quam est ea quam in hoc seculo homicidae sustinent Cf. 1 Io. III, 15. ὃς δ' ἂν — ῥακὰ) *Qui irae impotenti et temerariae non solum non moderatur, sed etiam ad maledicta prorumpit.* Repetendum ἀπὸ κοινοῦ quod praecessit, εἰκῇ ὀργιζόμενος. Ῥακὰ hic ponitur pro quouis conuitio. Nam ריקה quod mutata uocali *Syri Raca* pronuntiant, est uox apud Scriptores Hebraeos usitatissima, et tritissima in ore gentis. Significat κενὸν, hominem uanum et nullius pretii. Non autem est in ipsa uoce crimen positum, quippe et Iacobus ἄνθρωπε κενέ, Iac. II, 20. et Christus duriora Pharisaeis dixit; sed taxantur ii, qui maleuolo animo, impotenti ac temerariae irae indulgentes alios conuiciis impetunt. ἔνοχος ἔσαι τῷ συνεδρίῳ) i. e. *multo grauiori poena dignus est.* Dei iudicio reus est eiusdem supplicii, quo afficiuntur a Synedrio ad mortem condemnati. τὸ συνέδριον uocatur etiam γερουσία Act. V, 21. et πρεσβυτέριον Luc. XXII, 66. Iudaeis סנהדרין Synedrium magnum LXX. uirorum, penes quos esset causarum maiorum cognitio Num. XI, 16. Deut. XVII, 8. Opponitur autem poena a Synedrio infligenda, poenae a Iudicio irrogatae, tanquam grauior leuiori; nam caussae, quae ad Synedrium deferri solebant, grauiores erant, et seueriores etiam erant sententiae a Synedrio latae. Synedrium irrogabat poenam *lapidationis*, quae grauior erat supplicio gladii, quod irrogare solebat consessus 7. uel ut alii uolunt 23 iudicum. ὃς δ' ἂν — μωρὲ) *Qui alterum conuitiando nominauerit impium,* (*uel Atheum,*) *is omnium grauissimam poenam meruit.* Μωρὸς notat *hominem sceleratum et flagitiosum*, uel etiam *Atheum*, ad imitationem Hebraici נבל ut Ps, XIV, 1 Deut. XXXII,

XXXII, 22. Poſt uerba εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς, ſupplendum uidetur βληθῆναι. Γέεννα eſt uox hebraica, ex גיא uallis, et הנום, nom. propr. loci, in quo Iſraelitae idololatriae ſe dedentes, ſimulacro Molechi ignito, quod imaginem bouis repraeſentabat, infantes offerebant. Hunc locum Iudaei poſtea ſic abominati ſunt, ut per Metonymiam locum cruciatus *infernum* hoc uocabulo inſigniuerint. Summus poenae gradus, et gladium et lapidationem excedens.

23. ἐὰν οὖν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου) προσφέρῃς, *offerre cupias, oblatum eas. Donum*, δῶρον appellabant, quicquid Dei placandi cauſſa aris inferebatur. ὁ ἀδελφός σου) *alter*, ut ſupra com. 22. ἔχει τι κατὰ σοῦ) habet, quod de te queratur, a te offenſus eſt; quod Col. III, 13. dicitur ἔχειν μομφὴν πρός τινα.

24. ἄφες — τῷ ἀδελφῷ σου) *Non prius offer donum tuum, quam reconciliatus fueris aduerſario tuo.* Καταλλάττεσθαι, *redire in gratiam*; quod fieri ſolet teſtando, nolle nos factum. Non is tantum reconciliatur et cum altero in gratiam redit, qui ueniam dat, uerum etiam is, qui ueniam petit.

25. Cauendas et componendas eſſe lites docet Ieſus, tutius eſſe oſtendens perſoluere creditori plus quam debeas, ne ad iudicem res deferatur; ſaepe enim fieri, ut is etiam, qui bonam cauſſam habeat, damnetur. ἴσθι εὐνοῶν) Periphraſticae pro εὐνόησον. *Beneuolo ſis animo.* Plane idem eſt, quod ante dictum erat, διαλλάγηθι. Notandum autem, ἀντίδικον eſſe *aduerſarium in lite.* ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ) Dum es cum eo in uia ſc. *ad tribunal.* Actor ſolebat reum :prehendere. μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ

τῷ κριτῇ) Ne forte aduerſa pars (cauſam apud iudicem obtineat, qui) te in carcerem adducendum apparitori tradat. ὑπηρέτῃ) τῷ πράκτορι Lucas XII, 58. *exactori*, *lictori*, *uiatori*, uilis ſortis miniſtro magiſtratus.

26. ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην) ἀποδίδωμι, reddo tanquam debitum, perſoluo. Quadrans eſt quarta pars aſſis. Non liberaberis e cuſtodia, donec ad aſſem uniuerſam ſoluas ſummam, quam aduerſarius petebat, cum minoris licuerit cum illo tranſigere, mitiore adhuc et minus irato. Satius eſſe, Ieſus dicit, tranſigere cum aduerſario, et perſoluere etiam id, quod inique poſtulet, quam diuturnis litibus ſe implicari; facile enim fieri poſſe, ut aduerſarius uincat fauente iudice; ſemper incertum eſſe rixarum exitum. Componendas igitur eſſe lites quam primum id fieri poſſit.

27. τοῖς ἀρχαίοις) Vulgata ex comm. 21. addidit; Eraſmus inuitis Codicibus ſuis temere in editionem ſuam tranſtulit. οὐ μοιχεύσεις) Sicut πορνεία interdum μοιχείαν ſignificat, ut infra u. 32. ita nouum non eſt, μοιχείαν dici, quae πορνεία proprie diceretur. Hoc autem loco μοιχεύειν utrumque et adulterium committere et ſcortari ſignificare uidetur.

28. ὅτι πᾶς ὁ βλέπων — ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς) Chryſoſtomus: ὁ βλέπων ὥστε τέρψαι τὴν ὄψιν. Apparet a Chriſto eum hic notari, qui impuro amori animum mancipans uulnus ſuum fouet aſpectu. Poſſet et ἐπιθυμῆσαι hic explicari *ſollicitare*, quomodo et חמד Hebraicum ſumi ſolet. Γυνὴ autem et foeminam innuptam et uxorem alterius ſignificat. ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ) Homines, qui de animo

nisi

niſi ex ſignis exterioribus iudicare non poſſunt, delicti nomen actui ultimo imponunt. Sed apud Deum mentium exploratorem, qui uoluit ſcelus, is fecit.

29. εἰ δὲ — ἀπὸ σοῦ) Haec improprie eſſe intelligenda, facile patet. Senſus eſt: Omni conatu reſiſtendum eſt prauis cupiditatibus. Eſt nempe σκανδαλίζεσθαι *offendere ad aliquid*, ſ. *irretiri*, ut σκάνδαλον de ſaxo ad quod impingitur, de muſcipula uel laqueo dicitur, et σκανδαλίζειν τινὰ eſt *irritare aliquem* re aliqua aut actione *uel ad errores*, *uel ad delicta*, ut hoc noſtro loco. *Oculus* σκανδαλίζειν dicitur, quando te pellicit, ut mulierem laſciue adſpicias, cumque ea rem habere laſciue cupias. Effoſſio oculi ad laſciuos adſpectus pellicientis moraliter eſt intelligenda de auerſione oculi ab obiecto illecebroſo, qua praua concupiſcentia refrenatur ac cohibetur. *Dexter* oculus nominatur, quia ob potiorem eius uſum eſt cariſſimus. Tota autem locutio eſt prouerbialis et hyperbolica, hanc exprimens ſententiam: Tantam tibi infer uim ad refrenandam prauam cupiditatem, ac ſi ipſe oculus eſſet effodiendus. *Dextrum oculum potius tibi eruere, quam indulgere prauis cupiditatibus deberes.* Tale eſt, quum *SENECA* dicit: (epiſt. 51.) *Proiice quaecunque cor tuum laniant, quae ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis euellendum erat.* συμφέρει γάρ σοι — εἰς γέενναν) *Expedit enim tibi, unum membrorum tibi perire, ne totum corpus proiiciatur in gehennam.* Καὶ μὴ Hebraiſmus ולא, *ne*. A iucundiſſimis eſt abſtinendum, ne aeternum pereas. Cicero in Philippicis: *In corpore ſi quid eiusmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, uri ſecarique patimur, ut membrum aliquod potius quam totum corpus intereat.*

30. Καὶ

30. Καὶ εἰ ἡ δεξιά σȣ χεὶρ — εἰς γέενναν) Sensus est: Omnibus uiribus enitere ut arceas manum ab impudicis contrectationibus, perinde ac si manus dextra esset abscindenda. Manum dextram potius tibi abscindere, quam impudice et inhoneste foeminam tangere deberes. Praestat enim cum dolore et molestia refrenare malas cupiditates, quam aeternum perire. *Tibull.* I, 7. 80. — *uenerit iste si furor, optarim non habuisse manus.*

31. ἐῤῥέθη) Nimirum a Mose, iussu diuino; non priuato Mosis consilio. ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα ἀυτȣ͂) *Si quis uelit repudiare uxorem suam.* Nam de uoluntate sermo est. δότω ἀυτῇ ἀποςάσιον) Ἀποςάσιον *est* (*uox* Profanis Scriptoribus inusitata, ab ἀφίςαςθαι, *discedere,*) *Libelli formula, qua maritus iubet uxorem a se diuertere, aut discedere.* Licuit autem Iudaeis dimittere uxores priuato ausu, re non denuntiata magistratui. Quod bene notandum, ne Iudaeorum mores ex legibus ciuilibus nostrae aetatis metiamur. Iudaei et humanitatis et charitatis immemores, caussas quantumuis futiles admittebant in morositatis suae patrocinium, ita ut quauis de caussa uxorem maritus posset expellere.

32. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν) Sensus est: Lex Mosis, ne quid grauius eueniret, tibi de uxore iudicium indulsit. Tu uide, ut tanta potestate humane utaris, certus nulla Deo placere diuortia, nisi quae summa necessitas extorsit. παρεκτὸς λόγȣ πορνείας) Vox λόγȣ inseruit etiam periphrasi, idque ex Hebraismo. Hebraei dicunt: אל דבר ערוה. Sensus est: *praeterquam propter scortationem.* Obseruandum est, Christum toto hoc sermone non leges constituere ciuiles, sed animis

animis singulorum dare praecepta, et hic nominatim declarare, quo casu uir bonus legis communis diuortia spectantis beneficio uti possit. Schola *Sameae* dixit: nemo repudiabit uxorem suam, nisi in ea repertum fuerit quid inhonesti ערות דבר Deut. XXIV, 1. Schola *Hillelis* dixit: etiamsi combusserit decoctum eius. Quod hic dicitur *extra adulterii caussam*, tam rigide non est accipiendum, ut nulla alia caussa animum possit tranquillum reddere. Marcus c. X, 11. et Paulus 1 Cor. VII, 10. hoc Christi praeceptum commemorantes, uerbis utuntur generalibus, nulla exceptione apposita; quia tales exceptiones ex naturali aequitate uenientes, tacite insunt legibus, quantumuis generaliter pronunciatis. ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι) Nimirum fieri poterat, fiebatque saepe apud Iudaeos, ut mulier, ignominia diuortii notata, maritum alterum non inueniret, atque ita dejecta a spe nuptiarum tandem ad uagos concubitus delaberetur; nam ii quoque μοιχείας uoce indicari solebant. Eius autem mali culpam merito Christus in eum reiicit, qui leui de caussa uxorem a se inclementer amouerat. Quin etiamsi casu forte eueniret, ut illibata maneret mulieris pudicitia, tamen quia per illum non stetit, quo minus res pessime uerteret, merito illi, quod fieri potuit, pro facto imputatur. Καὶ ὃς ἐὰν — μοιχᾶται) Intelligendum est hoc de illis, qui dimissas excipiebant, non tentatis prius omnibus uiis ad reconciliandum prius matrimonium, leuibus de caussis dissolutum, aut, quod peius est, alienis uxoribus inhiantes per diuortia sibi nuptiis sternebant uiam.

33. πάλιν ἠκούσατε — τοὺς ὅρκους σου) Iam ad aliud praeceptum, cui Pharisaei falsum assuebant sensum, progreditur

Iefus. Refpicitur nempe ad Leuit. XIX, 12. Deut. XXIII, 22. Fatebantur Legisperiti et Pharifaei exacte praeftandum effe quicquid Deo iuratum uel uotum fuerit, *quia per nomen Dei* iuratum; fed de iuramentis, *quibus nomen Dei non erat expreffum*, parum folliciti erant, nec a iuramentis uanis et temerariis ualde abhorrebant. Vid. *IO. LIGHTFOOT* hor. Ebr. et Talm. in h. l. Exempla dantur comm. 34. *fqq.*

34. μὴ ὀμόσαι ὅλως) uide infra comma 37. ὅλως, prorfus. *Plane non iurare*, nempe in conuictu quotidiano, uel etiam per creaturas, quod exempla fequentia declarant. Λέγειν, interdum eft *edicere*, *iubere*. μήτε ἐν τῷ ὀυρανῷ) LXX. ὀμνύειν ἐν τινὶ, Graeci κατὰ τινὸς uel τινα. Eiusmodi iurandi formulae non folum apud gentiles, fed etiam inter Iudaeos ufitatae fuerunt. Sic *Philo* de fpec. Legg. p. 770. A. iurare quidem per Deum non permittit, fed per terram, folem, ftellas, coelum, totum denique mundum. Talia autem iuramenta nulla effe Iudaei exiftimarunt. Maimonides in Schabaoth, c. 1. Si quis iurat per coelum, per terram, per folem etc. fit licet animus iurantis fub his uerbis per illum iurare, qui haec creauit, hoc tamen non eft iuramentum. ϑρόνος ἐςὶ τȣ̃ ϑεȣ̃) Ex Ief. LXVI, 1. cf. infra c. XXIII, 22. Qui per coelum iurat, fimul iurat per eum, qui coelo tanquam folio infidet. Solium autem Dei dicitur coelum, quod in eo opificio, pulcherrimis aftris picturato diuina maieftas eximie eluceat, quemadmodum regum gloria tunc maxime confpicua eft, quum folio fuo infident.

35. ὑποπόδιόν ἐςι τῶν ποδῶν ἀυτȣ̃) Iefaias habet הדם, quo obiter fignificari uidetur uilitas terrae coelo comparatae. μήτε ἐις Ἱεροσόλυμα) Hellenistae promifcue pro He-

braeo

braeo ב modo ἐν modo εἰς usurpant. πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως) Dei summi regis. In Psalmo XLVIII, plane idem significantia sunt עִיר אֱלֹהֵינוּ et קִרְיַת מֶלֶךְ רָב.

36. μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς) i. e. *per uitam, incolumitatem, siue salutem tuam*; nam et ita per Deum iuras, salutis tuae auctorem. ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι) Non es capitis et uitae tuae dominus. Ne efficere quidem poteras, ut a natura haberes albos uel nigros capillos. Docet igitur Iesus u. 34. 35. 36. in omni iuramento, quamuis nomen Dei in eo non expressum, sed per coelum, terram, caput etc. iuratum esset, reipsa Deum, coeli, terrae, uitae nostrae aliorumque dominum inuocari tanquam uindicem ac testem.

37. ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ ναί· οὒ οὔ) i. e. ut Iacobus explicat, ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναί, ναί, τὸ οὔ, οὔ. Debent facta dictis congruere; ac si firmata iuramentis essent, idem robur esto. Cf. 2 Cor. I, 20. 18. 19. Locutio sumta ex medio usu illorum temporum. Nam γνώμη erat tritissima: τῶν δικαίων ναὶ ἐστί ναί, καὶ οὒ ἐστίν οὔ. τὸ δὲ περισσὸν τούτων) id quod est ultra ναὶ καὶ οὔ. ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν) Vel a masc. ὁ πονηρὸς, qua uoce Diabolus indicatur, uel a neut. τὸ πονηρὸν, Ioh. V, 19. Quod si quid his accesserit, ex uitio accesserit oportet. Aut enim parum bene sentit qui iurat, de eo, cui iurat, aut diffidit is, qui iusiurandum exigit. Cum *Essenos* aliosque, qui de iureiurando eadem praeceperunt, quae Christus, tamen iurasse constet, manifestum est, haec uerba non ita interpretanda esse, ac si omne iusiurandum simpliciter uetuerit; adeoque distinguendum iusiurandum uoluntarium et

imperatum, iusiurandum in conuictu quotidiano et in iudicio, denique iusiurandum ob rem leuem et grauem.

38. ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ) Leuit. XXIV, 20. Nimirum, *reddet*, qui iniuriam fecit. Eſt autem hoc ius uetuſtiſſimum apud omnes fere gentes; ius talionis. In XII. tabulis: ſi membrum rupit, talio eſto.

39. μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ) *non reſiſtere ei, qui iniuriam fecit;* is enim h. l. eſt ὁ πονηρός. Cf. Rom. XII, 17. *Vltione* reſiſtere uetat Chriſtus, non defenſione innocentiae quae fit uerbis. ἀλλ' ὅστις σε — τὴν ἄλλην) In Hebraismo ſaepe aduerſatiua comparationem in ſe includit. Noli, ſi quis te malo affecit, ei uiciſſim malum rependere; quin potius ferienti maxillarum unam, alteram quoque caedendam obuerte potius deberes, quam te ulciſci. Ex prouerbio petitum eſt, *maxillam obuertere caedenti,* pro eo, quod eſt *patienter aliquid ferre.* *SENECA* de Ira. II, 34. *cum pare contendere anceps eſt, cum ſuperiore furioſum. Percuſſit te? recede: referiendo enim occaſionem ſaepius feriendi dabis.* Thren. III, 30. Ραπίζειν denotat non ſolum *uirga uel baculo caedere,* ſed et *palma percutere,* apud Plutarchum, Ioſephum, aliosque. τὴν ἄλλην pro: τὴν ἑτέραν.

40. σοι κριθῆναι) *Tecum litigare.* Apud *Euripidem* quoque, et in *Anthol.* haec ſignificatio occurrit. Χιτῶνα) *tunicam, ueſtem interiorem.* λαβεῖν) λαμβάνειν h. l. reſpondet Hebr. לקח, et ſignificat: *auferre, eripere,* ſc. litigando. τὸ ἱμάτιον) *Pallium, ueſtem exteriorem.* Sententia eſt: *Si quis ui aut litigando cupiat tibi tunicam auferre, etiam pallium potius illi permitte, quam coram*

iudicio

Iudicio cum eo disceptes, uel illi noceas. Christus ab uno iniuriae genere, quod ad corpus aut etiam ad dignitatem pertinet, transit ad alterum, quo fortunae laeduntur.

41. ἀγγαρεύσει) Ἀγγαρεύειν est uox origine Persica, ab ἄγγαρος, nuncius uel tabellarius regum Persarum, qui in statione sua positus litteras ab altero angaro acceptas alteri tradebat, ut eo celerius perferrentur. Herodot. VIII, 98. Quia uero his licebat cuiusuis equos et quemcunque hominem ad cursum rapere, inde ἀγγαρεύειν denotat *cogere, impellere, cum uiolentia rapere.* Iudaeis haec uox non est infrequens. Sensus igitur est: *Si quis miles, aut publicanus, aut minister principis, praetextu auctoritatis publicae te compellauerit, ut onus ipsi portes mille passus;* μίλιον enim est *milliare*, spatium mille passuum, a uoce latina mille. Aliud genus iniuriarum, quod contra libertatem committitur. ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο) Et hic supplenda sententia, addito μᾶλλον. Duplum operae eius, quae exigitur, praestare nos satius est, quam ultionem aut per nos ipsos, aut per iudices exigere, aut alio quouis modo peccare in diligendi legem. Ceterum facile intelligitur, Christum hominibus omnia iura naturalia et ciuilia reliquisse integra. Quis enim credat, eum, qui in mundum uenit ut homines seruaret, talem uoluisse tradere doctrinam, quae improbis impunitatem concederet, bonos autem illorum contumeliis exponeret? A priuata potius uindicta, et a litibus non necessariis dehortatur, et iniurias magistratuum patienter ferendas esse monet, ne grauiora mala nobis aliisque accersamus.

42. ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι) δανείζομαι, uox media, *mutuum peto,* et deinde *mutuum accipio.* Graeci alias dicunt δανεί-

 ζεσθαι

ζεσθαι παρά τινος. μὴ ἀποστραφῇς) Ἀποστρέφεσθαι prima sua et genuina notione est, *se ab aliquo auertere*; quod cum facere soleant, qui aliquem auersantur, aut eius precibus locum concedere nolunt, inde ἀποστρέφεσθαι est *recusare, repudiare*, apud *Iosephum* saepius. Haud dubie hoc ex aequi bonique regula intelligendum est, quatenus et nostrae facultates ferunt, et aliorum necessitas postulat.

43. ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου) Futur. more hebr. pro Imperat. ὁ πλησίον (sc. ὤν) *propinquus, proximus*. Hebraeis רֵעַ, Leuit. XIX, 18. quem locum hic respicit Christus. רֵעַ est is ipse, qui ibidem dicitur בֶּן עַם i. e. *popularis*. Iudaei hoc arripientes, ab alienigenis adeo liberalitatem suam arcebant, ut ne communia quidem humanitatis officia illis praestarent, quale est uiam monstrare comiter. *Iuuenal.* XIV, 103. Καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου) Hoc totidem quidem uerbis non legitur in scriptis V. T. At uero cum lex uetaret misereri septem populorum Cananaeae Deut. VII, 2. et iuberet memoriam Amalecitarum delere Deut. XXV, 19, cumque hostes Dei odio habendos esse, et a piis habitos fuisse doceret, (passim in Psalmis) si non uerba ipsa, uerborum saltem sensum expressisse dubitari uix potest. Haec praecepta cum lege naturae non pugnant: Deus enim omnium rex summus sine dubio potuit Hebraeo populo iure optimo poenae executionem mandare. Sed in ceteros ἀλλοφύλους non licuit, quod licuit in Cananaeos. Deinde notandum est, μισεῖν haud raro poni ad imitationem Hebr. שָׂנֵא. quod non semper *odisse* notat, sed etiam interdum *minus benigne tractare, postponere*. Rom. IX, 13. Luc. XIV, 26.

44. ἀγα-

44. ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς) Seruate animum amicum et beneuolum etiam erga eos, qui animum hostilem, inimicitias uobiscum gerendo prodiderunt. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς) Ominibus faustis ac felicibus prosequimini eos, qui diras in uos deuotiones deprecantur. Εὐλογεῖν, *bene precari.* Per gradus scandit oratio ab affectu ad uerba. καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς) lege τοῖς μισοῦσιν. Sic enim plurimi Codd. habent; nec ulla fuit caussa, cur *Erasmus* et *Stephanus* istam codicum lectionem non sequerentur. Καλῶς ποιεῖν, *beneficentia prosequi.* A uerbis ad res scandit oratio. προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς) Vetus Glossarium ἐπηρεάζειν uertit *calumniari.* Apud Philonem ἐπήρεια est *maleuolentia, iniquitas,* et ἐπηρεάζειν, *clam et occulte nocere.* Ne illis quidem, qui uos omnibus modis infestant atque exagitant malum pro malo reddite, aut Deum ultorem aduersus eos inuocate, sed orate ut Deus illis mentem meliorem et tempus ad poenitentiam largiatur.

45. υἱοὶ τοῦ πατρὸς) *Filii patris,* i. e. *similes patri* cf. u. 48. ὅπως γένησθε, non finem, sed connexionem significat. Vt ita uestra benignitate declaretur et planum fiat, uos esse sobolem quandam diuinam, dum eius beneuolentiam in omnes homines imitamini. ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ τοὺς πονηροὺς) ἀνατέλλω h. l. habet significationem Hebraeorum, *Hiphil, oriri facio.* cf. Gen. III, 18. II, 9. Vers. LXX. Seneca: *Sceleratis sol exoritur.* Plinius Panegyr. Sol et dies non oritur uni et alteri, sed omnibus in commune. βρέχει) Hoc uerbum non usurpatur impersonaliter, sed subintelligendum est θεός.

46. μισθὸν ἔχετε) nimirum apud patrem ueſtrum coeleſtem. οἱ τελῶναι) *Portitores, uectigalium exactores,* quorum hominum miniſterio in exigendis uectigalibus utebantur *Publicani*, equites romani. Plerique uero apud Iudaeos portitores gentiles erant, homines improbi; qua de cauſſa plane eodem loco habebantur, quo ἐθνικοὶ, a Deo alieni, neque ſacris tantum, ſed et communi conuictu indigni.

47. ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς) lege φίλους, quam lectionem *Eraſmum*, qui teſtatur pleroſque Codd. gr. habere φίλους, et *Stephanum*, qui ἐν πᾶσι reperit, non ſecutos eſſe, mirum eſt. Nihil neceſſe eſt, ut ſubtiliter τοὺς ἀγαπῶντας et τοὺς φίλους diſtinguamus, ſed diſcrimen eſt inter ἀγαπᾶν et ἀσπάζεσθαι, illo indicatur animi affectus, hoc uero externa eius teſtificatio per oſculum, ſalutationem etc. Senſus eſt: *Si comes et affabiles uos praebueritis erga amicos ueſtros.* περισσὸν) *praeſtans, eximium, egregium.*

48. ἔσεσθε — τέλειός ἐστι) *Eſtote igitur perfecti, ſicut pater ueſter celſiſſimus perfectus eſt.* Aditum ad haec intelligenda fecit Ieſus his quae ante dixerat. Vult nempe nos imitari Deum, qui non modo, ut ſolebant Iudaei, amat bonos et amicos, ſed omnino omnis generis homines, impios etiam et ingratos. Τέλειος, תמים, *integer.* Iac. I, 4. Deut. XVIII, 13. Sic Noachus auctore Philone de Abrahamo p. 354. C. τέλειος appellatur in ſacris litteris, ut indicetur ὡς οὐ μίαν ἀρετὴν, ἀλλὰ πάσας ἐκτήσατο. Imitari debemus *Patrem noſtrum in coelis*, i. e. auctorem omnium rerum optimum, celſiſſimum. *CICERO* pro Marcello, 3. *Animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduer-*

aduerſarium nobilitate, ingenio, uirtute praeſtantem, non modo extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem: haec qui faciat, non ego eum cum ſummis uiris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.

CAP. VI.

1. Προσέχετε — θεαθῆναι αὐτοῖς) *Cauete ne liberalitatem erga pauperes exerceatis per oſtentationem.* Προσέχετε, ſc. τὸν νοῦν, uel τὴν διάνοιαν. Pro ἐλεημοσύνην habent δικαιοσύνην cod. Cantabr. Vulg. Itala, Patr. latini, ſenſu eodem; nam δικαιοσύνη, ſicut hebr. צדקה interdum eſt *benignitas, liberalitas, eleemoſyna,* ἐλεημοσύνη proprie *miſericordia* (ab ἐλεήμων.) Ποιεῖν ἐλεημοσύνην eſt *benigne facere* Gen. XLVII, 29. Sed apud ſcriptores eccleſiaſticos per metonymiam plerumque *liberalitatem erga pauperes* denotat, i. e. *mendicis ſtipem dare.* Tob. XII, 9. 10. Πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς, per oſtentationem. A θεάομαι uenit Theatrum, in quo edebantur Ludi Scenici. Hinc uerſari in theatro, in loco quam maxime conſpicuo et ante omnium oculos.

2. μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου) *Noli id facere cum magno ſtrepitu.* Vſus tubarum erant ad populum conuocandum. H. l. eſt prouerbialis locutio, qua quod nimio publicandi ſtudio fit, ſolet exprimi, et ſignificat *populum teſtem quaerere, immoderate et iactanter liberalitatem ſuam praedicare,* operam dare, ut, ſi fieri poſſit, ad omnium aures perueniat. Noſtri Germani eodem ſenſu dicunt: *etwas ausposaunen.* Alii uerba Saluatoris proprie intelligunt de ſono tubarum, quo daturi eleemoſynam ſignum dari curabant, non modo ut pauperes concurrerent ad ſtipem accipien-

dam, ſed etiam ut ſpectandi gratia conflueret populus, qui liberalitatem cum admiratione adſpiceret, eamque ubique celebraret. Μὴ σαλπίσῃς, *ne tuba cani cures*. Pro actione enim, quam fieri curamus, uel permittimus, ſaepe ipſum adhiberi uerbum, actionem quaſi a nobis praeſtitam denotans, notiſſimum eſt. Quum autem Ieſus addit, Phariſaeos hoc feciſſe ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις, Synagogarum nomine non uidentur intelligendae eſſe Scholae Iudaeorum, ſed circuli in uicis a confluentibus ciuibus agi ſoliti. Nam additur ἐν ταῖς ῥύμαις, et συνάγεσθαι nil aliud ſignificat quam *congregari*, in coetus coire, ipſaeque Iudaeorum ſcholae, eo quod coetus in illis cogerentur, ſynagogarum nomen fuere adeptae. Rara quidem uel nulla in Rabbinorum et Talmudiſtarum monumentis reperiuntur ueſtigia, quod olim Iudaei, maxime Phariſaei, eleemoſynas erogaturi, buccinis uſi fuerint, eas aliis manifeſtaturi, ut gloriam liberalitatis captarent. Sed propter hoc ſilentium res non illico in dubium uocari debere uidetur; quia nec in Rabbinorum ſcriptis legitur uspiam, orantes in angulis plateorum ſtetiſſe, ieiunantesque deturpaſſe facies ſuas, ut hominibus ieiunare uiderentur. Ceterum ingenioſa eſt Ven. *Schulzii*, Gieſſenſis Theologi coniectura, ſuſpicantis uerba μὴ σαλπίσῃς referenda eſſe ad ipſos mendicos tuba canentes, et uertenda eſſe: *ne mendicos, ſtipem abs te petentes, tuba canere ſinas*. Solent enim hodie adhuc in Oriente mendici, ſtipem petentes, tuba canere, teſtibus itinerariorum ſcriptoribus. ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ. Heſychius: ὑποκριτῆς, ὁ ἐν τῇ σκηνῇ ὑποκρινόμενος, qui in ſcena aliam perſonam induit. A ſpecie eorum, qui ſpectaculis tecta facie incedunt, nomen

men translatum eſt ad eos, qui pii et religioſi haberi uolunt, cum non ſint, ut alios decipiant circumueniantque. Tales erant Phariſaei. ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν) *Iam tenent mercedem ſuam.* Nihil ultra a Deo praemii loco accipient. Ἀπέχω, *accipio*, uel potius: iam accepi et teneo, quae mihi debentur, apud Prof. ſaepe. Et ἀποχῆς ſcriptum uocarunt id, quo fateretur aliquis ſe habere, i. e. ſibi eſſe perſolutum, quod deberetur. Senſus igitur eſt: *habent iam praemium benignitatis ſuae*, hominum nempe laudes, neque adeo ullum eius praemium a Deo exſpectare poſſunt. Ratio eſt in promtu. Nam qui benigne facit tantum ut ſpectetur, is nullis teſtibus praeſentibus nihil dabit; non faciet benigne quia Deus iuſſit, ſed uanae laudis ſtudio; non dabit beneficia ex amore erga alios, ſed ſui ipſius amore. Quum autem nonniſi praeſentibus teſtibus ſtipem dat egenis, illis potius paupertatem exprobrare, et contumeliam facere, quam beneficium dare uidetur. Ergo nihil mercedis a Deo accipiet. *Cicero* Tuſcul. II. 26. *Mihi quidem laudabiliora uidentur omnia, quae ſine uenditatione et ſine populo teſte fiunt — nullum theatrum uirtuti conſcientia maius eſt.*

3. μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου) Proprie actio dextrae tribuitur, cuius longe frequentior ſolet eſſe uſus quam ſiniſtrae. Eſt autem et hoc e prouerbio ſumtum, et ſenſus eſt: *bene fac, quam potes occultiſſime.* Adeo non deſideres hominem ſpectatorem, ut ſi fieri poſſit, nec ipſe ſcias te facere quod recte facis.

4. ὅπως ᾖ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ) *Ut occulta maneat liberalitas tua.* ᾖ id eſt γένηται, et ἐν τῷ κρυπτῷ

pro

pro κρύφα, hebr. בלאט. καὶ ὁ πατὴρ — φανερῷ) *Pater tuus coelestis, qui etiam ea, quae in occulto fiunt nouit, publice* (illo die) *tibi reddet praemium.* ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, pro: ὁ βλέπων τὸ ἐν τῷ κρυπτῷ, quod est τὸ κρύφα γενόμενον. Tibi satis esto quod testem habes patrem, cuius oculos nihil omnino fugit. Is tibi reponet praemium, etiamsi ab homine nihil redeat gratiae.

5. φιλοῦσιν) *libenter solent*, amant. Hesych. φιλεῖ, εἴωθεν. ἐν ταῖς συναγωγαῖς — ἑστῶτες) Per Synagogas hic ut u. 2. circuli a confluentibus in uicis agi soliti intelligendi esse uidentur. Nam in scholis Iudaeorum precibus publicis uacare, Christo uix displicere potuit. Accedit quod hic συναγωγαὶ cum γωνίαις τῶν πλατειῶν, triuiis et quadriuiis coniunguntur, et additur ἑστῶτες, quae uox eos notat, qui ad orantium figuram se componebant, ita ut ab omnibus, eos orare, animaduerti posset. Γωνία alias significat angulum internum, i. e., compitum aut triuium, ubi stans a plurimis spectari poterat. Nam in platearum angulis, ubi plateae iunguntur, frequentia hominum maior esse solet. ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. Vid. modo ad u. 2. notata.

6. ταμιεῖον) penetrale, locus aedium abditior et secretior. Quae de penetrali et obseruando ostio dicuntur, sunt desumta ex communi usu ad ea denotanda, quae sine strepitu fiunt. Ies. XXVI, 20. ἐν τῷ κρυπτῷ) In occulto et *est* et *uidet* Deus. Est locus huic loco non absimilis in *Epicteto Arriani* I, 14. ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐστέ. οὐδὲ ἐστὲ, ἀλλ᾽ ὁ θεὸς ἔνδον ἐστί.

7. μὴ

7. μὴ βαττολογήσητε) *Nolite eadem uerba saepe repetere.* Βαττολογεῖν est centies idem dicere. Deriuare solent a quodam Batto, siue rege Lybico balbutiente, siue pastore uerboso. Vid. *Wetsten.* ad h. l. Verior mihi esse uidetur *Sal. Deylingii* sententia (in obseruatt. sacris P. III. p. 267. sqq.) statuentis, ad alium Battum respici, nempe Pöetam quendam ignobilem ac ineptum, qui, *Suida* auctore, μακροὺς καὶ πολυστίχους ὕμνους, ταυτολογίας ἔχοντας, fecit. Sensus est: *ne multa uerba faciatis in precibus.* οἱ ἐθνικοὶ) Iudaei suam nationem uocant עם λαὸν, alias uero omnes gentes ἔθνη, גוים. Vnde οἱ ἐθνικοί. Caussa distinctionis haec, quod ἔθνη uocarent quamuis hominum multitudinem, λαὸν autem coetum iure ac legibus sociatum, quod in Iudaeos eximie competebat. His uerbis Christi non uetamur aliquamdiu continuare orationem; sed prohibemur Deo uerba annumerare, quasi ille preces ex prolixitate potius, quam ex intimo animi affectu metiretur. Exempla Battologiae Ethnicorum supplicantium ciuilis uide ap. *Lightfootum* aliosque ad h. l. ἐν τῇ πολυλογίᾳ) ἐν, hebr. ב. pro: πολυλογίας ἕνεκα. πολύλογοι autem solent iidem esse βαττόλογοι. quia ut multa dicant, necesse habent saepe iam dicta repetant.

8. μὴ οὖν — αἰτῆσαι αὐτὸν) Vult Iesus, nos non esse similes illis, qui sibi persuadent, multis uerbis argumentisque opus esse ad informandum exorandumque Deum, addita ratione, quod Deum omniscium nihil plane lateat. Qui enim in orationibus uerbosi sunt, et eadem repetunt, ii ita agunt, ac si dubitarent, uel de scientia Dei, quasi opus sit idem centies dicere, ut intelligat, aut ne obliuiscatur, uel de ipsius sapientia, uel de ipsius bonitate.

9. ὄυτως ὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς) *In hunc ſenſum.* Non enim praecipit Chriſtus uerba recitari ſemper, quoties precamur, quod nec legimus Apoſtolos feciſſe (quanquam id quoque fieri cum fructu poteſt,) ſed materiam precum hinc promere. Notandum eſt autem, totam hanc orationem ex formulis Hebraeorum concinnatam eſſe, tam apte, ut omnia contineat, quae a Deo peti poſſunt, cum agnitione maieſtatis diuinae, et ſubiectionis noſtrae. Doctoribus *Iudaeorum* uſitatiſſimum fuit oratiuncularum formulas ſibi ipſis ſtruere, diſcipulisque ſuis tradere, quod de *Ioanne* etiam aſſeritur Luc. XI, 1. πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς ὐρανοῖς) i. e. *Benigniſſime, celſiſſime, potentiſſime omnium rerum auctor, conſeruator et rector.* Nam *Pater* uocatur Deus ob ſummam bonitatem, qua omnia creauit, qua omnia conſeruat et gubernat. Ἐν τοῖς ὐρανοῖς Deus eſſe dicitur, quia omnium eſt celſiſſimus ac potentiſſimus. Pſ. CXV, 3. ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου) *Tu es uenerandus et colendus. Vtinam totos nos ad laudes tuas componere, et omnibus rebus noſtris te unice celebrare ualeamus!* Haec uerba, ut et quae commate ſequenti habentur, non tam petentium ſunt, quam adorantium, et Dei maieſtatem agnoſcentium colentiumque. In Epilogo pro ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου habemus σοῦ ἐστὶν ἡ δόξα. Vtrumque ergo eſt δοξολογία. Nempe ἁγιάζειν, קדש *laudare* ſignificat et *celebrare.* 1 Petr. III, 15. Imperatiuus autem h. l. ut ſaepe optatiuam habet ſignificationem. *Nomen* Dei denotat *Deum ipſum,* et quae de Deo dici poſſunt. Similis huic formula eſt in oratione Iudaeorum *Kaddiſch* dicta.

10. Ἐλ-

10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου) Regnum *Dei* idem eſt, quod alias uocatur *Meſſiae* regnum. Cf. ſupra c. III, 2. Ante aduentum Meſſiae ſenſus huius petitionis erat: *Praeſto adſit Meſſias.* In oratione *Kaddiſch* precantur Iudaei: *Regnare faciat* (Deus) *regnum ſuum. Efflorescat redemtio eius, et praeſto adſit Meſſias, et populum ſuum liberet.* Senſu haud ualde diſſimili diſcipuli Ieſu tum temporis hanc petitionem accepiſſe uidentur. Nos autem precamur, ut quamplurimis hominibus contingat doctrina Chriſti illuſtrari, eiusque legibus emendari. In Epilogo: σου ἐστιν ἡ βασιλεία. γενηθήτω τὸ θέλημά — τῆς γῆς) *Fiat uoluntas tua in toto uniuerſo.* Fac tu, Deus, in omni uniuerſo quod tibi placet. Nos acquieſcemus in tua uoluntate; nolumus reprehendere tuam prouidentiam. Nam *coelum et terra* eſt totum uniuerſum; et uoluntas Dei h. l. pertinet ad regimen uniuerſi. Non eſt in his uerbis petitio, ſed declaratio animi noſtri et ſenſus erga Deum. Haec autem in precando debet eſſe animi noſtri conformatio, ut permittamus omnia regimini et prouidentiae Dei. In tractatu Sanhedrin: *Exercitus angelorum dixit: Domine totius mundi, tuus eſt totus mundus. Effice in mundo tuo quod uis.* Poſt uerba: ὡς ἐν οὐρανῷ, ſupple οὕτω.

11. τὸν ἄρτον — σήμερον) *Da nobis quotidie, quaecunque ad uictum erunt neceſſaria.* τὸν ἐπιούσιον) Apud Profanos non occurrit haec uox, ſi credimus Origeni ab Euangeliſtis excogitata. *Athanaſius* et ex eo *Damaſcenus:* τὸν μέλλοντα explicant. Non patiuntur grammaticae leges ἐπιούσιος aliunde deduci, quam a uerbo ἔπειμι et participio ἐπιοῦσα, quod *ſubſequens*, *ſuccedens* ſignificat, e. g. τῆς ἐπιού-

σης

σης ἡμέρας, τῆς ἐπιύσης νυκτός. Inde formatur ἐπιύσιος, ſicut περιύσιος a περιῦσα. Opponitur τῷ παρόντι, ei quod iam habemus in manibus. Ἄρτος exprimit Hebraeum לחם, *cibum*. Significat itaque ἄρτος ἐπιύσιος *panem ſeu cibaria quae in tempus futurum erunt neceſſaria*. *Gregorius Nyſſ.* bene explicat: ἄρτον τῆς σημερινῆς χρέιας, et τὸ ἐφήμερον. Σήμερον pleniore Hebraiſmo diceretur σήμερον σήμερον, i. e. *Luca* interprete τὸ καθ' ἡμέραν, *quotidie*. Senſus horum uerborum: Da nobis Deus uictum, qui aetati in poſterum agendae ſufficiat: et ſi non placet dare annua, da menſtrua, da ſaltem diurna: quicquid ultra dabitur, id erit aduentitium.

12. Καὶ ἄφες — ὀφειλέταις ἡμῶν) *Remitte nobis peccata noſtra, ſicut et nos ignoſcimus iis, qui in nos deliquerunt*. Ὀφείλημα, *debitum*. Sicut Graeci dicunt ὀφείλειν δίκην, Latini *poenas debere*, ita Haebraei חוב quod debitorem ſignificat, etiam de his qui poenae obſtricti ſunt, uſurpare ſolent, ut Dan. I, 10. *Lucas* habet ἁμαρτίας. Ἀφιέναι autem ἁμαρτίας opponitur τῷ κρατεῖν, et utrumque dictum de Deo ἀνθρωποπαθῶς, quia homines ea, quae bona fide condonant, quaſi ex animo proiiciunt; quae condonare nolunt, aſſeruant. Ὀφειλέται, ſiue οἱ ὀφείλοντες ſunt qui in nos deliquerunt. *Sicuti et nos filii tui, tuo exemplo, ſimili indulgentia alios homines proſequimur, i. e. laeſi uindictam nec facto nec uoto expetimus.*

13. μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν) *Noli permittere, ut rebus aduerſis uel illecebris peccatorum ſuccumbamus*. πειρασμὸς reſpondet Hebr. מסה *tentatio, afflictio, res aduerſae*; et frequens Hebraeis eſt: אל תביאנו ליד נסיון Senſus eſt:

eſt: *Ne ſinas nos oneri afflictionum ſuccumbere.* Occurrit etiam phraſis: ἐισέρχεσθαι ἐις πειρασμὸν, (בא במסה) *ita inuolui illecebris aut periculis, ut non extriceris,* infra c. XXVI, 41. ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τȣ̃ πονηρȣ̃) Hebraei dicunt: מכל רע תצילנו. τὸ πονηρὸν, omnia mala et res aduerſae. ὅτι σȣ̃ ἐςίν ἡ βασιλεία — ἀμὴν) Viri docti et in critica ſacra uerſatiſſimi hanc Doxologiam ut ſpuriam repudiarunt. Reperitur quidem in omnibus Codicibus Graecis, paucis exceptis, ſed *Origenes, Nyſſenus, Cyrillus, Maximus,* qui totam orationem dominicam ex profeſſo explicant, huius appendicis nullam faciunt mentionem. Omittunt patres latini omnes. Eſt doxologia, quam in uetere eccleſia Sacerdos ſolus orationi dominicae a populo recitatae addere ſolebat. *Ambroſius* de Sacramentis VI, 5. poſt uerba: *libera nos a malo:* "Quae ſequuntur, audi quid dicat Sacerdos: Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in quo tibi eſt, cum quo tibi eſt honor, laus, gloria, magnificentia, poteſtas, cum Spiritu S. a ſeculis et nunc et ſemper, et in omnia Secula Seculorum. Amen." Et ſane ſi haec δοξολογία non pars eſt, ſed appendix uel antiphona orationis dominicae, cui in Eccleſia graeca a ſacerdote ſolo et ſemper addi ſolebat, omnia plana ſunt; et facile intelligimus, cur librarii illam Matthaeo adiecerint: ſin autem ab ipſo Domino fuit praeſcripta, qui factum, ut illo uerba praeeunte, nec Lucas Euangeliſta, nec patres Graeci, nec tota eccleſia latina ſequerentur? Porro δοξολογία loco minus commodo hic inſeritur. Cf. u. 12. et 14. Sed et *Amen* apparet non a Chriſto additum, ſed ex more ueteris eccleſiae publicam precum recitationem ea uoce approbantis Deut. XXVII, 15. 1 Cor. XIV, 16. Omnis

haec doxologia ſenſu non differt a u. 9. 10. *Tu omnium ſummus es dominus; tu omnia potes: tibi debetur laus et ſummus honor in aeternum.*

14. παράπτωμα) *Lapſus*, offenſa, erratum; metaph. *delictum*, *peccatum*. Pertinet hoc ad illuſtrandum comma 12. Docet Chriſtus hoc et ſequenti uerſu, peccatorum indulgentiam non patere nobis, niſi ſub conditione nouae obedientiae, cuius pars magna ſit lenitas in condonandis iniuriis.

15. ἐὰν δὲ μὴ ἀφ.) Elegans eſt ἀντίθεσις ad excitandam attentionem.

16. ὅταν δὲ νηστεύητε) Chriſtus hic agit non de communibus populi ieiuniis, ſed de his, quae priuatim ſibi quisque indicebat, ſiue per continuos aliquot dies extra ordinem, ſiue perpetuo quodam more ſtatis diebus, nimirum Lunae et Iouis, ut plerique Phariſaei, quorum qui uideri uolebant religioſiores, etiam Martis et Veneris diem adiungebant. μὴ γίνεσθε — σκυθρωποὶ) *Ne uelitis imitari ſimulantes pietatem, triſti uultu incedentes.* Sunt σκυθρωποὶ qui triſtitiam uultu, data opera a ſordibus non purgato, prae ſe ferunt, Vid. loca a *Krebſio* e Flauio Ioſepho allata. ἀφανίζουσι γὰρ — νηστεύοντες) i. e. *data opera uultum faciemque deturpant et deformant, ut alii eos ieiunare ſentiant.* Ἀφανίζειν proprie notat *aliquid abolere ita, ut ne ueſtigium eius appareat;* deinde etiam *alicuius rei formam et ſpeciem deturpare.* Vid. eundem. Indicatur, eos ſtudioſe uultum ita toruum affectare, ut qui aſpiciat, homines eſſe uix agnoſcat. Hoc faciebant laudis ſtudio. Ὅπως φανῶσι, i. e. φανεροὶ ὦσιν, ut ſint in oculis, et manifeſtum fiat

fiat eos ieiunare. Eleganter dicitur. Deformant uultum, ut omnium oculos in se conuertant.

17. ἄλειψαι — νίψαι) Hoc est: *praefer uultum et habitum quotidianum;* nam et lauari et ungi solebant Iudaei eorumque uicini extra luctus tempora. Praecipue autem orientales in conuiuiis, et alias tempore laetitiae capita unguentis perungere solebant. Haec unctio propter orientis nimium aestum refectionis multum corpori afferebat.

18. ἐν τῷ φανερῷ) Pauciores Codices addunt, et ex superioribus locis comm. 4. 6. repetitum est.

19. 20. μὴ θησαυρίζετε — ὀυδὲ κλέπτουσιν) *Non id praecipue curate, ut congeratis opes terrenas, tineis, rubigini et furibus obnoxias, sed potius ut acquiratis bona in coelis (aeternum) duratura, nec tineis, nec rubigini et furibus obnoxia.* Θησαυρὸς h. l. *copia frumenti, uini, olei, uestium, et aliarum rerum*, quae apud orientales in agro in cauernis subterraneis asseruabatur. Matth. XIII, 44. cf. b. *Fabri Beobachtungen ueber den Orient* P. II. pag. 462. Μὴ θησαυρίζετε h. l. non absolute, sed comparate est intelligendum. βρῶσις, proprie *cibus, edulium*, deinde etiam *erosio, corruptio*, uel potius uermiculus edulia corrumpens. Aliis βρῶσις est hebr. חסיל, LXX. ἡ ἐρισύβη, insectorum genus, frumento noxium. In Glossario: βρῶσις, ἡ σῆψις, *tinea, rubigo.* Aliis denique est ἓν διὰ δυοῖν, pro σὴς βρώσκουσα. Vid. *Suiceri* Thes. uocem βρῶσις. ἀφανίζειν hic est, quod Lucae διαφθείρειν. Θησαυροὶ ἐν οὐρανῷ sunt bona in coelo, i. e. aeternum duratura, pax conscientiae, fauor diuinus, praemia coelestia, quae liberalitate in egenos et indefesso uirtutis studio parantur. 1 Tim. VI, 17. 18.

 21. ὅπου

21. ὅπȣ γὰρ — καρδιά ὑμῶν) *Quod enim pro ſummo ue-ſtro bono agnoſcitis, id etiam ſummo ſtudio expetere debe-tis.* Ἔϛαι, fut. pro imperatiuo. Ἡ καρδία hoc loco eſt co-gitatio, animus, quemadmodum Latini dicunt: Animus eſt in hortis; animus eſt in patinis etc. Vid. Wetſten. ad h. l. Prout de rebus iudicamus, ita erga eas afficimur. Si igitur in aeternis bonis poſitam credimus ueram felicitatem no-ſtram, omnem iis operam dare debemus.

22. ὁ λύχνος τȣ̃ σώματος ἐϛιν ὁ ὀφθαλμὸς) *Oculus eſt cor-poris lux.* Ὀφθαλμὸς proprie hic accipitur pro corpo-ris oculo, qui nobis eſt pro lumine, quo res circa nos diſcernimus. Ἐὰν ȣ̃ν — φωτεινὸν ἔϛαι) *Si igitur oculus tuus integer* (ſanus) *eſt, totum corpus tuum illuſtrabitur.* Ὀφθαλμὸς ἁπλȣ̃ς eſt *oculus ſanus* et *integer*, ὁλόκληρος, *ſincerus*, quemadmodum *membra ſincera* apud Lucretium. Si igitur ita comparatus eſt oculus, totum corpus lucem oculi ſequetur, neque usquam impinget, ſed ope eius omnia in inceſſu cauebit offendicula.

23. ἐὰν δὲ — σκοτεινὸν ἔϛαι) *Si autem oculus uitio la-borat, totum corpus tenebrae occupabunt.* Oculo ἁπλῷ per-eleganter opponitur πονηρὸς, h. e. qui non eſt ὁλόκληρος, qui detrimentum paſſus eſt atque noxam, ut illuminando corpori inſeruire non ualeat amplius. Quodſi igitur uitio laborat oculus, ut uel plane nihil uideat, uel non recte cernat, totum quoque corpus erit tenebricoſum, ut homo, quo eundum, neſciat, in auia delabatur, offendat in inceſſu, corruat, pereat. Additur nunc applicatio: εἰ ȣ̃ν — πό-σον;) *Si igitur, quae in te eſſe debebat lux in tenebras degenerat, quantae illae tenebrae!* Τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, *lumen*

lumen quod eſt in te, opponitur oculo, tanquam λύχνῳ τȣ̃ σώματος, adeoque *exteriori.* Alibi quoque phraſi ἐν σοὶ et ἐν ἡμῖν ea, quae nobis ſunt intrinſeca magis, et ad ipſam pertinent mentem, denotantur, tum apud profanos, tum ſacros ſcriptores. Ariſtoteles Topic. I, 14. ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νȣ̃ς ἐν ψυχῇ. Eſt igitur τὸ φῶς τὸ ἐν ἡμῖν uel ipſe animus noſter, uel principia, quae ipſi in iudiciis actionibusque ſuis praelucere debebant, et ducto argumento a minori ad maius, ſi miſera res eſt, inquit Ieſus, in tenebris uerſari hoc *corpus* noſtrum, ubi oculi, qui totum illud illuminant, contraxerint uitium; quanto magis miſerum erit, ſi, quod in te, i. e. in animo tuo eſt, lumen (principia iuſti et boni,) extinctum fuerit turpiſſimorum affectuum, et auaritiae inprimis tumultu? Cohaerent nempe haec cum iis, quae u. 19 — 21. dixerat Ieſus. Operam dandam eſſe docet, ut rectum ſit noſtrum de rebus iudicium atque ſincerum; alias enim in perpetuis tenebris nobis eſſe oberrandum, ſi eo ſemel corrupto, fluxa perennibus, coeleſtibus terrena praetulerimus. Vid. *Gottfr. Olearius* in h. l.

24. Occurrit Chriſtus obiectioni tacitae. Facile enim homo opum et uoluptatum ſtudioſus obiiceret, ſe intendere quidem animum ad bona huius uitae paranda; uerum interim nec omittere ea, quae diuini ſunt cultus. Reſpondet Chriſtus: ȣ̉δείς δύναται δυσὶ κυρίοις δȣλεύειν) Intelligendum eſt hoc prouerbium de dominis qui ſunt inter ſeſe diuerſis moribus, quales plerique eſſe ſolent, contraria poſcentes officia. *Terent.* Andr. I. 3. 4. *Nec quod agam certum eſt: Pamphilumne adiutem, an auſcultem ſeni. Si illum relinquo,*

linquo eius uitae timeo: ſin opitulor, huius minas. Phormio I, 1. 26. *Seni fidelis dum ſum, ſcapulas perdidi.* Dominis igitur ſibi contrariis nemo mancipatus eſſe poteſt; quia tum alterum colit, utique quem non colit, offendit: praelatio enim alterius ſine alterius contumelia non poteſt procedere, ut ait Tertullianus in Apologet. ἢ γαρ — καταφρονήσει) Μισεῖν h. l. eſt *poſthabere* ſicut ἀγαπᾷν eſt *praeferre*, hebraico more. Ἀντέχεσθαι τινὸς, *alicuius mandatis obſequi*, cuius contrarium eſt καταφρονεῖν. ὀ δύνασθε — μαμωνᾷ) *Non poteſtis Deo addicti eſſe, et cupiditati corradendi opes.* Μαμμωνᾶς uocabulum Rabbinicum et Syriacum ממון *diuitiae, opes.* δȣλέυειν τῷ μαμμωνᾷ eſt ſeruire opibus, i. e. cupiditati magnas opes et facultates corradendi. Hoc maxime quidem ad Apoſtolos pertinuit, quos Ieſus monet, non poſſe eos ſimul dicare operam ſuam Euangelii praedicationi, et colligendis opibus. Sed et aa omnes alios homines hoc ſuo modo pertinet. Nemo pecuniarum et lucri cupidus Deum recte et ex animo colere poteſt. Egregie Salluſtius: *Vbi diuitiae clarae habentur, ibi omnia uilia habentur: fides, probitas, pudor etc.* Epiſt. 2. de republ. ord.

25. Μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν) *Ne de uita ſuſtentanda ſolliciti ſitis.* Vox μεριμνᾷν, et nomen μέριμνα haud dubie mediae ſunt ſignificationis, 1 Cor. VII, 32. 33. 34. 2 Cor. XI, 28. *curare, ſollicitum eſſe, anxie cogitare.* Hoc comm. et infra commate 31. ſollicitudo quae modum finemque neſciat, deſcribitur. ψυχὴ, נפש h. l. eſt *uita.* Hoc praecipue Apoſtolis praecipitur, ſed ſuo modo aliis etiam Chriſtianis. ȣ̓χὶ ἡ ψυχὴ πλεῖον — ἐνδύματος) πλεῖον,

יותר

יותר pluris faciendum. Qui uitam corpusque, quae pluris ſunt, dedit, ab eo uiĉtum et ueſtitum, quae minoris ſunt, et illorum cauſſa dantur, non ſperare, eſt abſurdum.

26. τὰ πετεινὰ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃) *Volucres in äere uolantes.* Ex Hebraeo עוף-השמים Pſ. CIV, 12. ȣ̓δὲ συνάγȣσιν εἰς ἀποθήκας) De uocabulo ἀποθήκη uid. C. III, 12. Si Deus uolucribus proſpicit aduerſus inediam, quibus non eſt ea induſtria, quae eſt hominibus, quanto magis hominibus proſpiciet? ſi nempe, quod ſuum eſt, faciant. μᾶλλον διαφέρετε) μᾶλλον hic παρέλκει. Διαφέρειν h. l. eſt *antecellere, excellere, praeſtare.*

27. ἡλικίαν) Vulgo interpretantur ſtaturam; at male; nam ad uitam nihil facit augmentum ſtaturae. Ἡλικία ergo hic ſignificat aetatem, uel tempus uitae. Io. IX, 23. ἡλικίαν ἔχει. De *cubito* autem Chriſtus loquitur, tanquam de re minima Luc. XII, 26. quemadmodum Pſ. XXXIX, 6. totius uitae longitudo palmae comparatur. Accedit, quod Ieſus comm. 25. curas diuiſerat in curam uitae ſuſtentandae per alimenta, et in curam ueſtitus. De poſteriori u. 28. demum ſermo eſt; ad primam u. 27. adhuc pertinet. Atqui ad uitam nihil facit augmentum ſtaturae, facit autem cubitus aetati additus.

28. τί μεριμνᾶτε;) τί pro διὰ τί; *cur?* καταμάθετε τὰ κρίνα τȣ̃ ἀγρȣ̃) καταμανθάνειν, h. l. *conſiderare, animaduertere.* τὰ κρίνα τȣ̃ ἀγρȣ̃, lilia ſponte nata, non ab hortulano culta, et quidem purpurei coloris, praecipue in agris Syriae naſcentia; κρίνον βασιλικὸν, cuius mentionem faciunt *Dioſcorides* L. III, c. 16. et *Plinius.* Hebr. שושן. αὐξάνει) αὐξάνειν apud Atticos proprie ſignificationem augendi habet:

hic pro *crescere* sumitur neutraliter. ού κοπιᾷ ούδὲ νήθει) Illud uirorum est, qui agrum colunt: hoc mulierum domisedarum.

29. ούδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ) Salomonem nominat, quia eius temporibus res Iudaeorum fuerunt florentissimae. Δόξα, כבוד non tantum *gloriam*, sed et *splendorem, pulchritudinem* (Act. XXII, 11. 1 Cor. XV, 40.) significat. Lilia cum splendidis uestibus Salomonis comparantur. Nimirum ars nulla potest cum natura contendere. Simillimum huic Christi dicto est *Solonis* illud, qui cum Regem *Croesum* in throno sedentem conspicatus interrogaretur, num pulcrius ullum uidisset spectaculum? uidi, inquit; Gallos scilicet, pauones et phasianos. περιεβάλετο) Ita uerti solet Hebraeum לבש.

30. Χόρτον) Ita uocat ipsum *lilium*, uel flores in genere. Hebraei omnia e terra nascentia diuidunt in עץ et עשב. Illud Hellenistae ξύλον, istud χόρτον uocant, sub quo herbas, frumentum et flores comprehendunt. σήμερον ὄντα) Breuis duratio indicatur. κλίβανον) Attici: κρίβανον. *Hieronymus* in Thren. V, 10. Clibanus est coquendis panibus aenei uasculi diducta rotunditas, quae sub urentibus flammis ardet intrinsecus. Solebant autem furni incendi non tantum ramalibus arborum, sed et floribus, postquam exaruerant, quemadmodum et paleis et lolio. Cf. b. *Fabri Beobachtungen ueber den Orient.* P. I. p. 239. sq. ού πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς) sc. ἀμφιέσεται, *amiciet.* ὀλιγόπιστοι) קטני אמנה Hebraeis etiam uocantur hi, qui quum in praesens habeant satis, futuri incertitudine cruciantur. Vox אמנה, quam exprimit uox πίστεως, praesertim in usu Hellenistarum, significat

ficat ſaepe *fiduciam*, quam in alicuius bonitate ac potentia ponimus.

32. πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ) τὰ ἔθνη, *profani*, idolorum cultores. Ἐπιζητεῖν *uehemens quoddam ſtudium* deſignat. Sine fine quaerunt. Mirum non eſt, gentes curam uictus uehementer anxiſſe, cum aut mundum prouidentia haud regi, aut Deos hominum ſimiles aliquando dormire, aut peregre abeſſe, aut omnibus ſimul negotiis uacare non poſſe, adeoque ſe ſibi relictos eſſe, putarent.

33. ζητεῖτε — τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ) *Adſpirate itaque ad bona, in regno Meſſiae uobis parata, et ad uirtutem Deo gratam.* Ζητεῖν reſpondet Hebraico דרש, adſpirare ad aliquid, petere cum ardore. Regnum Dei uel Meſſiae hic metonymice poſitum pro beneficiis et bonis in regno Meſſiae et in hac et in futura uita exſpectandis. uid. c. III, 2. Δικαιοσύνη, צדק, *ueritas*, et in ſpecie uia ſalutis, quam Deus monſtrat 2 Petr. II, 21, Sumitur etiam interdum pro: *beneficium*, *remuneratio*, ut Ieſ. LIV, 17. Hoc loco δικαιοσύνη αὐτοῦ, ſc. θεοῦ eſt uirtus Deo accepta et grata. προστεθήσεται) Significanter admodum: nam προσθήκην Graeci uocant, quod et ἐπίδοσιν, πρόσθομα, ἐπίμετρον, Latini *corollarium*, *acceſſionem*, *auctarium*, *mantiſſam*. Principale eſt gloria uitae alterius: quae ad hanc uitam deſiderantur, acceſſionis habent uicem.

34. Μὴ οὖ — τὰ ἑαυτῆς) *Nolite itaque diſcruciari curae futuri; nam fiet ſuo tempore, quod* (ex prouidentiae diuinae decretis) *fieri debet.* Ἐις τὴν αὔριον) ſc. ἡμέραν. Αὔριον, hebraicae uoci מחר reſpondens, *poſterum tempus* quodcunque notat, et conſtructio iſta εἰς τὴν αὔριον hebraica

 eſt.

est. Prou. XXVII, 1. Quanquam nec Graecis Scriptoribus infrequens, uoce ἄυριον significatu uti paulo laxiore, ut omne deinceps uenturum tempus significet. Sic Teia Musa: τὸ σήμερον μέλει μοι, τὸ δ' ἄυριον τίς οἶδε; Et Horatius L. I. Carm. Od. 9. *Quid sit futurum cras, fuge quaerere* etc. Ergo sensus uerborum μὴ μεριμνήσητε εἰς τὴν ἄυριον, est: *Nolite in sequens tempus extendere sollicitudinem.* Ἡ γὰρ ἄυριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς, *crastina die* (futuro tempore) *Deus prospiciet illis necessitatibus, quae sunt istius diei.* Diei temporique generatim tribui solet omne id, quod in tempore euenit, quocunque id euenire credatur auctore. 1 Cor. III, 13. Verbum autem μεριμνᾷν h. l. significat effectum potius curae, quam ipsam curam, per metonymiam caussae pro effectu, uel saltem curam efficacem, *curam* quae *procuret.* Sensus igitur huius loci est: crastina die *Deum* esse prospecturum, illis necessitatibus, quae sint istius diei, non debere discipulos sollicitos esse de iis, quorum curam potentior Deus iam susceperit; paratum fore cibum, quo proximi diei itinere fessi reficiantur. ἀρκετὸν — αὐτῆς, *sua cuique diei molestia, aerumna est.* Τῇ ἡμέρᾳ, *cuique diei.* Articulus enim est distributiuus. Habet haec uita suas afflictiones, *quas nihil est necesse metu augeri.* Ἀρκετὸν (sc. ἐςὶ,) constr. cum κακία. Solent enim Graeci adiectiuum neutrum masculino aut foeminino iungere. *Isocrates* ad Demon. τέρψις γὰρ σὺν τῷ καλῷ μὲν ἄριςον. Κακία h. l. est κακὸν, uel ἡ κακότης, *res aduersae, afflictio.* Prouerbium esse uidetur, quod Hebraice sic efferes: די ליום רעתו *Sufficit diei aerumna sua. Hieronymus* epist 147. *Sufficit nobis de praesentibus huius seculi cogitare angustiis. Seneca* epist.

13.

13. *Etiamsi futurum est malum, quid iuuat dolori suo occurrere? satis cito dolebis quum uenerit: interim tibi meliora propone.*

CAP. VII.

1. Μὴ — κριθῆτε) *Nolite rigide* (uel temere) *iudicium ferre, ne uobis idem eueniat.* Non uetat Iesus simpliciter et in uniuersum omnia de aliorum dictis et factis iudicia, sed ea, quae priuato, eoque temerario et maligno ausu, uel ex nimia curiositate per contemtum et superbiam fiunt, quo proximum temere damnamus, illius dicta et facta sinistre interpretantes. ἵνα μὴ κριθῆτε, *ut ne iudicemini,* sc. uicissim, tum a Deo, tum ex talionis iure ab aliis hominibus, quorum censuris merito uestro exponimini. Apud Iudaeos celebris distinctio est inter מדת הדין et מדת הרחמים, mensuram Iudicii et mensuram misericordiae. Solet autem Christus hoc et alia prudentum dicta, ex iis quae in huius uitae cursu obseruarunt petita, transferre ad doctrinam coelestem; et quod illi primum dixerunt de iudiciis aliorum hominum, idem de iudicio ipsius Dei post hanc uitam exercendo uult intelligi.

2. ἐν ᾧ — ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν) Sensus est: *Par pari uobis referetur.* Pro ἀντιμετρηθήσεται quod habet Lucas c. VI, 38. lege μετρηθήσεται, sensu tamen eodem. *Remensum uobis ibitur.* Vulgatissimum hoc apud Iudaeos adagium. במדה שאדם מודד בה מודדין לו׃. Vtuntur et Arabes.

3. τί δὲ — οὐ κατανοεῖς) Sensus est: *Qui fit, ut sis tam perspicax ad minora aliorum uitia, quum ad tua longe maiora conniueas?* βλέπεις, *aspicis, spectas;* non enim reprehendi-

henditur, qui aliorum errores uidet, et intelligit, ſed qui in alios intuetur ſtudio reprehendendi. Κάρφος, *feſtuca*, aliquid ſtipulae inſtar. Graeci κάρφην, gen. foem. uocarunt *foenum aridum et tenue*. Prouerbium inter Iudaeos frequentatum! *Cicero* de off. I, 41. *Fit, neſcio quo pacto, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismetipſis, ſi quid delinquitur. Idem Tuſcul. III, 31. Auari auaros, gloriae cupidi glorioſos reprehendunt: eſt enim proprium ſtultitiae, aliorum uitia cernere, obliuiſci ſuorum.*

4. ἢ πῶς — ὀφθαλμῷ σου;) *Quomodo corrigere poteris alios quum longe maiora tua uitia non animaduertas?* Πῶς uim habet negandi. Non dicere poteris fratri tuo. Vel: *Qua fronte?* Et hoc notum inter Iudaeos fuit adagium. Vid. Lightfoot. cf. Wetſten.

5. ἔκβαλε — ἀδελφοῦ σου) *Te ipſum primum corrige, et tum demum de aliorum uitiis corrigendis cogita.*

6. Ne quis ſuſpicaretur omnem etiam de rebus manifeſtiſſimis iudicandi libertatem tolli, ſubiungit Chriſtus praeceptum ad eam prudentiam pertinens, quam alibi uult cum ſimplicitate coniungi. μὴ δῶτε ἅγιον — τῶν χοίρων) i. e. *Hominibus canum more uobis oblatrantibus, et ſpurcis, non temere proponite doctrinam coeleſtem.* Prouerbium eſſe, docet auctor libri, qui מבחר הפנינים (electio gemmarum) inſcribitur, ubi ſic legitur: *Ne proiicite gemmas coram porcis;* et in Scholio: *Adagium eſt: Ne tradite ſapientiam ei, qui non nouit dignitatem eius; nam pretioſior eſt gemmis, et qui non quaerit eam, peior eſt porco, qui foedat et uolutat ſe in ſterquilinio.* Canum eſt πρὶν σκέψασθαι εἰ φίλος ὁ προσιών, ὑλακτεῖν, ut loquitur Andronicus Rhodius

Rhodius VII, 10. Hinc canibus iure aſſimilari poſſunt, qui monitis, etſi amicis ac ſalutaribus, oblatrant, uel ſolent bene conſulentibus illudere. *Porcis* comparantur homines toti immerſi uoluptatibus obſcoenis. ἅγιον eſt, quicquid Deo eſt conſecratum. ὁ μαργαρίτης (ſc. λίθος) *margarita, unio.* Cum utroque comparatur doctrina Chriſti. Iudaei doctrinas et Lectiones pulchras ac notatu dignas uocarunt margaritas. Cf. Prou. II. et infra c. XIII, 45. Docet Chriſtus, doctrinam euangelicam non eſſe tradendam iis, qui uitiis et praeiudiciis ita ſunt occoecati, ut facile praeuideri poſſit, ueritatem iis riſui fore. Seneca epiſt 29. *Nulli niſi audituro dicendum eſt.* μήποτε — ὑμᾶς) In his uerbis eſt ἐπάνοδος, ſiue ὑςέρησις, ac ſi eſſet: μήποτε (ὗτοι ſc. χοῖροι) καταπατήσωσιν αὐτὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ (ἐκεῖνοι ſc. κύνες) ςραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς, ut Matth. XII, 22. τὸν ΤΥΦΛΟΝ καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ ΒΛΕΠΕΙΝ. cf. Hebr. X, 33, 34. Senſus: *ne illam,* (doctrinam coeleſtem) *exponant riſui, uos autem uexent et interficiant.* Plerumque fit, ut obſtinati contemtores diuinae ueritatis in eius profeſſores immane odium concipiant, plebemque et poteſtates in ipſos concitent: quod in Iudaeis praeſertim Chriſtus eiusque Apoſtoli experti ſunt.

7. αἰτεῖτε — ἀνοιγήσεται ὑμῖν) *Enixiſſimis precibus efflagitate a Deo uobis neceſſaria.* Verbis αἰτεῖν, ζητεῖν, κρὑειν idem denotatur, ſtudium ſcilicet precandi.

8. πᾶς γὰρ ὁ ἀιτῶν) petens, ab homine. multo magis a Deo. πᾶς, *quisquis.* Intelligendum eſt dictum de iis qui petunt, quae petenda ſunt, et a quo et quomodo petitionem fieri iubet Deus. *Philemon* Παντ᾽ ἐςιν ἐξευρεῖν, ἐὰν

μὴ

μὴ τὸν πόνον φεύγῃ τις, ὃς πρόσεσι τοῖς ζητουμένοις. Sicut et pulſanti fores aperiuntur, quod intelligatur illum uelle intromitti.

9. ἢ τίς ἐςιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος κ. τ. λ.) Apud Hebraeos *quis* ſaepe ponitur pro *ſi quis*, ut infra c. XII, 11. XXIV, 45. ἐὰν poſt ὃς poſitum ſolet παρέλκειν, ſiue eſt particula potentialis, pro ἄν. Μὴ autem interrogatiuum hic eſt, ut ſit ſenſus: Si quis inter uos eſt, quem filius panem rogauerit, an lapidem ei dabit? Adagium autem hoc de pane et lapide ab Hebraeis ad alias etiam gentes tranſiit ut ex *Plauto* apparet: *Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.*

11. πονηροὶ ὄντες) *Maligni*, *parci*, non ſemper dantes libenter. οἴδατε δομ. ἀγαθὰ διδόναι) οἴδατε, *ſoletis*; nam in omnibus linguis *ſcire* ponitur pro *ſolere*. οἴδατε μισεῖν.

12. Πάντα οὖν — ποεῖτε αὐτοῖς) *Quomodo uultis* (aut exſpectatis) *ut alii erga uos ſe gerant, in omnibus ita uos gerite erga illos.* Eſt lex naturae. Vid. loca a *Wetſtenio* citata. Iubet Chriſtus operam nos dare, ut aliis praeſtemus ea, quae ratio dictat, *non inique nos ab aliis poſtulaturos.* Hoc autem ideo dicitur, quia plerumque rectius uidemus quid aequum ſit, ubi nihil nobis decedit. οὗτος — προφῆται i. e. ἐν τούτῳ ἐςὶν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται, *haec ſumma eſt eorum, quae in lege et a Prophetis ſunt dicta. Hinc pendet lex et Prophetae* infra c. XXII. 40. Intelligendum eſt autem de *lege* et *monitis ſpectantibus mutua inter ſe hominum officia.*

13. εἰσέλθετε — πύλης) Sensus est: *Imitamini exempla paucorum*, (qui nempe ea incedunt uia, quae ad aeternam felicitatem ducit.) Via ad aeternam felicitatem comparatur cum angusta uia per arctam portam. Nimirum optima quaeque difficiles habent aditus; et Christus iubet nos magis spectare, quo ducat uia, (i. e. uiuendi ratio) quam an commodum habeat ingressum. Huius generis similitudines apud profanos etiam extant, e. g. *Cebetis Tab.* describens τὴν ὁδὸν τὴν ἄγουσαν πρὸς τὴν ἀληθινὴν παιδίαν, ostendit: θύραν τινα μικρὰν, καὶ ὁδὸν τινα πρὸ τῆς πύλης, ἥτις οὐ πολὺ ὀχλεῖται, ἀλλὰ πάνυ ὀλίγοι πορεύονται, καὶ ἀνάβασις στενὴ πάνυ, καὶ κρημνοὺς ἔχουσα ἔνθεν κἀκεῖθεν βαθεῖς. ὅτι πλατεῖα — ἀπώλειαν) *Nam lata est porta et spatiosa est uia abducens in exitium, quam multi ingrediuntur.* Seneca de V. B. c. 1. *Tritissima quaeque uia et celeberrima maxime decipit*, i. e. uel in errorem, uel in perniciem deducit.

14. ὅτι στενὴ ἡ πύλη) Plurimi Codd. habent τί, quod Hellenistae haud raro ponunt pro ὡς, ut sensus sit: *quam angusta est porta?* sed recepta lectio praeferenda uidetur. τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς) *uia arcta, angusta*, uel *confragosa.* ζωὴ autem est *uita beata*, felicitas aeterna.

15. ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν) i. e. ψευδοδιδασκάλων. Nam Hebraeis et ii, qui ad populum docendum procedebant, Prophetae dicebantur. Sermo esse uidetur de iis, qui se Christi sectatores profiterentur (u. 21.) quos falsos uocat ob doctrinam falsam. οἵτινες ἔρχονται — ἅρπαγες) i. e. *Qui externe pietatem et mansuetudinem simulant, sed intus sunt pietatis hostes*, homines auari et crudeles. Ἐνδύματα τῶν προβάτων sunt *uestes ex pellibus ouinis confectae*, alias μηλωταί,

ταὶ, δέρματα αἰγεῖα dicta, qui habitus fere Prophetarum ueterum fuit; illud autem, ἔρχονται ἐν ἐνδύμασι προβάτων est ex graecismo paullo exquisitiore, et denotat: *ueniunt ad uos induti uestibus, confectis ex pellibus ouium.* Indicatur uero *externa illa species sanctae, innocentis et mansuetae uitae, quam falsi doctores illi prae se ferebant.* λύκοι ἅρπαγες, *lupi raptores.* Sic et in *Aesopi* fabulis lupus inducitur ouina pelle obtectus.

16. ἀπὸ τῶν — αὐτοῦς) *Ex moribus facile dignoscetis eos*; si nempe propius eos inspexeritis. Pietas quidem ab iis uel maxime simulatur, sed uerum est illud *Mimi*: *Cito ad naturam ficta reciderunt suam.* Interdum mora aliqua, interdum attentione sola opus est. μήτι συλλέγουσι) Actiuum personale pro passiuo impersonali est positum, ut saepe. *Num de spinis colliguntur uuae, aut de tribulis ficus?* Quemadmodum hoc naturae repugnat, sic etiam contra naturam est ab homine malo exspectare uirtutis et uerae pietatis continuos fructus.

17. 18. 19. σαπρὸν δένδρον) Iudas u. 12. nominat δένδρα ἀποθανόντα. Applicatio est facilis. Qualis sit animus hominis cognoscitur ex eius moribus. Homo malus non diu latere potest, quin factis animum prodat. cf. Matth. III, 10.

20. ἀπὸ — αὐτοῦς) Quum libenter homines moribus suis conuenientia doceant, ex factis istiusmodi suspectos ipsos habete, priusquam dogmata sua uobis instillent.

21. οὐ πᾶς — ἐν οὐρανοῖς) *Non omnes, qui ore profitentur me esse Messiam, pro ueris discipulis meis agnoscentur, sed*

ii,

ii, qui faciunt quod optimus Pater meus iubet. Εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν nihil aliud eſt, quam *fieri ciuem regni Chriſti,* h. e. uerum Chriſti diſcipulum, dignum cui beneficia, ueris eius cultoribus in hac et futura uita parata tribuantur, ut recte colligitur ex u. 23. οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς. Cf. ſupra III, 2. Ὁ λέγων, κύριε, κύριε, i. e. qui nomen meum profeſſus fuerit, meque pro magiſtro ſuo agnouerit. Apud Iudaeos enim diſcipuli magiſtros compellabant *Dominos,* et illi contra *ſeruorum* nomine ueniebant. In uerbis: οὐ πᾶς. negatio eſt particularis; nam et qui obediunt Deo, dicunt Chriſto: Domine, Domine, i. e. ſe Chriſti ſectatores profitentur. At obedientia ueros et falſos Chriſtianos diſtinguit. Τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, quod iubet pater. Ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς dicuntur, qui ſerium habent obediendi propoſitum, nimirum δι πίστιν ἔχοντες οὐ νεκρὰν, ἀλλὰ δἰ ἀγάπης ἐνεργουμένην. Haud raro enim *agendi* uerbis ſignificatur *ſtudium*, ſed *tale, quod data occaſione actuoſum eſt* — Non titulus Chriſtianum facit, ſed uita.

22. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ) Intelligitur dies nouiſſimus, qui dicitur ἐσχάτη ἡμέρα, et ἡμέρα κρίσεως multis in locis. οὐ τῷ σῷ ὀνόματι — ἐποιήσαμεν;) *Nonne tua potentia freti uaticinati ſumus — daemonia eiecimus — multa miracula edidimus?* Verbi προφητεύειν ſignificatio h. l. eſſe uidetur *uaticinari, praeſagire futura*; nam de factis inſignibus, omnique admiratione dignis eſt ſermo. Δαιμόνια ἐκβάλλειν, *morbos curare* incurabiles uiſos plerisque. Vid. ſupra c. IV, 24. Δυνάμεις, *miracula.* Nam δύναμις, hebr. חיל, meton. effecti ſaepe eſt *miraculum*, res quae nonniſi adiu-

trice potentia diuina effici possit. Designantur h. l. homines, qui huiusmodi mirabilia effecerunt ὀνόματι χριστοῦ, i. e. potentia et auxilio Christi freti. Sic enim sumitur haec phrasis etiam Marc. IX, 38. coll. Luc. IX, 49. ubi aliquis, qui non erat discipulus, ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ daemonia eiecisse dicitur. Hic certe non auctoritate, non iussu Christi daemonia eiecit, sed potentia eius fretus, usus formula, qua discipuli uti solebant: in nomine Iesu uolo ut daemoniacus sanitati restituatur. Hoc nostro loco autem sermo est de hominibus, qui se pro discipulis Iesu gerebant, (dicebant ei κύριε,) quorum autem mores professioni non respondebant. Docet igitur Iesus, nonnisi homines probos et praeceptis diuinis conuenienter uiuentes sibi fore gratos et acceptos, atque felicitatis ueris Christianis paratae participes; nec posse defectum emendatae et probae uitae factis externis, quantumuis speciosis compensari. 1 Cor. XIII, 1 — 3. Perspicimus inde, caute tractandum esse locum de miraculis, et argumentis pro ueritate religionis christianae inde desumtis. Patrauit miracula Iesus; patrauerunt etiam, uel patrare uisi sunt falsi doctores et fraudatores. Matth. XXIV, 24. Sed erat inter alia hoc discrimen, quod Iesus et eius Apostoli sanctissimam agebant uitam, nec unquam quaerebant honores, aut pecunias, sed tantum aliorum hominum utilitatem et commodum. Io. VIII, 46 — 50. VII, 18. Quod secus erat in falsis doctoribus et fraudatoribus. Nec (quod obiter moneo,) negligendum erat *Francisci Baconis de Verulamio* egregium dictum: — *Nunquam Deus edidit miraculum, quo conuerteretur Atheus; quia poterat ipso naturae lumine ad notitiam Dei perduci; uerum miracula ad conuertendos idololatras et superstitiosos designata sunt,*

ſunt, qui Numen agnouerunt, ſed in Cultu eius aberrarunt. (De augm. ſcientiar. Lib. III, c. 2. p. 144.)

23. ὁμολογήσω αὐτοῖς) *Profitebor, palam dicam ipſis.* Graeci uocem ὁμολογεῖν iſto ſenſu non uſurpant, ſed eſt ex Hebraismo ידה. οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς) *Nunquam uos pro meis habui*, uel etiam : *nunquam uos approbaui*, ut Rom. VII, 15. more Hebraeo, apud quos ידע ita ſumi ſolet. ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν) Ita LXX. uertunt in Pſ. V, 6. פֹּעֲלֵי אָוֶן, qui uelut artem peccandi exercent, ἁμαρτωλοὶ, *ſceleſti, improbi.*

24. πᾶς οὖν — τὴν πέτραν) *Qui igitur has meas doctrinas auditas uita et moribus exprimit, is ſimilis eſt* ἀνδρὶ φρονίμῳ, *uiro ſapienti, prudenti*, futuros caſus ſecum reputanti et ſibi proſpicienti, ne id quod ſuſcepit negotium fruſtra ſuſceptum eſſe appareat. Ceterum conſtructio huius commatis tota eſt hebraica. Graece eſſet : πάντα οὖν ἀκούοντα μου τοὺς λόγους τούτους — ὁμοιώσω ἀνδρὶ κ. τ. λ. Ὅστις et αὐτὸν hebraico more redundant.

25. οἱ ποταμοὶ) h. l. ſunt *inundationes, diluuia.* Προσπίπτειν, h. l. eſt *irruere, impetu ferri.* τεθεμελίωτο) pro ἐτεθεμελίωτο. Sic et apud Ioſephum aliquoties inuenies πεποιήκει. Applicatio eſt facilis. Quicunque uitam uiuit doctrinae meae congruentem, is ſibi ſuisque commodis optime conſulet ; firmus ſtabit in calamitatum procellis, nec unquam uere miſer, ſed in hac et futura uita tranquillus et beatus erit.

26. 27. Similes ſententias ex Rabbinorum ſcriptis uide ap. *Wetſt.* Chriſtus autem hoc uult docere : Externa opera

ſine interna pietate cordis, et ſincero uirtutis ſtudio, miracula etiam, ſunt quidem inſtar ſplendidi aedificii; ceterum ſi animus iſta gerentis ſpectat inanem hominum laudem, quaeſtum et uoluptatem, corruent omnia, ſi quando ingruerit uehemens tentationum procella. Cuius autem affectus fixus eſt in doctrina euangelica et ſtudio uirtutis, is, a ſolo Deo expectans praemium recte factorum, aduerſus omnes malorum iniurias impiorum atrociſſimas perſecutiones et mortem ipſam ſtabit inconcuſſus et infractus uſque ad diem illum, cum perſeuerantia uictrix malorum ſuam feret coronam.

28. καὶ ἐγένετο — διδαχῇ αὐτȣ̃) Ἐξεπλήσσοντο, Vulgata recte uertit: *admirabantur* Hebr. וַיְהִי, poſſet omitti non laeſa oratione.

29. ὡς ἐξȣσίαν ἔχων, καὶ ȣ̓χ ὡς οἱ γραμματεῖς) Senſus eſt: *Fuit enim doctrina eius efficax* (ui ac pondere praedita,) *non ſicut illa Phariſaeorum.* Verba ὡς ἐξȣσίαν ἔχων periphraſtice poſita ſunt pro ἐν ἐξȣσίᾳ. Cf. Luc. IV, 36. Phariſaei aliique Iudaeorum doctores uanis diſputationibus tempus inutiliter terebant, et populo etiam proponebant uarias uariorum Rabbinorum et antiquiorum doctorum ſententias de ritibus et caeremoniis ſuae ſuperſtitionis. Sed Ieſu doctrina non tantum ſua ſe utilitate atque euidentia commendabat, ſed et animos mouebat, et ad obſequium praebendum flectebat.

CAP. VIII.

1. Καταβάντι — ὄρȣς) Quum deſcendiſſet e monte, et iam redire uellet Capernaumum, ubi domicilium ad tempus habebat,

bebat, u. 5. Cf. supra IV, 13. Lucas haec gesta esse dicit ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων. C. V, 12. Ἠκολούθησαν αὐτῷ) Redundat αὐτῷ ex hebr. Idiotismo.

2. λεπρὸς) *Leprosus.* Misera leprosorum erat conditio, quia ab urbibus et consortio humano erant exclusi. Leuit. XIII. XIV. προσεκύνει αὐτῷ) Marc. I, 40. γονυπετῶν. Ita procidit, ut genua Christi contingeret. Videtur omnino magnum aliquid et eximium de Iesu concepisse animo, nimirum liberrimam sanandi potestatem. Sed an hunc esse promissum Messiam crediderit, dubitari potest, quum ipse Iesus id nondum palam esset professus, neque is rumor in uulgus manasset. κύριε) Moris erat Iudaeis, hoc modo quemuis etiam ignotum appellare. Io. XX, 15.

3. ἥψατο αὐτοῦ) Hoc erat signum boni ominis, quod leproso fidem faciebat, sanationem certo secuturam. Nisi enim Christus sanationis fuisset certus, non ipsum tetigisset, quod sine pollutione et magna Iudaeorum offensione fieri non potuisset. Opera autem uirtute diuina patrata semper exemta fuerunt a praeceptis ritualibus. Cf. 1 Reg. XVII, 19. sqq. 2 Reg. IV, 34. θέλω, καθαρίσθητι) Sacerdotes post longam explorationem pronunciabant, utrum quis a lepra purgatus esset: at Christus uerbo eam sanabat. Haec est illa μεγαλοφροσύνη, quam in Mose miratus est *Longinus.*

4. ὅρα μηδενὶ εἴπῃς) Hoc loco uidetur Christus non diutius silentium imperasse, quam dum sanatus a lepra se sacerdoti stitisset explorandum. Notandum est enim hoc miraculum in Galilaea accidisse Marc. I, 39. Iussit igitur Christus hominem, abiecta omni mora, festinare Hierosolymam, ne, si tempus narrando tereret, rumor prius ad aures

 sacer-

ſacerdotis perueniret, isque laudibus Ieſu inuidens immundum pronunciaret, qui mundus erat, quo facto magna pars beneficii in leproſum collati periiſſet. τῷ ἱερεῖ) Cuidam e ſacerdotum numero, cui ceteri eam prouinciam delegauerant. Leuit. XIII, 22. τὸ δῶρον) *Oblationem*, (tibi leproſo praeſcriptam) duos paſſerculos. Leuit. XIV. 4-7. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) Vt illi habeant documentum ſanitatis recuperatae; ut ſacerdoti teſtanti omnes Iudaei credant, te eſſe mundatum et recipiendum in communionem; nam ubi Sacerdos teſtimonium perhibuerat et ſacrificium erat oblatum, tum nemo dubitabat ſanitatem eſſe reſtitutam.

5. τῷ Ἰησοῦ) Leg. αὐτῷ. Nam τῷ Ἰησοῦ poſitum eſt propter initium lectionis eccleſiaſticae. προσῆλθεν — ἑκατόνταρχος) Αὐτῷ πλεονάζει, more hebraico. Lucas: (c. VII, 3.) ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν πρεσβυτέρους. Sed et hic ualet illud: Quod quis per alium facit, ipſe feciſſe putatur. *Centurio*, qui Herodi Tetrarchae militabat. Non autem Iudaeus erat; nam a Iudaeis diſtinguitur com. 10. Plurimi ex ſubditis Herodis erant gentiles in Galilaea gentium, et Scythopoli, quibus ille non minus fidebat quam Iudaeis. Ioſeph. Vit. 22.

6. ὁ παῖς μου) *Seruus meus. Pollux* III. 8. καλοῦνται παῖδες οἱ δοῦλοι παρὰ τοῖς ἀττικοῖς, κἂν ὦσι πρεσβύτεροι. Sic etiam Latinis puer ſaepe eſt ſeruus, mancipium. βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς) *Decumbit domi paralyſi laborans.* βέβλησθαι *decumbere*, ut infra u. 14. Παράλυσις, neruorum reſolutio, duplex eſt, una cum contractione, altera cum remiſſione neruorum. Totum latus pari facilitate uis morbi pertentat, quando ad alterum ſpinalis medullae principium delabitur.

Quin

Quin uniuerſum fere corpus comprehendit, et in Apoplexiam deinde migrat. Vid. *THOMAE BARTHOLINI commentar. de Paralyticis N. T.* Lipſ. 1685. Decumbebat iſte centurionis ſeruus, et quod Lucas addit, cum mortis periculo: quare credibile eſt παράλυσιν hic dici, non partis, ſed totius corporis reſolutionem, ἀποπληξίαν ſcilicet. δεινῶς βασανιζόμενος) *grauibus doloribus afflictus.* Vox βασανίζεσθαι minus graeca quibusdam uiſa apud optimos ſcriptores, et *Ioſephum* quoque occurrit. Proprio quidem ſenſu denotat *tormentis cruciari*; translato autem *grauiter affligi.*

8. ὀυκ εἰμὶ ἱκανὸς) uid. c. III, 11. Quam humillime de ſe ſentiebat homo ethnicus. Nec mirum, quum ſciret, Iudaeos conuictum ethnicorum propiorem abhorrere. εἰπὲ λόγον) *Iube.* Alii leg. λόγῳ. Sic enim habent Codd. quamplurimi, Verſiones quaedam, et Patres nonnulli. Et eſſet ſicut illud *Terentii*: Quin tu uno uerbo dic, quid eſt, quod me uelis.

9. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπος — καὶ ποιεῖ) Hebraiſmus: εἰμὶ καὶ λέγω. pro ὢν λέγω. Senſus enim eſt: καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπος ὢν ὑπ' ἐξȣσίαν, ἔχων δὲ ὑπ' ἐμαυτὸν ϛρατιώτας, λέγω τȣ́τω. *Nam et ego, quum ſim alienae ſubditus poteſtati, tamen militibus, in quos poteſtatem habeo, uerbo, quid fieri uelim, edico.* Similis Conſtr. eſt Rom VI, 17. et infra c. XVIII, 21. Ait autem, ſe eſſe ὑπὸ ἐξȣσίαν, nimirum non imperatoris tantum et procuratoris, ſed et tribuni. Parent mihi, inquit, milites et ſerui citra exceptionem, ut mos habet diſciplinae militaris, quae non ſciſcitando imperia, ſed parendo conſtat. Sic tibi parent uires naturae. Vt meis uerbis, qui homo ſum aliorum

obnoxius imperiis, parent tamen inferiore loco positi milites; sic tuo uerbo creaturae, mare, tempestates, morbi cedere tenentur.

10. οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον) *Neque inter Iudaeos omnes tantam fidem inueni*; nam Ἰσραὴλ metonymice denotat omnes posteros Iacobi, uel Israelitas. πίστις h. l. firmam de diuina Iesu potentia animi persuasionem significat. Nimirum Iudaei putabant, praesentia Christi opus esse, ut sanari posset: at Centurio de potentia Christi magnificentius sentiebat.

11. πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν — τῶν οὐρανῶν) *Ex omnibus totius orbis nationibus homines fruentur coelestibus gaudiis cum Abrahamo etc.* Apud Lucam est plenius: ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, καὶ ἀπὸ βοῤῥᾶ καὶ νότου) quomodo Graeci quoque et Latini loqui solent, quoties significare uolunt omnes orbis regiones. Vitam aeternam Iudaei uocant סְעוּדָה, *conuiuium*, et coeleste gaudium conuiuii specie describitur. Christus nondum clare, tacite tamen significat, multos ex gentibus professuros esse doctrinam suam. Intelligebant hoc auditores fortassis de Proselytis in Iudaeorum sectam transgressuris et circumcidendis.

12. οἱ δὲ υἱοὶ — ὀδόντων) *Ii uero, quibus praecipue destinata erant gaudia regni coelestis, eiicientur* (e coenaculo ubi Abrahamus) *in loca inferni tristissima, grauissimasque dabunt poenas.* Sicut בן מות Hebraeis est mortis damnatus, υἱὸς θαλάμου, is, qui in thalamum admittitur, ita *filii regni* sunt, *quibus ex foederis priuilegio regnum prae ceteris destinabatur, nisi ipsi sibi obsisterent.* Rom. IX, 4. Multi ex his ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, *eiicientur*

tur in tenebras illas exteras. Τὸ ἐξώτερον, quae extra ſunt. Manet in imagine conuiuii: coenaculum crebris luminibus per noctem collucebat; expulſus coenaculo atque domo in tenebris uerſatur, quoque longius remouetur, eo craſſiores tenebrae ipſi offunduntur, infra c. XXII, 13. XXV, 30. Eſt ergo σκότος ἐξώτερον *ſtatus, qui longiſſime remotus eſt a coeleſti gaudio, quod lucis nomine ſolet appellari.* Ἐκεῖ ἔςαι ὁ κλαυθμὸς etc. *Ibi dolore grauiſſimo et inuidia cruciabuntur.* i. e. poenas dabunt, et dolorem acuet liuor, cum uidebunt alienigenas ad felicitatem et honorem ipſis promiſſum admiſſos.

13. ὕπαγε) Hebraei, quum, quod petitur concedunt, ſolent dicere לך, interdum eſt auerſantis, interdum imperantis. Has ſignificationes diſtinguebat pronunciatio. Interdum in prima illa notione addebatur ἐν εἰρήνῃ, uel ſimile aliquid. ὡς ἐπίςευσας γενηθήτω σοι) Sc. οὕτως. Ita res tibi eueniat, quemadmodum credidiſti. ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, illo ipſo temporis momento; ὥρα enim hic ſignificat illud ipſum tempus, quo Chriſtus eo ſermone fuit uſus.

14. εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου) Petrus et Andreas Bethſaidae habuerant larem, antequam Chriſtum ſectarentur. Tum autem domicilium habebant Capharnaumi, ubi uxorem duxerat Petrus.

16. ὀψίας δὲ γενομένης) Deeſt ὥρας, quod nomen Marcus addit.

17. ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου) Ieſ. LIII, 4. *Ita ut* (hoc etiam ſenſu) *illud recte dici potuerit,* quod uaticinatus eſt Ieſaias etc. Accommodatiue, ut non-

nonnulli putant, locus Ieſaiae a Matthaeo refertur ad ſanationem morborum, quem Petrus 1 Ep. II, 24. proprie refert ad remiſſionem peccatorum. ἀυτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν) *Infirmitates noſtras abſtulit, et oneri ſanandi morbos noſtros ſuppoſuit humeros.* Neglecta LXX. interpretum uerſione preſſius hebraearum uocum indolem expreſſit Matthaeus. Λαμβάνειν, נשא frequentiſſime etiam ἀναιρεῖν, ἀφαιρεῖν, ἐπιλαμβάνειν, *auferre*, βαστάζειν uero סבל, *auxilium ferre* ſignificat; nam *auxilium*, *cura* noſtro loquendi et concipiendi modo aliquid oneris habet et moleſtiae. Sic igitur Saluator βαστάζειν τὰς νόσους dicitur, pro quibus ſanandis curam geſſit. Eundem ſenſum Ieſaiae etiam uerbis ineſſe, non male ſuſpicatus eſt *Gottfr. Olearius* ad hunc Matthaei locum.

18. ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν) trans mare Galilaeum, in regionem eam, ubi Bethſaida, Chorazim aliaeque urbes erant ſitae.

19. ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ) *Diſcipulus tuus ero.* Erat hic legis peritus, quales plerique eius aeui, honorum et lucri ſtudioſus; quare quum magnam Chriſto tot miracula edenti potentiam breui adſuturam opinaretur, ſectam eius profiteri uoluit. Sed Chriſtus, paupertatem ſuam produtens, ipſum hominis ulcus tetigit.

20. φωλεοὺς) *Luſtra*, i. e. ὀρύγματα, uel διορυγὰς. κατασκηνώσεις) *nidos*. Proprie hoc uocabulo ſignificantur umbracula; nam σκηνὴ a σκιὰ deriuatur, declaratque proprie tabernaculum ex ramis et frondibus contextum; quo modo etiam nidi ab auibus conſtruuntur. ὁ δὲ ὑιὸς τοῦ ἀνθρώπου)

Hoc

Hoc modo Christus nunquam nisi a se ipso appellatur, si excipias locum Act. VII, 56. cf. Apocal. I, 13. XIV, 14. Quo igitur pateat uocabuli huius ratio, sciendum est, אדם et בן אדם Hebraeis saepissime designare hominem *contemtae sortis*, e. g. Iud. XVI, 7. 11. Ps. LXXXII, 7. Praecipue huc pertinet Ps. XLIX, 2. ubi opponuntur בני אדם iis, qui ibidem dicuntur בני איש, et LXX. בני אדם uerterunt γηγενεῖς, i. e. *ignobiles*, quos et Latini *terrae filios* uocabant. Descripsit ergo hac uoce Christus suam illam κένωσιν, de qua agitur Phil. II, 7. Nec aliud est hic ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ quam apud Iesaiam LIII, 3. נבזה וחדל אישים. Quae est ratio cur Apostoli nunquam Christum exaltatum, hoc nomine appellauerint, si Stephanum excipias. Praeferenda tamen uidetur *Dan. Heinsii* ratio, suspicantis Iesum sibi hoc nomen tribuisse primi hominis respectu, qui אדם siue ὁ ἄνθρωπος uocatur; ut ὁ ἄνθρωπος sit *homo primus*; υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ qui post illum ἐξόχως sic dicitur, idem qui secundus Adam dicitur. Confirmatur haec *Heinsii* sententia eo, quod in scriptis Iudaeorum frequens est mentio primi et secundi Adami; (uid. *Neue Schalom* fol. 160. 2.) et quod amauit Iesus obscure significare dignitatem suam, quam iam tum palam praedicare ob multas caussas nec potuit nec uoluit. Hac igitur denominatione Iesus obscure significasse uidetur, se esse *Messiam*. Accedit, quod phrases ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ et Messias promiscue usurpantur, siue permutantur Io. XII, 34. Matth. XVI, 13. Ceterum haec phrasis accipienda est loco pronominis primae personae ἐγώ, nam familiare est Hebraeis de se loqui in tertia persona. ȣ̓κ ἔχει πȣ̃ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ) Adeo se remotum a diuitiore fortuna Christus ostendit, ut ne

domum

domum quidem habeat propriam. Habitauit ergo Capharnaumi in conducto, aut diuertit apud discipulos.

21. ἕτερος τῶν μαθητῶν) alius quispiam, i. e. ἄλλος. Sed et ἕτερος non semper de duobus tantum ponitur. ἐπίτρεψον — πατέρα μου) Permitte ut domum redeam, (ibique maneam) ad mortem usque Patris. Nondum mortuus erat hominis pater. Voluit itaque post mortem eius demum redire ad Iesum, quia non moriturum esse Messiam putauit.

22. ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκροὺς) Est sententia paradoxa. Nam νεκροὶ in parte dicti priori improprie dicuntur homines inertes ad negotia, et hoc nominatim loco inertes ad negotia, qualia postulabat Iesus a sectatoribus suis perpetuis, ut irent et docerent homines. Sensus igitur est: Permitte negotia manuaria iis, qui aut non possunt, aut non uolunt occupari tradenda religione; tu potes meliora facere. *Eorum esse*, inquit Christus, *curam rerum corporalium animi culturae anteuertere, quibus animus hebes atque iners torperet. Leon. Hoffmannus* et *Heumannus*, quibus accedit *Moldenhavverus* (in additam. ad h. l.) per *mortuos*, qui sepeliunt mortuos suos, intelligunt *Viros mortuorum praecepti*, אנשי מת מצוה, quorum erat sepelire eos mortuos, quibus propinqui non erant, aut quorum propinqui erant absentes.

23. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ) Plures illis duodecim hic intelligi, satis apparet ex comm. 27.

24. σεισμὸς μέγας) i. e. *uehementissima tempestas.* סער גדול Ionae I, 4. *Virgil.* Aen. I. 139. Sed *motos* praestat componere *fluctus.* Et *quati aequora,* dicunt Poetae.

25. ἀπολλύμεθα) *actum est, perimus.*

26. ἐπε-

26. ἐπετίμησε) Vulg. *imperauit.* Vſurpatur interdum pro: *additis minis praecipere*, ut infra c. XII, 16. Eſt autem haec phraſis hebraica, ut apparet ex Pſ. CVI, 9. et Naum. I, 4. et adhibetur, ubi de inhibenda maris tempeſtate agitur, quod uis ui obiici et opponi uideatur.

27. ποταπός ἐστιν οὗτος) *Quantus uir iſte eſt?* Incipiunt maius quiddam humana magnitudine in Chriſto ſuſpicari; nam Dei ἐπίθετον eſt Pſ. LXV, 8, *compeſcens fremitum marium.* Audiuerant eum ſanaſſe aegrotos, quod ſaepe medici etiam faciunt; at nunc uident uento etiam imperare, quod omnium hominum uires longe ſuperat.

28. τῶν γεργεσηνῶν) alii leg. γαδαρηνῶν, al. γερασηνῶν. Sed Origenes praetulit γεργεσηνῶν, eumque ſecuti ſunt, prouocantes ad codices, Victor ant. Epiph. Auctor ſynopſ. Theophyl. *Gadara* metropolis fuit Peraeae, cui imminebat *Geraſa*, uel *Gergeſa*, locus ignobilis. Regio Gadarena terminauit Galilaeam a plaga Orientali. δύο δαιμονιζόμενοι — ἐξερχόμενοι) δαιμονιζόμενοι. cf. annotata ad c. IV, 24. Fuerunt autem ſepulcra Iudaeorum in ſpeluncis in agro, ſub terra longe protenſa, ita ut arcus magnum ambitum complectentes repraeſentarent, in quae intrare et exire poterant. χαλεποὶ λίαν — ἐκείνης) χαλεποί, δεινοί, *ſaeui et mali*, qui hominibus ualde erant moleſti. Phreneticos et furioſos fuiſſe, dubio caret; nam eiusmodi homines in paroxiſmis robuſtiores eſſe, uiresque habere auctas, experientia docet. *Actuarius*, Medicus Graecus inter Melancholiae uaria genera refert λυκανθρωπίαν; qui hac detinentur, nocte intempeſta hac illacque circumcurſitant, atque in monumentis ſolitudinibusque oberrant, luporum in morem: uerum

uerum interdiu reuertuntur, et ad ſeſe redeunt, ac domi reſident. *P. Aegineta* III, 14. de Melancholia et inſania: putant aliqui, ſe animalia bruta eſſe, et illorum uoces imitantur — quidam uero etiam putant, ſe ab aliquibus maioribus poteſtatibus impeti, et futura praedicere etc. In *Hieroſ. Trumoth:* Haec ſunt ſigna τȣ̃ שוטה, *ſtulti: Exit nocte, et pernoctat inter ſepulcra, et ueſtes ſuas lacerat, et quodcunque ei datur, peſſundat.* Cf. Marc. V, 3 - 5.

29. τί ἡμῖν καὶ σοί;) *Quid rei nobis tecum?* Subaud. πρᾶγμα. Hoc ſi ex uſu latini ſermonis interpreteris, contemtum uidetur inducere. At Hebraeis aliud ſignificat, nimirum: *cur mihi moleſtiam exhibes?* 2 Sam. XVI, 10. 2 Paralip. XXXV, 21. Ἰησȣ̃ υἱὲ τȣ̃ θεȣ̃) Ieſu, Meſſia. Ieſum a multis pro Meſſia haberi, ab aliis percipere potuerant. Fortaſſis etiam Ieſum ſaepe uiderant et docentem audiuerant. ἦλθες — ἡμᾶς;) Ita loquuntur maniaci; nam ſe eſſe malos daemones putant. Ego ipſe aliquando mulierem uidi melancholicam, quae conſtanter aſſeuerauit, ſe eſſe cacodaemona. Cf. Marc. V, 7. πρὸ καιρȣ̃, *nimium mature.* Poenam ipſis decretam differri rogant. Poſſumus etiam cum Wetſtenio ſic explicare: Recordabantur maniaci, quomodo ui et uinculis conſtricti, modo medicamentum ingratum et purgans bibere, modo uenae ſectionem pati, et ad praeſcriptum medici uiuere fuerint coacti, quibus ſimilia metuebant.

30. ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν ἀγέλη χοίρων) In montibus fuit grex porcorum, ſecundum alios Euangeliſtas. Verſio uulgata habet *non longe,* contra fidem omnium Graecorum Codicum. Iudaeis quidem non licebat porcos alere, at

at Gadarae et in ea regione plures erant Gentiles. *Ioseph.* Antiq. XVII, 11.

31. οἱ δὲ δαίμονες — τῶν χοίρων) *Daemones* dicuntur a Iesu petiisse, ut ipsis permitteret irruendi in gregem porcorum; sed intelliguntur ipsi Maniaci, quibus idea fixa (ut Medici loquuntur) erat haec, se esse immundos spiritus. Verba igitur haec sunt furiosorum hominum, qui aptius domicilium eligere sibi non posse putabant post sepulcra, quam porcos. Cf. notata ad u. 28. 29. Referuntur Marc. V, 9. sqq. Luc. VIII, 30. alii etiam horum hominum sermones, quibus mentis alienationem et insaniam prodiderunt.

32. καὶ εἶπεν αὐτοῖς) *Maniacis* nempe. Insanientes, qui eum rogauerant, alloquitur Iesus, non daemonas. οἱ δὲ — εἰς τὴν ἀγέλην τ. χοίρων) Alii legunt εἰς τοὺς χοίρους. Homines furentes, agros percurrentes in gregem irruerunt eumque dederunt praecipitem. Promiscue id quod maniaci dixerunt et fecerunt illis ipsis et daemonibus tribuitur. Euangelistae narrant res gestas prout in sensus incurrebant. Audiebant spectatores sermones insanientium, qui se malos spiritus esse dicebant; uidebant actiones eorum. Haec dicta et facta Euangelistae narrant. Ergo nobis non obstat Lucas, dicens c. VIII, 33. τὰ δαιμόνια ingressa esse in porcos; nam alio etiam loco, (c. XI, 14.) δαιμόνιον uocat hominem, qui δαιμονιζόμενος uocatur apud Matthaeum, c. XII, 22. Omnia quae Christus prodigiose fecit, simpliciter hominibus utilia et benefica fuerunt. Cur autem hoc unum factum a regula exceptum sit, ratio fuisse uidetur, quod uoluit Christus eos, quorum

quorum torpor monitis et beneficiis diſpelli non poterant, iſto modo excitare, ut conſiderarent quis ipſe eſſet, et quam digna doctrina eius, quae reciperetur. Fortaſſis etiam Ieſus hoc ipſo docere uoluit, quanto pluris facienda ſit uita duorum hominum uniuerſo porcorum grege. ὥρμησε — κατὰ τοῦ κρημνοῦ) *ferebatur e praecipitio*; κατὰ ponitur pro ἀπὸ, ut in illo *Homeri* κατὰ πέτρης βαλέειν, de ſaxo deiicere.

33. τὰ τῶν δαιμονιζομένων) i. e. περὶ τ. δαιμ. *Quae Daemoniacis accidiſſent.* Sic enim recte Helleniſmus illuſtratur. Cf. Marc. V, 14-16. ubi additur maniacum fuiſſe καθήμενον — καὶ σωφρονοῦντα, ſedentem poſt uagos impetus (u. 32.) et rationis compotem.

34. ὅπως μεταβῇ) i. e. ἀποχωρήσῃ, *digrederetur, migraret.* Nimirum peccatorum ſibi conſcii uim in Chriſto diuinam metuebant.

CAP. IX.

1. Εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν) Ciuitas noſtra dicitur, ubi domicilium habemus. Erat Capernaum, c. IV, 13. Cf. Marc. II, 1. et Luc. V, 17. ſqq.

2. καὶ ἰδὼν — τὴν πίστιν αὐτῶν) *Quum cognouiſſet fiduciam eorum,* nempe aegroti et amicorum. Sicut centurionis fiducia profuerat ſeruo: ita prodeſt huic aegroto fides amicorum; quanquam et ipſi fidem non defuiſſe credibile eſt. θάρσει τέκνον) *Bono animo eſto, fili.* τέκνον amica et blanda eſt compellatio, ut Marc. X, 24. Paralyticus ſibi conſcius, ſe ſua culpa atque intemperantia morbum contraxiſſe,

et

et grauiora commeritum fuiſſe, inter ſpem metumque dubius pendebat. ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου) *Remiſſa tibi ſunto peccata tua*, h. e. autoritate, qua polleo, uolo, ut tua tibi remittantur peccata. Vox ἀφέωνται, ut recte monet *Gottfr. Olearius* ad h. l. eſt temporis ἀορίστου modi ſubiunctiui, atque adeo uim imperandi habet. Hunc ſenſum imperatiuum uerbis et Scribas tribuiſſe, et Dominum non improbaſſe, manifeſtum eſt. Significauit igitur Ieſus his uerbis ſibi omnino competere poteſtatem remittendi peccata. Sed *remittere peccata* h. l. eſt tollere poenam, uel conſequens peccatorum, morbos; adeoque remittere peccata in hoc negotio idem eſt ac ſanare a morbo. Ex his igitur Ieſu uerbis aegrotus colligere poterat, eum, qui quod maius eſt dediſſet, non negaturum quod minus erat, et qui morbi cauſſam ſuſtuliſſet, etiam morbum ipſum ſublaturum eſſe.

3. εἶπον ἐν ἑαυτοῖς) *intra ſe cogitabant.* βλασφημεῖ) βλασφημεῖν, *maledicere,* uel homini, uel Deo. *Impie loquitur.* Cogitabant, neminem peccata poſſe remittere, niſi Deum, et qui nomine Dei loqueretur, et a Deo miſſus eſſet, 2 Sam. XII, 13. Cf. Marc. II, 7. Luc. V, 21. Tum uero Ieſum a Deo miſſum non eſſe ſumunt, et hinc colligunt, eum, qui ſibi poteſtatem a Deo non acceptam arrogaret, ſe ipſum Deum facere, adeoque blaſphemum eſſe.

4. ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν) Inter εἰδέναι et ἰδεῖν haec differentia eſt, ut illud ad *intelligentiam mentis,* hoc autem ad *ſenſum oculorum* pertineat. Vnde uidebatur dicendum fuiſſe εἰδώς. Sed eius diſcriminis non ſolum ſcriptores N. T. ſed et alios minus tenaces eſſe, patet ex

locis, a *Loeſnero* in obſeruatt. e Philone laudatis. Thalmudici, titulo de Synedrio ex Ieſ. XI, 3. probant contra Barchochebam, Meſſiae cogitationes hominum cognitas eſſe. Quod cum non poſſet, interfecerunt eum. ἱνατί ἐνθυμεῖσθε πονηρὰ) *Quamobrem cogitatis praua*, nimirum me a Deo miſſum non eſſe, me eſſe blasphemum?

5. τὶ γὰρ ἐςιν εὐκοπώτερον;) pro: πότερον γὰρ ἐςι; Vtrum eſt *facilius?* εἰπεῖν) *dicere*, nimirum cum effectu, ut euentus uerbis reſpondeat. Reliqua huius et ſequentis uerſus uarie interpunguntur. Sic autem optime mihi cohaerere uidentur: *Vtrum enim facilius eſt? Dicere, remittuntur tibi peccata? an dicere: ſurge et ambula?* Nimirum mihi quidem utrumque aeque procliue eſt, et peccata condonare, et morbum dicto tollere. Vos hoc poſterius putatis eſſe difficilius.

6. Ἵνα δὲ εἰδῆτε — τῷ παραλυτικῷ) uerba: τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ, non ſunt Parentheſis. Recte monuit *Heinſius*, illud τότε turbaſſe interpretes; (addo et hoc, quod non animaduerterunt, λέγει, ſicut antecedens ἐξȣσίαν ἔχει in prima perſ. eſſe explicandum) *Heinſio* τότε eſt Hebraeorum אך, *ſolummodo*, aut *ſimpliciter*; aliis eſt τό, τε aut τόδε, *hocce*. Vtrum eligas, (quoad ſenſum) nihil refert. Senſus nimirum eſt: Quo uero cognoſcatis (εἰδῆτε, ut u. 2. 4.) *m.* (filium hominis) *poteſtatem habere remittendi peccata in terra, hocce etiam* (uel ſimpliciter) *dico paralytico:* ἐγερθεὶς ἆρόν σȣ τὴν κλίνην κ. τ. λ. Ad uerbum λέγει nimirum ἀπὸ τȣ̃ κοινȣ̃ referri debet ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ. Ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, tollere externum incommodum, quod eſt conſequens peccati. Vid. dicta ad u. 2. Ἐπὶ τῆς γῆς, homini-

hominibus. *Vt cognoscatis me habere potestatem remittendi peccata, nunc etiam sanitatem restituo aegroto isti.* Ἆρον, i. e. *tolle in humeros*; ut appareret de uiribus penitus ipsi restitutis.

8. οἱ ὄχλοι) Enallage: *populus*: homines isti. τοῖς ἀνθρώποις) Itidem enallage numeri, familiaris omnibus prope linguis, quoties aliquid ἀόριστον denotare uolumus. Admirabatur enim plebs, ulli hominum tantum iuris datum esse, quia nullum talis rei exemplum in omni uetustate extabat.

9. καὶ παράγων ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς) *Iesus autem domo egressus* mare uersus, ut patet ex Marc. II, 13. Ἄγειν, pro βαδίζειν, ut in illo Terentii: quo te agis? Παράγειν, *digredi*, quod ostendit particula ἐκεῖθεν. ἐπὶ τὸ τελώνιον) ἐπὶ, *ad*, τελώνιον, locus in quo publicum exigebatur, *uectigaliarium, telonarium*. Ματθαῖον λεγόμενον) Eum nimirum, qui Apostolus postea est factus c. X, 3. quique hunc librum scripsit. Ipse Matthaeus de se scribit, uti Ioannes in Euangelio, Thucydides, et Herodotus. Lucas (c. V, 27. seqq.) et Marcus (c. II, 13. seqq.) eandem narrantes historiam nominant Leuin, Alphaei filium. An diuersa tantum sint nomina unius eiusdemque personae, an uero duo publicani simul uocati sint a Christo, equidem definire non ausim.

10. ἐν τῇ οἰκίᾳ) Matthaei scilicet, aut Leuis, sicut liquet ex Marco et Luca. καὶ ἰδοὺ — μαθηταῖς αὐτοῦ) Sensus est: Quum ibi accumberent Iesus et discipuli eius, accidisse inopinato, ut multi uenirent et una accumberent portitores et profani homines. Τελῶναι, οἱ τέλος ὠνησάμενοι, uectigalia conducentes s. coëmentes, *Publicani* appella-

bantur ab aere publico, quod aerario inferebant. Nam Iudaei ſub Romanorum poteſtatem redacti uectigalia (τὰ τέλη) ex rebus importatis pendere cogebantur. Seruatoris tempore duo hominum genera in Imperio Romano τελῶναι ſ. *publicani* appellabantur. Vnum genus erat eorum, qui uectigalia certa argenti ſumma redemerant. Hi erant equites Romani, et pro honeſtiſſimis habebantur. *CIC. in Orat. pro Planco.* Alterum genus erat eorum, per quos equites portoria exigebant, liberti et ſerui, ac ſortis humilioris prouinciales. De his in Euangeliis eſt ſermo. Quum autem uectigalia ui ſaepe extorquerent, ac plus quam iure debebatur, poſtularent, (Luc. III, 13.) factum eſt, ut maximum odium gentis Iudaicae, libertati adſuetae, incurrerent, ac ipſis etiam gentilibus diſplicerent, qui dicere ſolebant: πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. *Dio Caſſius*, Lib. XLII. aliique. Inde ratio reddi poteſt, cur Publicani cum peccatoribus coniungantur, et cur Iudaei cum iis noluerint conuerſari, edere et bibere. Vid. *SAL. DEYLINGII* obſeruatt. ſacr. T. I. p. 206. ſqq. de *Publicanorum ordine* etc.

11. ἰδόντες) i. e. *cum reſciuiſſent*; neque enim praeſentes fuiſſe uidentur. ἐσθίει) Contra quam fieri oportere legisperiti docebant. Publicanos enim et ſimilis uitae homines eodem loco habebant, quo ethnicos; unde coniungi ſolent τελῶναι καὶ ἐθνικοί.

12. ὀ χρείαν — ἔχοντες) Senſus eſt: Sicuti medici ſolent uerſari libenter cum aegrotis, ſic ego crebrius uerſor cum publicanis et peccatoribus, ad eorum animos ſanandos. οἱ ἰσχύοντες, *robuſti*, i. e. *ſani*. Loquitur Chriſtus ex ſuppoſitione,

positione. Si uos tales estis, quales uobis uidemini, sane meae operae non indigetis. Sic *Antisthenes*, apud Diog. Laert. VI, 6. quum obiectum illi esset, quod cum improbatae uitae hominibus uersaretur: *Etiam medici*, inquit, *cum aegrotis*.

13. πορευθέντες δὲ μάθετε) i. e. Non intelligitis, quid sibi uelint effata Prophetarum. Rabbinis usitata phrasis: צא ולמד, quae in aliis quoque linguis obtinet, e. g. Aen. IX, 634. I, uerbis uirtutem illude superbis. ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν) 1 Sam. XV, 22. Hos. VI, 6. et aliis locis. *Acceptior mihi est beneficentia quam uictima*. Nam ἔλεος, apud Hoseam est חסד, *beneficentia*. Huic opponitur זבח θυσία, quae uox hic synecdochice omnem rituum obseruationem significat, quia in eo operum genere sacrificia excellebant. θέλω, חפצתי, *delector*, *acceptum habeo*. Ad ἔλεον pertinet, peccantem hominem ad bonam frugem reuocare, ad θυσίαν, abstinere a conuictu hominum flagitiosorum. Illud καὶ οὐ, ולא non simplicem sed comparatam negationem designat; (cf. sequentia apud Hoseam) Sensus igitur est: pietatem in animo positam et humanitatis officia apud Deum multo maioris esse momenti, quam rituum ceremoniarumque obseruationem; et Christus recte inde colligit, ita obseruandum illud institutum de uitanda familiari consuetudine τῶν ἀτάκτων, ut non negligantur interim occasiones, eos reducendi in rectam uiam. οὐ γὰρ ἦλθον — εἰς μετάνοιαν) Constr. οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι εἰς μετάνοιαν δικαίους ἀλλ' ἁμαρτωλούς. *Non iustos*, i. e. non eos, qui aut iusti sunt, aut se iustos esse somniant, quales erant Pharisaei; sed *peccatores*, qui spem melioris uitae faciunt.

Verba εἰς μετάνοιαν desunt in multis Codd. Verss. et patribus quibusdam.

14. διατί — ȣ̓ νηςεύȣσι) *Qui fit, ut, quum nos et Pharisaei saepius ieiunare soleamus, tui discipuli non ieiunent?* Agitur et hic, ut supra, non de publicis ieiuniis, sed de priuatis. Norant, cur ipsi et Pharisaeorum discipuli ieiunare solerent, nimirum ipsi ob captiuitatem magistri, pro quo preces apud Deum fundebant, Pharisaeorum autem discipuli ob magistrorum suorum mandata. Sed quaerunt, cur discipuli Christi nulla sibi ieiunia indicerent? non agerent statos dies ieiunii?

15. μὴ δύνανται — ὁ νυμφίος;) *Decetne conuiuas nuptiales moestos esse inter ipsa solemnia nuptiarum?* Μὴ δύνανται; *num possunt? num decet eos?* In interrogatione μὴ est negatio. Sensus est: *non conuenit iis.* Οἱ υἱοὶ τȣ̃ νυμφῶνος, *conuiuae nuptiales.* Νυμφὼν enim est thalamus nuptialis, conclaue in quo celebrantur nuptiales epulae; et *filius* thalami nuptialis per notum hebraismum, qui est in illo conclaui, i. e. conuiua nuptialis. Hoc enim sensu hebr. בן additur Substantiuis, sic e. g. *filius urbis, domus*, est particeps urbis uel domus, i. e. eius incola. Πενθεῖν, pro quo nonnulli Codd. et Syrus habent νηςέυειν ex *Marco* et *Luca*, notionem ieiunandi includit; nam ieiunium luctus est signum siue consequens. Cf. supra c. VI, 16. Ἐφ' ὅσον — ὁ νυμφίος, i. e. *inter ipsa solemnia diei nuptialis*; quamdiu sponsus conuiuis est praesens. Ἐλεύσονται — νηςεύσȣσιν) *Venient autem, sponso ab illis sublato, tempora, quibus agent ieiunium.* Permiscentur similitudo et applicatio similitudinis ad Iesum

eiusque

eiusque discipulos. Non dicit Iesus, se esse sponsum *ecclesiae*, sed comparat se cum sponso, qui conuiuas laeto excipit conuiuio. Quemadmodum absonum esset, inquit Iesus, si sponsus uellet, ut conuiuae nuptiales die nuptiarum essent moesti, et ieiunium agerent: sic esset absonum, si ego discipulis meis praesens uellem eos seuerius tractare. Veniet tempus, quo uitam agent molestam, me ab illis ablato. Sat malorum olim perferent; agant iam uitam laetam et commodam.

16. ὀυδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ) *Nemo assuit particulam panni impexi.* (i. e. noui) *uestimento ueteri.* Ἐπιβάλλειν, *assuere.* Ῥάκος ἄγναφον est pannus, cui fullo manum nondum adhibuit, ac proinde *rudis* uel nouus; γναφεύς fullo est, qui curandas poliendasque uestes accipit; ἐπίβλημα, *additamentum*, particula panni, quae uesti detritae adsuitur. ἄιρει γὰρ — σχίσμα γίνεται) *Nam assumentum aufert aliquid a uestimento, et fit maior ac deformior hiatus.* Notetur, sermonem esse de panno *impexo*, qui imbre madefactus facile contrahitur, et a uestimento uetustate contrito aliquid aufert. Πλήρωμα idem quod modo ἐπίβλημα, est nominatiuus. Ἀυτοῦ intellige τοῦ ῥάκους. ἄιρει ἀπὸ τοῦ ἱματίου dictum ἐλλειπτικῶς pro τί ἀπὸ τοῦ ἱματίου. Vetera instituta Pharisaeorum, inquit Christus, et doctrina mea noua ac perfectior non bene cohaererent. Absurda et intempestiua esset haec diuersarum rerum combinatio.

17. ὀυδὲ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς) βάλλουσιν, impersonaliter, *non immittitur uinum nouum etc.* ἀσκὸς παλαιὸς, *uter uetustate detritus.* Orientales utribus ad seruanda uina utuntur. Noua mea doctrina, longe nobilior ac per-

fectior traditionibus Pharisaeorum nihil habet commune cum miseris illis institutis ac ritibus ieiuniorum. Praeferenda tamen uidetur S. V. *Mori* explicatio (uid. eius dissertatt. theolog. p. 94. sqq.) monentis, in his similitudinibus (u. 14 - 17.) esse uniuersam sententiam hanc: *neminem facile in uita communi id facere solere, quod a re, loco, tempore, natura abhorreat.* Si quis e. c. inter conuiuium moestus esse incipiat, aut mustum utre attrito condat, aut recentem pannum uestimento ueteri adsuat, is certe ab omnibus inepte agere iudicaretur. Sic et ego, Christus inquit, profecto facerem quod ab re, loco, tempore alienum esset, si discipulos meos, quos aliquando calamitosissimam uitam acturos esse scio, in praesenti commodius uiuere non paterer, sed eos sine caussa maturius iusto molestiis onerarem.

18. ἄρχων) nimirum τῆς συναγωγῆς, quod addit Lucas VIII, 41. cf. Marc. V, 22. Hebraeis dicitur Caput conuentus ראש הכנסת, item רב et חבר העִיר, cuius erat scripturam post sacerdotes et Leuitas populo praelegere, facienda in Synagogis praecipere, et munera tam in ordiendis precibus, quam in scripturarum lectione distribuere. Iunguntur illi ἱερεύς et septem boni ciuitatis, siue Seniores, פרנסין dicti. Illi stipendium etiam persoluebatur. Quae omnia *I. Rhenferdius* ex Codice Theodosiano, Epiphanio et scriptis Iudaeorum diligenter eruit. Cf. Campeg. Vitringa de Synag. Vet. L. II, c. XI. ἄρτι ἐτελεύτησεν) *iam, modo* mortua est. Id ex coniectura dicit, de ea, quam moribundam reliquerat. Cf. Marc. V, 23. Luc. VIII, 42. Possumus etiam uertere: *Filia mea iam moritur,* h. e.

h. e. in eo eſt ut moriatur. Nam aoriſtus tempus indefinite, adeoque etiam praeſens ſignificat. ἐπίθες τὴν χεῖρά σου) Notum erat Iudaeis, ſolere Deum Prophetis hunc exhibere honorem, ut in alios dona ſua conferret ad Prophetarum preces, quarum Symbolum erat manuum impoſitio. *Iairus*, ut credibile eſt, arbitrabatur ſanationem a Ieſu non niſi precibus poſſe praeſtari.

20. γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα) Sanguinis profluuio laborans. Eos quos tetigiſſet, polluebat ex iure Iudaico. Paneadenſem fuiſſe mulierem, *Euſebius* refert, H. E. lib. VII, c. 18. et ſtatuam poſitam Chriſto a foemina addit. τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ) κράσπεδον, *lacinia quae eſt in pallio*, Graecis etiam πτερύγιον dicta, Hebraeis ציצית. Cf. *Lightfootum* et alios Hebr. antiq. Scriptores.

21. ἔλεγε ἐν ἑαυτῇ) i. e. *cogitabat*. Eſt enim, (ut ſcite ait Plato in Sophiſta) ἡ διάνοια, διάλογος ψυχῆς ἄνευ λόγου. u. ſupr. v. 3. ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι) ex his foeminae uerbis colligit *Grotius*, exiſtimaſſe eam, ſe poſſe ſanitatem furtim a Chriſto ſurripere, eſſeque emanationem, morborum ἀλεξιτήριον, naturalem magis, quam arbitrii Chriſti. Sed potuit etiam alia eſſe cauſſa, cur contactu potius quam ſermone miſera monere uellet Ieſum de ſua miſeria. Impuritas nempe legalis cum iſto morbo coniuncta, et pudor prohibebant, quo minus coram omni populi multitudine miſerum corporis habitum exponere auderet. Voluit igitur aliam inire uiam, confiſa, fore ut Ieſus contactu etiam de ſua miſeria et fide moueri poſſit.

22. θάρσει θύγατερ· ἡ πίστις σου σέσωκέ σε) θάρσει, *bono eſto animo*. Solent enim trepidare, qui clam aliquid agunt, timentes ne deprehendantur. At Chriſtus erigit foeminam, ac

insignem illam de diuina potentia persuasionem ipsi ad sanitatem profuturam esse dicit. ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης) *ab eo momento.* Significatur ille temporis articulus, quo haec dicta sunt.

23. τοὺς αὐλητὰς) *Tibicines.* Tibias in luctu usitatas apud Iudaeos, Iosephus de B. I. L. III. nos docet. Idem mos fuit etiam profanis gentibus; sed inde non sequitur, a profanis gentibus hunc morem ad Hebraeos esse deductum; et in antiquissimis Hebraeorum scriptis eius moris uestigia reperisse sibi uisi sunt nonnulli. ὄχλον θορυβούμενον) *turbam tumultuantem;* i. e. strepentem, et ad funeris pompam concurrentem.

24. οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον) Non mortua est, ut uos putatis. Putabant autem, eam ita mortuam esse, ut in perpetuum nulla spes uitae superesset.

25. ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς) *prehendit.* Vocabulum proprie significat ui adhibita aliquid retinere; hic autem et aliis locis multis idem ualet quod ἅπτεσθαι, *prehendere*, uel *tangere.* Cf. c. XII, 11.

26. ἡ φήμη αὕτη) *Huius rei fama.* εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκείνην) i. e. χώραν, regionem.

27. υἱὲ Δαβὶδ) Frequentiora Christi miracula iam hoc effecerant, ut a quibusdam non propheta tantum, sed promissus ille Messias crederetur. Idem autem ualet ὁ υἱὸς Δαβὶδ et ὁ χριστὸς. c. XII, 23.

28. εἰς τὴν οἰκίαν) *domum* cum uenisset, eam nimirum in qua Capernaumi consueuerat habitare, quum in ea urbe sibi

ſibi domicilium delegiſſet; nam nihil additur ex quo alia domus intelligatur.

30. ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς) *grauiter interminatus eſt eis.* Nam ἐμβριμᾶσθαι plusculum aliquid declarat quam ἐπιτιμᾷν, ſc. addita increpatione. Λέγων — γινωσκέτω) Quod Ieſus inſigniora nonnunquam miracula ad plurium notitiam emanare noluerit, hoc multum offenſionis habere uidetur religionis Chriſtianae aduerſariis. Sed ex ſapientiſſimis cauſſis Ieſus interdum miracula ſua celebrari et depraedicari uetuit. Veluti in hac noſtra hiſtoria legimus, coecos ſanatos Ieſum habuiſſe pro Meſſia u. 27. Demonſtrauit quidem Ieſus re et factis ſe eſſe Meſſiam, ſed ipſum Meſſiae titulum in ſermonibus ſuis ad populum ſtudioſe euitauit. Praeuidit enim fore, ut populi de gloria et regno Meſſiae praeconceptis opinionibus iuxta ac affectibus, ſuperbo Romanorum imperio accenſis, grauiſſimae turbae exorirentur, occaſioque adeo ſubnaſceretur eius aduerſariis, mundanum regnum quaſi affectaret, calumniandi. Haec igitur praecipua cauſſa fuiſſe uidetur, cur Ieſus interdum miracula ſua manifeſtius praedicari nollet. Cf. etiam c. XVI, 20. Io. VI, 14.

31. ἐξελθόντες) ſc. domo ipſius Chriſti. διεφήμισαν αὐτὸν) ad uerbum, *diffamarunt eum*; ſed h. l. eſt: *famam de ipſo diſſipauerunt.*

33. οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως.) Ponitur οὕτως pro τοιοῦτο hebr. בזאת. Vel ſubaud. τι et γενόμενον. Senſus eſt: Tot ſigna, tam admirabilia, tam celeriter, neque contactu tantum, ſed et uerbo, et in omni morborum genere, a nemine antehac edita, ne a Moſe quidem. Iud. XIX, 30.

34. De

34. De sensu huius loci uide infra c. XII, 24.

35. καὶ τὰς κώμας, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς) Erant plerumque in urbibus tantum Synagogae, ad quas conueniebant omnes, qui in earum urbium erant territorio. Ex hoc loco uidetur posse colligi, in uicis quoque maioribus aliquas fuisse constitutas. πᾶσαν νόσον) omnis generis morbos. Cf. c. IV, 23. ἐν τῷ λαῷ) Deest in multis Codd. et Verss. nec legunt Chrys. et Theophylact.

36. ἐσπλαγχνίσθη περὶ αὐτῶν) *Commiseratione intima commotus est eorum caussa.* Indicat uerbum σπλαγχνίζεσθαι, quo Graeci interpretes expresserunt Heb. רחם summam et uehementem commisserationem, ex intimis uisceribus profectam. Cf. Luc. I, 78. ἦσαν ἐκλελυμένοι) *debilitati,* uel *uiribus defecti, eneruati.* Sed plurimi Codd. Patres et Verss. habent ἐσκυλμένοι, *uexati.* Σκύλλεσθαι autem proprie non de quauis molestia dicitur, sed de fatigatione et lassitudine ex uia. Haec imago repraesentabat, quales essent illorum doctores, qui ipsos multis ceremoniis fatigabant. ἐῤῥιμμένοι) *disiecti, palantes.* Hoc pertinet ad sectarum studia, quod miseri homines hinc a Pharisaeis, inde a Sadducaeis in partes traherentur, ita ut quid sequerentur, quid fugerent, non satis esset ipsis exploratum. ὡσεὶ πρόβατα) quemadmodum ποιμένες sunt reges et doctores, ita πρόβατα sunt subditi et populus. μὴ ἔχοντα ποιμένα) qui nimirum pastorali animo gregem curet, gregis commodo non suo studens, quod est καλȣ̃ ποιμένος officium. Ioh. X, 11. Locutio sumta ex Num. XXVII, 17. 1 Reg. XXII, 17.

37. ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς) Cf. Io. IV, 35. Multa est occasio docendi; et multi sunt auditores, qui doceri cupiunt.

piunt. Christus uult monere discipulos, animos multorum iam satis erectos esse exspectatione sanioris doctrinae. Act. XVIII, 10. οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι) i. e. pauci sunt erudiendae plebi operam nauantes. Ἐργάται, proprie agricolae, operarii, h. l. doctores.

38. ἐκβάλῃ ἐργάτας) ἐκβάλλειν, *emittere*, *extrudere*, i. e. cum festinatione mittere. CIC. ad Famil. XIV, 6. Pollicem, si adhuc non est profectus, quamprimum fac extrudas. Dominus autem messis est ipse Christus.

CAP. X.

1. Τοὺς δώδεκα μαθητὰς) Familiariores ceteris et conuictores quotidianos, aliquanto prius a se selectos, ut ex *Luca* apparet. καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν) Hic Christi diuina uis manifestius, quam unquam antea elucet. Fecerant mira etiam Prophetae, sed mira faciendi potestatem nemini suopte arbitrio concesserant: ne Moses quidem Iosuae, nec Elias Elisaeo. πνευμάτων ἀκαθάρτων) Suppl. κατὰ, *aduersus spiritus impuros*. Sic habent codices non pauci, Verss. Cyr. Theophyl. Sed sine praepositione etiam recte dicitur, Io. XVII, 2. Rom. IX, 21. Polyb. II, 5. τὴν ἐξουσίαν τῶν σωζομένον — τὴν τῶν χρημάτων ἐξουσίαν.

2. Ἀποστόλων) ἀπόστολος, *legatus*, qui cum mandatis ab aliquo mittitur. LXX. hebr. שלוח uertunt ἀπόστολον, ut 1 Reg. XIV, 6. Proprie uocabantur in Thalmudicis libris שליחין, qui decimas atque alia percipiebant, et ad Leuitas deferebant. Mansit hoc nomen inter Iudaeos etiam post urbis excidium; nam patriarcharum assessores uocabantur Ἀπόστολοι, et ad exigendum aurum atque argentum, a Patriarcha

triarcha certo tempore dirigebantur. At uero non eſt credibile, Seruatorem nomen et inſtitutum *Apoſtolorum* ex ſynagogae Iudaicae uſu mutuatum eſſe. Nihil enim Apoſtoli Ieſu cum שליחין Iudaeorum habuerunt commune. In communi Graecorum uſu ἀπόστολοι dicebantur certi homines, qui negotii gerendi gratia, magis quam deferendi nuntii, aliquo mittebantur. At notione peculiari ac propria illi duodecim diſcipuli Chriſti ſic dicti ſunt, quibus ipſe auctoritatem ampliſſimam dedit Eccleſiam ſuam fundandi, conſtituendi, docendi, et doctores illis paſtoresque imponendi, qui deinceps iure ordinario eam eſſent recturi. Praecipuae notae Apoſtolorum fuerunt, quod a Chriſto immediate electi et miſſi ſunt, ut eſſent teſtes reſurrectionis ipſius et omnium quae uidiſſent, (Gal. I, 1. Act. I, 8. 21. 22. X, 41. 42.) et quod iuſſi fuerunt ire per totum mundum, ac inſtituere in religione omnes gentes. Marc. XVI, 15. Vid. *Iſ. Caſauboni* Exercitatt. XIV. Cur *duodecim* praeciſe elegerit Ieſus, uix definiri poterit. Reſpexiſſe eum uolunt ad duodecim tribus Iſraelis. Infra c. XIX, 28. Luc. XXII, 30. Πρῶτος — ἀδελφὸς ἀυτȣ̃) Petrus et Andreas diſcipuli Ioannis hactenus fuerant. Io. I, 37. ſeq. Petrus hic uocatur πρῶτος. *Beza* in notis Edit. I. ſuſpicatur, hoc uocabulum ab aliquo fuiſſe additum, qui Petri primatum uellet ſtabilire. Iſtam tamen ſuſpicionem tum in editionibus ſequentibus, tum ad Marci III, 16. depoſuit. Non uidetur ipſe Chriſtus, certum aliquem ordinem dignitatis inter diſcipulos ſuos inſtituiſſe. Si enim inſtituiſſet, ſine dubio omnes Euangeliſtae illum ordinem conſtanter ſeruaſſent; quod ſecus eſſe ſcimus, diuerſo enim ordine recitata ſunt nomina Apoſtolorum ab Euangeliſtis. Iudas tamen Iſcariotes

ubique

ubique ultimum, Petrus uero ubique primum, et Ioannes cum fratre Iacobo tertium et quartum, uel quartum quintumque locum tenent. Gal. II, 9. Act. XV, 7. 13. infra c. XVII, 1. XXVI, 37. Existimant nonnulli, ordinis inter Apostolos seruati rationem positam fuisse in tempore, quo unusquisque eorum in disciplinam fuerit admissus; quod a uerisimili non prorsus abhorret. Inter omnes autem Apostolos tres cariores fuisse Christo, fortassis ob insigniores animi dotes et docilitatem, Petrum nempe, Iacobum et Ioannem, ex ipsa historia Euangelica constat. Vid. e. c. Matth. XVII, 1. sqq. c. XVI, 37. Quicquid sit, hoc certissime constat, omnes Apostolos quod ad potestatem attinet, fuisse pares, nec ulli eorum imperium in ceteros fuisse delatum, uel etiam usurpatum. Luc. XXII, 25. seq. De nomine Petri uid. infra c. XVI, 18. Primi autem erant inter pares. Ἰάκωβος — ἀδελφὸς αὐτȣ̃) Vide annot. ad Marc. III, 17.

3. φίλιππος) uid. supra c. IV, 18. Βαρθολομαῖος) i. e. *filius Tholomaei.* Proprio nomine uidetur uocatus fuisse Nathanael Io. XXI, 2. ἀλφαίȣ) Sc. υἱὸς. Alphaei nomen pro uario pronunciandi modo etiam scribitur Cleopas, Luc. XXIV, 18. Io. XIX, 25. θαδδαῖος) Nomen Iudaeis usitatum. Marcus et Lucas eundem Iudam uocant, quam uocem Matthaeus leuiter inflexit, ut a Iuda Iscariote distingueret.

4. ὁ Κανανίτης) i. e. *Zelotes.* Nam Lucas habet: τὸν καλȣ́μενον Ζηλωτὴν. Est cognomen Hebraeum קנא, chald. קנאן cui nomini Matthaeus addidit Graecanicam terminationem. Zelotae erant priuati, qui non expectata iudicis sententia delinquentes ulciscebantur, exemplo, ut prae se ferebant, Pine-

Pinehaſi. Hi poſtremis Reipublicae Iudaicae temporibus fuerunt ſeditioſiſſimi pariter ac flagitioſiſſimi. Ioſ. B. I. IV, 3. 9. Phariſaeis addicti et honorati erant. ὁ Ἰσκαριώτης) i. e. *ex tribu Iſaſchar*. Videtur eſſe contractum ex איש יששכר, quod extat Iud. X, 1. Sed addita terminatione Graecis familari. Ἰσσακαριώτης, et ex corrupta, ut fit, pronunciatione Ἰσχαριώτης uel Ἰσκαριώτης. Alii Iudam hoc nomen accepiſſe putant ab oppido quodam *Iſcharioth*, uel *Iſcarioth* in tribu Ephraim, uel a uico *Karioth* in tribu Iuda. Cur Chriſtus non diuites, non Phariſaeos et doctos, ſed Galilaeos ſibi delegerit, iam diximus ad c. IV, 18.

5. παραγγείλας αὐτοῖς, λέγων) *additis mandatis in haec uerba*. παραγγέλλειν, *denunciare*, *edicere*. εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε) *uerſus gentes ne abieritis*, ut Ier. II, 18. καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε) εἰς πόλιν, ſubaud. τινά. Vetat Chriſtus legatos ſuos egredi fines Palaeſtinae. Per agrum Samaritanorum tranſire non uetat; Samaria enim inter Iudaeam et Galilaeam ſita eſt media, tribubus Ephraimi et Manaſſis Ioſephi filiorum aſſignata, et erat is tranſitus opportunus ex Galilaea tractum Hieroſolymitanum petentibus. Prohibet autem oppida intrare, ut appareat, Samaritanorum cauſſa non inſtitutam hanc legationem. Voluit Chriſtus ſeruari Iudaeis nobilitatis ſuae priuilegium; cuius praelationis illuſtre ſignum eſt hoc, quod in ipſis inſtituendis primam curam poni uoluit: quod etiam poſt Chriſti reſurrectionem ab Apoſtolis diligenter ſeruatum eſt. Act. II, 39. c. XIII, 46.

6. πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ) i. e. ad Israelitas tantum, hactenus a doctoribus neglectos, ouium instar huc illuc errantium. Cf. c. IX, 36. infra XV, 24. Designatur plebs, per ignorantiam errans.

7. ἤγγικεν ἡ βασ. τ. οὐρ.) cf. c. III, 2. ex quo patet, nihil nunc quidem ultra mandatum Apostolis, quam ut Iudaeos ad uitam meliorem hortarentur, et ad Messiam audiendum pertraherent, a quo accepturi essent cetera, quae ad salutem ipsis essent necessaria. *Iesum* esse hunc Messiam, tum temporis nondum palam professi sunt discipuli. Matth. XVI, 20.

8. νεκροὺς ἐγείρετε) Haec uerba desunt in quamplurimis Codd. Versionibus et Patribus quibusdam. Nec legimus ullum mortuum ab Apostolis uitae redditum, ante Christi resurrectionem. δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε) Dictum est non inusitatum apud Hebraeos Vid. *Wetst. Gratis*, inquit *Christus*, accepistis, nempe potestatem hanc sanandi. Qui medicinam faciunt, multum temporis et pecuniae impenderunt, ut artem illam addiscerent; sed dispar erat Apostolorum ratio, quibus potestas miraculis sanandi concessa fuit. Alias in suspicionem uenissent turpis lucri quaesiti. 1 Tim. VI, 5. 2. Thess. III, 8. 10. Interim et Christus et Apostoli tum uerbis, tum exemplo docuerunt, aequum esse ut, qui rebus omnibus neglectis, procurandae aliorum saluti uacarent, ab ipsis uicissim honeste alerentur. Cf. u. 10.

9. μὴ κτήσησθε) κτᾶσθαι proprie et frequentiore usu ualet *comparare*, siue *acquirere* quod postea possideas. *Vulgata* male reddit: *Nolite possidere.* Non enim hic interdicitur harum rerum possessio; sed de hac una profectione

agitur, ad quam uult Dominus Apoſtolos accingi absque ullis ſarcinis, atque adeo absque uiatico; non modo ut nullis impedimentis retardentur, ſed etiam ut hac prouidentiae diuinae quaſi deguſtatione ad futuram illam functionem Apoſtolicam praeparentur. μηδὲ χαλκὸν) *neque aes.* Aenei enim erant *aſſes* et *quadrantes.* ἐις τὰς ζώνας) ζώνην Lucas dixit βαλάντιον, c. X, 4. XXII, 35.

10. μηδὲ πήραν) ſc. *comparate uobis*, ex Verſu antec. πήρα, *mantica* latine, in quam uiatores condere panem et obſonioli aliquid ſolebant. *Peram* latine dixit etiam *Martialis.* H. l. intelligitur *uiaticum.* μηδὲ δύο χιτῶνας) χιτὼν, *tunica*, *ueſtis interior.* Homines delicatiores pluribus tunicis uſi fuerunt. *Ioſ. Ant.* XVII, 5. 7. *Sueton. in Aug.* c. 82. μηδὲ ὑποδήματα) ὑπόδημα, proprie *ſubligaculum*, deinde *calceus.* Erant autem ſoleae tantum uel ligneae uel coriaceae, quae corrigiis ſupra pedem firmatae fuerunt. Vulgo aut nudis pedibus incedebant, aut calceati, ſed non tanquam ad iter. ῥάβδυς) Sic enim legendum uidetur, non ῥάβδον. *Lucas* habet ῥάβδυς. ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς ἀυτῦ ἐςιν) τροφὴ, *uictus.* Senſus eſſe uidetur: Deo prouidente, uictum accipietis ab illis ipſis, quibus docendis, ſanandisque operam nauabitis; idque iure aequiſſimo.

11. ἄξιος) honeſtus, ſincerus, docilis, bonae exiſtimationis. Luc. VII, 4. *Liban.* Or. XVII, 1. κἀκεῖ μείνατε) Vetat hoſpitem talem mutare, ut facere ſolent, qui diutius aliquo loco manſuri, quam commodiſſima hoſpitia captant. Nam hoſpitium quotidie mutare ſolent homines, quibus omnia ſunt faſtidio, qui nullo hoſpitio contenti ſunt. Κἀκεῖ pertinet ad *domum;* ἕως ἂν ἐξέλθητε ad *urbem* aut *pagum.*

12. ἀσπάσασθε αὐτὴν) sc. οἰκίαν, i. e. eos, qui in ea domo uersantur. Addunt quidam: λέγοντες, εἰρήνη ἐν τῷ οἴκῳ τούτῳ, quia non putant satis cohaerere, quod sequitur ἡ εἰρήνη ὑμῶν. Atqui in illo ἀσπάζεσθαι uis ipsa uocis εἰρήνης, i. e. *salutis*, s. *incolumitatis* satis comprehendebatur.

13. ἡ οἰκία ἀξία) οἰκία (ut u. 12.) ii qui in domo uersantur. *Xenophon* etiam posuit οἰκίαν pro *familia*; hic *ipsum Patremfamilias* simul comprehendit. Ἀξία, suppl. τούτου boni illius in salutatione optati. ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ' αὐτὴν) Pacis nomine Hebraei, quicquid expeti aut optari potest, intelligunt. *Eueniat illi familiae felicitas a uobis optata.* πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω) Votum dicitur reuerti ad proferentem, si optato euentu caret, ita ut alter non tantum nullam utilitatem inde percipiat, uerum etiam magnum damnum merito et sua ipsius culpa patiatur, cf. comm. 15. Ps. XXXV, 13. VII, 17. Sensus totius uersus: Bene precamini ei, quod etiam ratum erit, si sit digna; sin minus, frustra illi bene precati fueritis.

14. καὶ ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς) pro: ἐάν τις μή. ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν) Pulueris excussio declarat, Apostolos istis hominibus ualere iussis significasse, ut res suas sibi haberent. Si uos non audit, sit uobis ut Ethnicus, (infra c. XVIII, 17.) cuius contactus polluit: missum eum facite eumque fugite. Iudaei decreuerunt, puluerem terrae gentium, licet inferretur in terram Israeliticam, nihilominus immundum manere. Cf. *Wetst.*

15. ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως) *die uniuersalis iudicii.* Peccata non praecise tantum ex suapte natura, uerum etiam ex aliis circumstantiis rerum et personarum aestimanda sunt.

16. ἀποςέλλω ὑμᾶς) Futurum tempus ſimul includitur. Quae enim ſequuntur, non tam ad hanc legationem pertinent, quam eas, quas Chriſtus poſtea apoſtolis erat mandaturus. ἐν μέσῳ λύκων) pro: εἰς μέσον. Chriſtus dicit, uerſaturos eos tanquam oues inter medios lupos, i. e. *in ſummo diſcrimine uitae.* Prouerbii figura. Vt ueterum quidam impoſuit filio ſuo nomen διόλυκος, quod diceret, eum ſe eſſe relicturum in maximis periculis, tanquam ouem inter lupos. φρόνιμοι ὡς δι ὄφεις) Serpens calliditatis et prudentiae eſt ſymbolum. Suadet Chriſtus, ut fuga aut latebris ſibi conſulant, atque periculo ſe ſubducant, more ſerpentis. καὶ ἀκέραιοι, ὡς αἱ περιςεραὶ) integri, a dolo et fraude immunes. *Etymol. M.* ἀκέραιος — ὁ μὴ κεκράμενος κακοῖς. *Dioſcorid.* VII, 77. τᾶς ἀμιγὴς οἶνος καὶ ἀκέραιος. Columba eſt ſymbolum ſimplicitatis. Chriſtus commendationem prudentiae ab omni fraude, doloque ſegregans, comitem ei adiungit innocentiam ſiue ſimplicitatem.

17. προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων) *Homines* cauete. Haec pericula uobis non a feris beſtiis, a lupo aut accipitre imminebunt, ſed ab hominibus, ueſtrae nationis, quorum felicitatem promouere ſtudebitis. καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς) Quidam h. l. intelligunt μεγάλην συναγωγὴν, בנסת הגדולה. Sed poſſunt etiam ſynagogae intelligi uulgari ſignificatu; nam et in Synagogis exerceri ſolita animaduerſio. Exempla habet *Wetſtenius.*

18. καὶ ἐπὶ — ἀχθήσεσθε) ἡγεμόνας, Praeſides prouinciarum, Proconſules, Procuratores. βασιλεῖς ſtrictiori ſignificatu. Conſtitit huic oraculo ſua fides, quum Petrus apud Neronem, Ioannes apud Domitianum, alii apud Parthorum,

Scytha-

Scytharum, Indorum reges cauſſam dixere. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν) Erit hoc pro teſtimonio, illos (Iudaeos incredulos) et gentiles eſſe inexcuſabiles, quod Euangelium nihili fecerint, tantamque ſalutem neglexerint. Vide ſupra c. VIII. 4.

19. μὴ μεριμνήσητε) *Nolite anxie curare.* Vox μεριμνᾷν *qualemcunque meditationem*, ſed *animi anxietatem* ſignificat, et *laborioſam praeparationem*, qualis eſſe oratorum ſolet. Πῶς ἢ τί λαλήσετε) *quibus uerbis*, uel *quid*. Τὸ πῶς alii ad uerba, quibus in defendendo ſit utendum, alii ad parrheſiam, prudentiam, circumſpectionem in dicendo referunt, ſenſu non multum diuerſo. Quicquid ſit, hoc apparet, Chriſtum contra timiditatem ſuos diſcipulos confirmare uelle. δοθήσεται — τὶ λαλήσετε) Etiamſi quid uobis antea deſit, eo ipſo tempore ope coeleſti ſupplebitur, ſpiritu diuino ſuppeditante et animo ſapientiam et ori eloquium, ſimplici grauitate ipſam nudae ueritatis naturam referens.

20. ὐ γὰρ — ἐν ὑμῖν) Negatio non abſolute, ſed comparate interpretanda. *Non tam uos eritis, qui loquemini, quam per uos Spiritus S.* Deus ipſe uobis ſapientiam et animi fortitudinem inſpirabit, linguam et mentem ueſtram gubernabit. Act. VI, 10.

21. παραδώσει — αὐτοὺς) Senſus eſt: Parentes et liberos, fratres et conſanguineos in contrarias abituros eſſe ſententias, in una eademque familia nonnullis aſſentientibus doctrinae Chriſti, aliis eam reiicientibus. Haec ſigna temporum Meſſiae afferunt etiam Thalmudici. cf. *Wetſtenium* ad h. l. Verbo ἐπανίςαμαι pro *tumultuari*, *bellum ciere* utitur *Philo* de ſpec. legg. Vide *Loesnerum* ad h. l. Ἐπανάςασις eſt,

 cum

cum ſerui imperium affectant, et dominos ſibi ſubiicere uolunt. Θανατώσȣσιν ἀυτȣ̀ς, *morte mulctandos eos curabunt;* uidetur enim hic accipi in coniugatione Hiphil, quod declarat praecedens illud ἐις θάνατον. Notandum eſt, praedicere Chriſtum diſcipulis, quae ipſis euentura eſſent poſt reſurrectionem, et in coelos aſcenſionem.

22. μισȣ́μενοι ὑπὸ πάντων) i. e. a plerisque hominibus; ita enim haud raro ſumi ſolent particulae uniuerſales, cf. XII, 15. διὰ τὸ ὄνομά μȣ) Moris erat diſcipulos uocari ex magiſtrorum nomine. Senſus igitur eſt: *Eam ob cauſſam, quod uos diſcipulos meos profiteamini.* Cf. 1 Petr. IV, 15. 16. Act. V, 41. ὁ δὲ ὑπομείνας ἐις τέλος, ȣ̓̃τος σωθήσεται) *Qui animo conſtanti atque obfirmato perdurauerit,* nempe in profitenda et propaganda religione mea, nihil deterritus malorum hominum minis et uexationibus, *iſte ſeruabitur.* Saluti hoc ei erit. Τέλος hic ut alibi excidium urbis et templi, et uniuerſalem Iudaeae uaſtationem notare uidetur. Cf. infra c. XXIV, 6. Tum σώζεσθαι erit *in uita ſeruari,* communi illa clade non inuolui. Id nempe omnibus modis agit Saluator, ut obfirmatos reddat diſcipulos contra omnes hoſtiles inſultus, et impedimenta quaecunque, quibus territi munus ſuum ante tempus finire, atque adminiſtrationem, ex uoluntate Dei porro continuandam, abrumpere poſſent.

23. ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει τάυτῃ) Grotius τὸ διώκειν, ſtricte ſumendum putat: pro ἐκβάλλειν, quia ſequitur φέυγειν. Sed non opus eſt. Senſus eſt: *Si uos uexabunt in hac urbe, properate in aliam.* Potius hic de perſeuerantia, quam de uitanda perſecutione diſſerit Chriſtus,

ſicut

ſicut φεύγειν Graecis, et *fugere* Latinis interdum de ſola curſus celeritate dicitur. φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην) pro ἄλλην legunt Codd. nonnulli ἑτέραν, et addunt: κἂν ἐκ ταύτης διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. Conſentiunt fere quaedam Verſſ. et Patres non pauci. οὐ μὴ τελέσητε — ἀνθρώπου) *Vix confectum erit a uobis iter per urbes Iſraeliticas, quum ego ipſe adero.* Τελεῖν τὰς πόλεις conciſum eſt loquendi genus, et ita ſupplendum: τελεῖν ὁδὸν διὰ τᾶς πόλεις; *non conficietis iter per urbes*, ſ. *non peragrabitis urbes.* Ἕως ἂν uidetur accipi pro: πρὶν ἤ. Intelligitur autem aduentus Chriſti ad euertendam Rempublicam Iudaicam, uel etiam patefactio Meſſiae per miſſionem illam copioſiſſimae gratiae Spiritus S. in Apoſtolos et alios credentes, quo certiſſimo indicio conſtitit, Chriſtum regem eſſe conſtitutum a patre cum pleniſſima poteſtate.

24. οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον) *Diſcipulus non eſt potior magiſtro;* non tractatur mitius. Diſcipulus, *dum eſt diſcipulus*, magiſtrum ſibi ſemper proponit, et bene ſecum agi putat, ſi eodem cibo, quo magiſter, paſcatur: neque ſperat, ſe domo, qua magiſter excluſus eſt, receptum iri. Hoc non repugnat iſti adagio graeco: πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων, quod agit de iis, *qui diſcipuli fuere*, et nunc magiſtros doctrina ſuperant. Multa ſunt prouerbia, quae inter ſe pugnare uidentur, quia de alia atque alia re agunt.

25. ἀρκετὸν) ſc. ἐστι, uel ἔστω, *ſufficiat*, i. e. *ſufficere debet:* prouerbium Hebr. דין לעבד להיות כרבו. καὶ ὁ δοῦλος) Et (ut) ſeruus (ſit). Dicendum potius fuerat καὶ τῷ δούλῳ. Βεελζεβούλ) Sic enim legendum. Compoſitum eſt

 nomen

nomen ex hebraicis uerbis בעל זבול, *dominus luti*, uel *ſordium*. Quum autem uocabulum זבול quod in ſe ſordes indicat, a Iudaeis uſurpatum ſit de idololatria, Beelzebul erit dominus ſordidae idololatriae, i. e. auctor et adiutor idololatriae, Satanas. Vid. *Lightfoot* ad h. l. Alii legunt *Beelzebub*, quod nomen legitur 2 Reg. I. (a בעל, dominus, et זבוב, muſca) quae uox Deum muſcarum ſignificat, qui nimirum ſacrificiis placatus, muſcas Accaronitarum regionem infeſtantes abegerit. Sed per hiſtoriam non poteſt oſtendi, Iudaeos id nominis Diabolo tribuiſſe. Fuit quidem Hebraeis in more poſitum, ut rerum, quas deſpicatui habebant, ipſum etiam nomen leui mutatione in aliud, quod rem foedam et contemtibilem ſignificabat, inflecterent. Sed in hoc non apparet, qui ſit contemtus, quum potius nomen laudem habere uideatur. ἐκάλεσαν) ἐπεκάλεσαν habent Codd. permulti, et Patres nonnulli.

26. οὐδὲν γὰρ ἐστι κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται) Erigit Chriſtus ſuos diſcipulos, admonens fore ut tandem uincat ueritas, et tum ipſorum innocentia, tum aduerſariorum improbitas appareat. Vti nempe in uita communi nihil eſt tam abſconditum, quod non aliquando in notitiam hominum perueniat, ſic et error et ueritas, improbitas et probitas ſuo tempore palam fient. Ceterum κεκαλυμμένον denotat remotum a uiſu; κρυπτὸν, remotum ab auditu.

27. καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων) Non ea tantum, quae ego nunc ad populum loquor, ſed et quae uobis ſolis familiariter ediſſero, et poſtea per Spiritum clarius explicabo, (ut de promiſcua gentium uocatione et exſpiratione Iudaicorum rituum) palam omnibus enunciate.

28. μὴ

28. μὴ φοβηθῆτε κ. τ. λ.) pro φοβηθῆτε habent φοβεῖσθε Codd. permulti, Euſ. Cyr. Theodoret. et pro ἀποκτεινόντων Codd. non pauci et Patres nonnulli ἀποκτενόντων legunt. Fuit haec ſententia haud dubie celebris inter Iudaeos ab Eſdrae temporibus. *Sapient.* XVI, 13. 14. 15. Cf. *Wetſt.* ψυχὴν ἀπολέσαι) alias eſt *occidere, uitam eripere* infra u. 39. c. XVI, 25. hic uero mors corporis a ſupplicio animae in gehenna aperte diſtinguitur. Eſt igitur ἀπολέσαι h. l. *punire.* Cf. Luc. XII, 4. 5. Homines nonniſi corpus interficere poſſunt; Deus autem totum hominem, corpus et animum in altera uita punire poteſt.

29. ἀσσαρίυ) *Aſſarium* eſt diminutiuum a latino as, aſſis, quod Iudaei aſſumſerunt, et ſcribunt איסר. Notandum autem באיסר, uel כבאיסר idem ipſis notare rem uiliſſimam, uel quae pretium nullum habeat. Senſus igitur eſt: Duo paſſerculi pro minimo pretio uenduntur. ὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν) i. e. χάμαζε. *Non perit. Cadere humi* Hebraeorum more dicitur. ἄνευ τῦ πατρὸς) i. e. neſciente, aut non permittente Deo.

30. ὑμῶν δὲ — ἠριθμημέναι εἰσὶ) Eſt dictum prouerbiale; numerare enim ſolemus ea, quae habemus in pretio, ſicut ea quae contemnimus dicimur nullo loco numerare uel extra numerum habere. Deinde pilus ſignificat rem minimam, etiam Graecis et Latinis. Hinc hebraea locutio: ne pilus quidem eius peribit, i. e. ne minimum quidem damnum ſentiet. 1 Sam. XIV, 45. Senſus itaque eſt: Vtcunque in uos ſaeuiant homines, certi eſtote nihil damni uobis euenturum, niſi quod futurum ſit in ueſtram aliorumque utilitatem.

31. διαφέρετε) *Pluris estis.* Paullo ante dixerat Christus, duas auiculas unius assis aestimari. Quum igitur passerculorum curam agat Deus, multo magis hominum sibi carorum res curabit, iisque prospiciet.

32. ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ) יוֹדֶה לִי. Nam ל particulam in hac constructione passim Hellenistae per ἐν uertunt. Est igitur pro ὁμολογεῖν τινὰ, quod plus est quam *agnoscere.* Sensus: Qui *libere*, ore et factis, *profitebitur apud homines*, (mihi aduersantes,) *doctrinam meam.* ὁμολογήσω — ὐρανοῖς) i. e. *eum praemiis afficiam die illo iudicii,* in uita illa aeterna. Ὁμολογεῖν nunc dicitur tropice, et spectatur factum adiunctum. Messias nempe (figura, qua ponitur antecedens pro consequente) profiteri suum sectatorem dicitur, quum ei amorem suum declarat, praemiis eum afficit. Ἔμπροσθεν τῦ π. μ. est periphrasis futuri iudicii. Lucas (c. XII, 8.) habet: ἔμπροσθεν τῶν ἁγίων ἀγγέλων τῦ θεῦ, eodem sensu; nam tempus illud, quo homines coram Deo et angelis praemia accipient et poenas dabunt, est tempus futuri iudicii.

33. ὅςις ἂν ἀρνήσηταί με) In loquendi formula ἀρνεῖσθαί τινὰ est Ellipsis omissumque μὴ εἰδέναι, quod interdum etiam additum inuenitur. *Abnegare* itaque est, dicere: se nihil cum aliquo commercii habere, eum non nosse. ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ) *nec ego eum agnoscam pro meo*; sc. nisi subsecuta sit poenitentia, ut Petro euenit, non afficiam eum praemiis. Vid. u. 32.

34 — 36. βαλεῖν) proprie dicitur de iactu seminis in terram; sed per translationem Latini etiam dicunt: Serere bene-

beneficium; ſerere ciuiles diſcordias. μάχαιραν) חרב et belli calamitatem, et diſſidium indicat, hoc autem loco diſſidium, diſcordias; nam Lucas habet διαμερισμὸν c. XII, 51. Tralatio inde ſumta, quia μαχάιρας proprium quaſi officium eſt μερίζειν. ἄνθρωπον) Hebr. איש, pro בן. νύμφην) *Nurum*; nam opponitur ſocrui. Oſtendit Ieſus, uentura tempora non minus periculoſa, quam ea fuerunt, quae deplanxerat *Micheas* VII, 6. ideo uerba eius repetit, et dicit *ſe ueniſſe, ut ſereret diſcordias.* Hiſtoria teſte ſcimus, propter doctrinam Chriſti multa orta eſſe diſſidia in Palaeſtina et in Romano imperio, ita ut alter alterum accuſaret, domo eiiceret, omnibus modis uexaret, nec alter alteri fidem haberet. Recte monent interpretes, non indicari hic conſilium et uoluntatem Chriſti, quaſi ipſe uoluiſſet haec euenire, ſed effectum et euentum. Praeuidit Ieſus, fore, ut propter doctrinam ſuam multae orirentur diſſenſiones et diſcordiae; ſed noluit propter haec diſſidia deſiſtere a propoſito introducendi et per Apoſtolos ſuos propagandi nouam hanc ſuam religionem humano generi utiliſſimam. Nam obſtat, quod ſumma religionis chriſtianae eſt, *amare alios.* Referuntur enim haec ad ſeditiones et calamitates *tunc* ortas in Palaeſtina et orbe Romano occaſione doctrinae Ieſu, quam Iudaei et Pagani opprimere conabantur. Non eſt ſermo de effectu religionis chriſtianae in omnibus omnino locis, temporibus et ſeculis.

37. ὑπὲρ ἐμὲ) i. e. *prae me.* Vulg. plus quam me; πλέον ἐμȣ̃. ȣ̓κ ἔςι μȣ ἄξιος) non eſt idoneus, uel conueniens mihi, i. e. meae diſciplinae, ut Lucas interpretatur c. XIV, 26.

38. καὶ

38. καὶ ὃς — ἄξιος) Qui non paratus eſt, ſicut me habet praeeuntem, ad atrociſſima et ignominioſiſſima quaeuis toleranda, non eſt dignus qui pro meo diſcipulo habeatur. Reperitur hoc loquendi genus etiam apud Rabbinos; ad quos uenit a Romanis. *Crux* atrociſſimum ſupplicium, Romanis uſitatiſſimum, apud quos ea uox transferri ad omnia incommodorum genera coepit, ut: *abi in malam crucem: ſummum ius, ſumma crux: cruciare.* λαμβάνειν h. l. eſt *ſuſcipere*, quo ſenſu ſuſcipere onus, pericula, labores, dolorem, dixit *Cicero*. Reſpicitur ad morem, quo ad hoc mortis genus condemnati, lignum crucis portare debebant ad ſupplicii locum. Ne atrociſſimum quidem atque ignominioſiſſimum ſupplicium pro Chriſto defugiendum eſt. Ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, eſt Hebraiſmus; nam Hebraei uerbis ſequendi ſubiungunt pleonaſtice particulam אחרי, ut Iud. IV, 16. et alibi. Sectatur autem Chriſtum, qui doctrinam eius profitetur, et uitam ſuam, quatenus fieri poteſt, ad dicta ipſius ac facta componit.

39. ὁ εὑρὼν — εὑρήσει αὐτήν) Senſus eſt: *Qui conſeruare ſtudet uitam ſuam, is ſe reddet miſerum; qui uero mortem oppetit mea cauſſa, is felicitati ſuae proſpiciet.* Εὑρίσκειν τὴν ψυχὴν (apud Lucam c. IX, 24. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι) in priori membro eſt *conſeruare uitam ſuam.* Nam ψυχὴ h. l. non eſt *animus*, ſed *uita* proprio ſenſu. *Vitam ſuam ſeruare uelle*, eſt, nolle religionis cauſſa mortem oppetere; malle uiuere in his terris, quam in uincula coniici religionis cauſſa, adeoque mortem ſubire. Illis enim temporibus ſaepe mortis pericula adeunda erant religionis chriſtianae profeſſoribus. In praedicato:

cato: ἀπολέσει αὐτὴν, (ſc. ψυχὴν,) ψυχὴ eſt *felicitas*; amittet ſuam felicitatem; miſerum ſe reddet. Plane contrario ſenſu ſumuntur phraſes in altero membro: καὶ ὁ ἀπολέσας — εὑρήσει αὐτήν. Horum enim uerborum ſenſus eſt: *Qui uero mortem oppetit mea cauſſa*, propter nominis mei profeſſionem, is felicitati ſuae proſpiciet. Sunt igitur haec acute dicta, qualia multa ſunt in ſermonibus Chriſti.

40. ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται) *Qui nos benigne excipit*, (de nobis bene meretur,) *is eodem loco habebitur, ac ſi de me ipſo bene meritus eſſet.* Solatur iterum diſcipulos Chriſtus, oſtendens, inter tot infeſta non defore ipſis ſolatia a piis hominibus, quos Deus in id ipſum excitet, magna propoſita mercede. Contra, iniuria legato facta, ipſi principi facta eſſe iudicatur.

41. εἰς ὄνομα) בשם, nomine Prophetae, i. e. *ut Prophetam, quia Propheta eſt. Marci IX*, 41. μισθὸν προφήτου λήψεται) Praemium prophetae promiſſum, i. e. magnum praemium accipiet.

42. ἕνα τῶν μικρῶν τούτων) infimae conditionis diſcipulum. ποτήριον ψυχροῦ μόνον) Prouerbiale loquendi genus, quo hodieque in multis linguis utimur, quoties minimum aliquod beneficium ſignificatum uolumus. His commatibus (40. 41. 42.) una eademque ſententia continetur, uariis uerbis expreſſa. Nam δέχεσθαι, quod proprie eſt hoſpitio excipere, h. l. ſignificat *ornare beneficiis, benefacere. Diſcipuli Chriſti, Prophetae, iuſti*, οἱ μικροὶ ſpectantur qua homines, qui nullos habent titulos, aut externam dignitatem

dignitatem, ſed ſine ſpe lucri et commodorum huius uitae de aliis bene merentur. Qui tales beneficiis ornat, is oſtendit, ſe nihil facere ob externas dignitates, non contemnere eos, qui iis carent, adeoque ſuperare ſapientia et pietate alios, qui ex titulis et externa dignitate alios aeſtimant. Is igitur, quia re et factis oſtendit, ſe eſſe ſapientem et probum, magna praemia a Deo accipiet.

CAP. XI.

Refert nunc Matthaeus, quomodo excepta ſint dicta et facta Ieſu a uarii generis hominibus, uel quid effectum ſit eius ſermonibus et miraculis, c. XI, 2. — XVI, 12.

1. Ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσων) *Cum finem feciſſet Ieſus praecipiendi.* Διατάσσειν denotat *edicere*, unde διατάξεις et διατάγματα dicuntur principum edicta. Sed h. l. nihil aliud declarat, quam praeceptis aliquem formare et inſtituere. ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν) in urbibus *eorum*, i. e. Galilaeorum. Solent Hebraei pronomen relatiuum ponere, ubi nullum nomen anteceſſit, quod tamen facile intelligitur.

2. ὁ δὲ Ἰωάννης — αὐτοῦ) Cauſſa captiuitatis memoratur infra c. XIV, 3. 4. Detinebatur autem Ioannes captiuus *Machaerunte*, de qua agit *Ioſephus* Antiquitt. Iudaic. L. XVIII, c. 7.

3. σὺ εἶ — προσδοκῶμεν;) *An tu es Meſſias ille promiſſus, an uero alius nobis eſt expectandus?* ὁ ἐρχόμενος, Meſſias, cuius aduentus, per Prophetas praedictus tunc inſtare crebebatur, Ioh. VI, 14. Non diſerte traditur, cur Ioannes diſci-

discipulos ad Iesum miserit; ergo opus est coniecturis. Sui caussa Ioannes non quaesiuit, an Iesus esset Messias; hoc enim sciuit, et publice professus est, Io. I, 29. sqq. Fortasse inter discipulos eius fuerunt, qui addubitarent adhuc, quos certiores reddere uoluit; quod uerisimile fit ex uerbis, quae u. 6. leguntur. Ceterum cf. Luc. VII, 20. 21.

4. ἀπαγγείλατε — καὶ βλέπετε) Noluit Christus expressis uerbis declarare, se esse Messiam, propter uarias populi expectationes. Quare discipulos Ioannis opera sua considerare iubet. Vbi res ipsa loquitur, non opus est multis uerbis.

5. ἀναβλέπουσι) Visum recipiunt, quo sensu haec uox interdum etiam a Platone et Aristophane usurpatur. Interdum uero nihil aliud significat quam βλέπειν, *uidere, aspicere.* πτωχοὶ εὐαγγελίζονται) Ies. LXI, 1. Pauperibus, hominibus humilis atque abiectae conditionis Euangelium, res laetissima, nempe adesse regnum Messiae, annunciatur. Ἐυαγγελίζονται hic sumendum passiue: ut solent Graeci passiua formare etiam ab actiuis datiuum regentibus, quum εὐαγγελίζω etiam cum Acc. reperiatur. Christus ostendit, quantum sua docendi ratio distet a moribus doctorum sui seculi. Nam legisperiti uix quendam nisi magno pretio docebant, contemnebant plebem, quam uocabant populum terrae, imo prouerbium repererant, spiritum non requiescere nisi super diuitem.

6. σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοὶ) Qui me meamque doctrinam non repudiauerit; non offensus fuerit statu meo humili ac paupere, et imminentibus mihi uexationibus. Vide infra

c. XXVI,

c. XXVI, 31. Hoc dixit discipulis Ioannis, ut animi eorum persanarentur.

7. τὶ ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι;) Quid exiistis in desertum spectaturi? Qualem putabatis esse Ioannem, quem in deserto uidistis, quem estis admirati? Christus uult amouere a Ioanne suspicionem leuitatis, quasi nunc mutatus, coeperit de Christo dubitare. Expediebat, ut populus quam optime sentiret de Ioanne, qui tam praeclare testificatus fuerat de Iesu. κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;) Nonnulli haec uerba tropice intelligunt, sic: Putatisne Ioannem sibi tam parum constare, ut nunc propter carceris squalorem aliter de me et de suo munere sentiat quam antea? Sed non opus est. Probanda potius uidetur esse *Grotii*, aliorumque interpretatio, ut Christus dicat: habuistis puto caussam aliquam, ob quam tanto studio in loca illa deserta cucurristis. Neque enim credibile est, uos coiuisse, ut arundines uento agitatas uideretis. Hoc ideo Christum dixisse, quia extra Ioannem nihil ferme aliud istis in locis erat spectare. Hanc explicationem confirmare uidetur antithesis hominis opulenti, et cuius luxum et magnificentiam spectare omnes gestiant.

8. ἀλλὰ) Eleganter usurpatur haec particula etiam commate sequenti, ut interrogationi interrogatio alia iungatur, quo sensu etiam apud *Xenoph. Demosth. Arrian.* aliosque occurrit. ἄνθρωπον — ἠμφιεσμένον;) Μαλακοῖς ἱματίοις, i. e. *Sericis:* nam serica molles lanas etiam *Virgilius* dixit. Sericorum autem tanta erat caritas, ut auro contra pensarentur. ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσὶν) Non in locis desertis. Olim certe, inquit Christus, quum Ioannes in

deserto

deſerto doceret et baptizaret, ſuſcepiſtis iter in deſertum eius uidendi et audiendi cauſſa, non leuibus de cauſſis. Magnum uirum eum eſſe recte credidiſtis.

9. ἀλλὰ — προφήτην;) Haec ſcilicet uera fuit cauſſa, cur tum ad eum conflueretis. Non profecti eſtis in deſertum, ut ibi uideretis calamum a uento agitatum, uel hominem luxu affluentem; hoc enim fuiſſet abſurdum. Habuiſtis eum pro Propheta. Cur ergo eum nunc reſpuitis? Cur eius uerbis fidem non amplius habetis? Affirmo uobis, eum omnino eſſe Prophetam. περισσότερον προφήτου) *amplius, plus quam Prophetam,* uel excellentiorem Propheta; nam Propheta eminus nunciat, Ioannes uero digito quaſi monſtrauit Meſſiam.

10. ἰδοὺ ἀποστέλλω — ἔμπροσθέν σου) Malach. III, 1. Ἄγγελόν μου, *nuncium meum.* מלאכים dicebantur non quiuis Prophetae, ſed qui de re magna a Deo ad populum erant legati, ut Moſes Num. XX, 16. *Haggaeus* c. I, 13. Πρὸ προσώπου σου. Apud Prophetam לפני, πρὸ προσώπου μου. Nempe dictio ad populum dirigitur; hic ad ipſum Meſſiam. Apparet hinc etiam, uerba Prophetarum non citari a Chriſto κατὰ λέξιν: ſed ita, ut uoces interdum mutentur, manente ſententia: quomodo et apud Graecos ſaepiſſime citantur *Homeri* uerſus, mutata perſona aut modo uerbi. Quod ad ſenſum attinet, cf. annot. ad c. III, 3.

11. οὐκ ἐγήγερται — τοῦ βαπτιστοῦ) *Maior* (i. e. celebrior) *Ioanne nullus ante ipſum PROPHETA unquam extitit.* Nam de Prophetis hic eſt ſermo. Μείζων, *celebrior,* maioris dignitatis et nobilitatis. Οὐκ ἐγήγερται, *non exortus, ſ. ſuſcitatus eſt.* Prophetae proprie dicuntur ἐγείρεσθαι,

(Luc. VII, 16. Io. VII, 52.) ut ſignificetur, eos peculiari quadam numinis uoluntate in hunc mundum prodire, uel iam natos ex reliquorum numero ſeligi. Ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, Hebr. בילודי אשה *inter natos mulierum.* Iob. XIV, 1. אדם ילוד אשה LXX. βροτὸς γεννητὸς γυναικὸς. *Sirach.* c. X, 17. habet γέννημα γυναικὸς ὁ δὲ μικρότερος — ἀυτȣ̃ ἐςιν) Senſus eſt: *Sed ignobiliſſimus in coetu Meſſiae* (doctor chriſtianus, qui nullius eſt famae) *multa prae eo* (Ioanne) *habet praecipua.* Βασίλεία Θεȣ̃, *coetus Meſſiae.* Μικρότερος in hoc coetu Meſſiae, qui nullam habet famam, celebritatem nominis non eſt nactus. Μείζων autem nunc ſignificat eum, qui multa habet prae altero praecipua, qui pluribus commodis fruitur. Vel ignobiliſſimus in coetu Meſſiae hoc habet praecipuum prae Ioanne, hoc fruitur commodo, quod eſt teſtis et ſpectator omnium illorum, quae a Ioanne et Prophetis praedicta ſunt. (u. 13.) Ioannes ante paſſionem, reſurrectionem et aſcenſionem Chriſti morti traditus eſt, adeoque uiuus ea non potuit ſcire, quae uiderunt et cognouerunt Apoſtoli et alii, qui illa aetate fuerunt membra in coetu Meſſiae.

12. ἀπὸ δὲ — βιάζεται) *A tempore, quo Ioannes Baptiſta praedicare coepit, usque nunc doctrina de regno coeleſti auide arripitur,* i. e. auditur, et magno deſiderio excipitur. Ioannes nempe multorum animos excitauit ad doctrinae coeleſtis ſtudium. Ἡ βασιλεία τῶν ȣ̓ρανῶν h. l. eſt *doctrina* de regno coelorum, i. e. doctrina Chriſti. Lucas c. XVI, 16. pro βιάζεται habet ἐυαγγελίζεται. καὶ βιαςαὶ — ἀυτὴν) *Et qui magno ſtudio beneficia regni coeleſtis expetunt, eorum fiunt participes.* Scilicet ἡ βασιλέια τῶν ȣ̓ρανῶν ſignificat

ſignificat etiam bona et beneficia Meſſiae. In uocabulo βιαϛαὶ uidetur eſſe alluſio ad publicanos et milites, qui ſummo conatu ſibi rapere uidebantur bona illa a Phariſaeis neglecta. Cf. Luc. VII, 29. 30. Publicani et milites, qui concuſſionibus et rapina antea uixerant, iam ſibi ipſis uim faciebant, et omni animi contentione id agebant, ut prioris uitae maculas eluerent, ueraque poenitentia emendarent, ſeriis Baptiſtae admonitionibus locum concedentes. Rapiunt id, quod proprie uidebatur competere Sacerdotibus, Leuitis, Doctoribus. Vox βιαϛὴς occurrit apud *Philonem* de Agricult. Vid. *Loesner.* βιαϛαὶ autem eſt pro βιασάμενοι. Verbi ἁρπάζειν magna uis eſt. Significat enim *aliquam rem, dum eius conſequendae facultas datur, ſtudioſiſſime occupare.* Sententia igitur eſt, ut oſtendatur, diuinam doctrinam magna ope tradi, et aeque eminentibus hominum ſtudiis audiri et excipi.

13. πάντες — προεφήτευσαν) *Nam in Prophetarum ſcriptis et lege Moſis ante Ioannis tempora Meſſias tantum uenturus promittitur.* Illi nempe rem futuram ſignificabant; hic praeſentem monſtrat. Προεφήτευσαν cum emphaſi pronunciandum eſſe uidetur. Prophetae futura tantum uaticinati ſunt, quae nunc praeſentia clare et perſpicue cernuntur. Prophetare et uidere opponuntur infra c. XIII, 16. 17. Omnes Prophetae obſcure et aenigmatice uaticinati ſunt de iis, quae Ioannes ex parte uidit, uos autem plane perſpicitis. 1 Petr. I, 10. II, 12.

14. εἰ θέλετε δέξασθαι) Si patimini, uerum uobis dici, uel: ſi capere et intelligere datum eſt uobis. Ἠλίας) Spiritu uidelicet ac uirtute Eliae ſimilis, (Luc. I, 17.) non

autem ipſe illius Eliae perſona Io. I, 21. *Chiſſuk Emunah* c. 39. Fuit res nota in gente Iudaica, non adfuturum Meſſiam, niſi poſt aduentum Eliae Prophetae. Plura uid. ap. *Wetſten.* ὁ μέλλων ἔρχεσθαι) *Qui uenturus erat*, ἐρχόμενος, ut modo u. 3. de Meſſia dixerat. Nam haec participia ad imperfectum etiam pertinent. Ioannes omnium Prophetarum eſt ultimus, Meſſiae praecurſor.

15. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω) *Capiat qui poteſt. Wer Verſtand hat, denke nach.* Prouerbiale dicendi genus, quo in rebus ſeriis ſumma poſtulabatur attentio. Erat autem haec res maxime notanda, quia aduentus Ioannis ſignum erat, Meſſiam etiam adeſſe.

16. τίνι — ταύτην;) Iam Phariſaeorum, aliorumque Iudaeorum moroſitatem et incredulitatem grauiter reprehendit Ieſus. Τίνι δὲ ὁμοιώσω; Exordium familiare Iudaeis parabolam inceptantibus, ut apparet tum ex Thalmudicis libris, tum Marci IV, 30. Luc. XIII, 18. 20. Γενεὰν ταύτην, *homines huius aetatis.* ὁμοία ἐστὶ παιδαρίοις) παιδίοις habent plurimi Codd. et Patr. gr. *Quadrat in eos puerile illud carmen etc.*

17. ηὐλήσαμεν — ἐκόψασθε) Nihil eorum quae nos agimus et dicimus, uobis placet. Studia ueſtra ſemper contraria ſunt noſtris. Adagium deſumtum a pueris in foro ſedentibus, qui ludendo imitari ſolent, quae a maioribus natu ſerio agi uiderunt, et nunc nuptias celebrant, nunc funera deducunt, nunc aliud huiusmodi agunt, neque tamen quosdam, qui moroſiores ſunt, mouere poſſunt, ut et ipſi talibus operam nauent. Pueris iſtis moroſioribus Phariſaeos

ſaeos ſimiles eſſe uult Chriſtus, quibus nec Ioannis Baptiſtae durior ac ſeuerior, neque Saluatoris Chriſti liberior uita placebat. Eſt autem dictum huic noſtro ſimile, quod ex R. *Papa*, in *Gemara* Codicis Thalmudici Sanhedrim refertur: Plorant ei, qui neſcit, arrident ei, qui neſcit: uae ei, qui bonum a malo diſcernere neſcit.

18. μήτε ἐσθίων μήτε πίνων) Eſt figurata oratio καθ' ὑπερβολήν. Prodiit inſignis auſteritate uitae, ieiunans et abſtinens ab omnibus deliciis ciborum, abſtemius et aquae potor. δαιμόνιον ἔχει) *inſanit*, eſt homo melancholicus et furioſus. Apud *Sophoclem* Aiac. u. 244. δάιμων a Scholiaſte explicatur per μανίαν. Cf. Io. X, 20.

19. ἐσθίον καὶ πίνων) Omnibus ſemet accomodans, nec ullius aſpernans conſortium, ueſcitur quibuslibet, et bibit quod apponitur. Non agit uitam auſteram. καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς) *Sed probatur ſapientia a cultoribus ſuis.* καὶ hic ſumitur pro ἀλλὰ, nimirum Hebraeorum exemplo, apud quos ו ſaepiſſime ita ponitur. Ἡ σοφία quid h. l. ſit, non conuenit inter interpretes. Sunt, qui intelligunt τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ (Luc. VII, 30.) ſapientiſſimum nimirum Dei conſilium Iudaeos et Ioannis ſeueritate, et Chriſti comitate ad poenitentiam reuocantis, ne quid inexpertum relinqueret; atque etiam ne quid illi cauſſari poſſent. Alii, ut *Sebaſt. Munſterus* et *Iac. Perizonius*, quorum rationem probat cel. *Io. Frid. Fiſcherus* (in proluſ. 25. de uitiis Lexicorum N. T.) intelligunt *doctrinam diuinam* a Ioanne et Chriſto traditam, a principibus ciuitatis Iudaeorum ut malam et inutilem reprehenſam atque repudiatam, ſed a uulgo ut utilem et bonam,

 pro-

probatam et laudatam. Poſſet autem ἡ σοφία h. l. eſſe *prudentia*, quam quis in uita et moribus ſuis declarat. Sermo eſt enim de diuerſis moribus quos Ioannes et Chriſtus ſequebantur, dum ille in deſerto latuit, hic autem per Palaeſtinam circumibat atque docebat. Vterque habebat ſuas cauſſas, cur ſic, nec aliter ageret. Haec prudentia, inquit Chriſtus, ἐδικαιώθη, (aor. pro quouis tempore,) *probatur* et *laudatur*. Hanc uerbi δικαιοῦσθαι poteſtatem confirmat auctoritas gloſſematis ἐτιμήθη, (*diligitur*, *magni aeſtimatur*,) quod repererat *Io. Matthaeus Caryophilus* in codice aliquo Romano, ut *Fiſcherus* l. c. notat. Ἀπὸ (pro ὑπὸ, ſolent enim hae particulae permutari) τῶν τέκνων αὐτῆς, *a cultoribus ſuis*, quemadmodum et *Syrus* reddidit. Hebraiſmus. בן *filius* cum Genit. uirtutis et uitii, ſignificat deditum iisdem eſſe. Cultores ſapientiae ex priori explicatione ſunt intelligendi illi, qui pia quadam diuinae ſapientiae reuerentia tenebantur, quales Ioannis et Chriſti tempore erant publicani et de plebe aliqui. Luc. VII. 29, 30. Si per τὴν σοφίαν intelligimus prudentiam in agendo, tum *cultores* uel amici prudentiae erunt homines prudentes, ut ſenſus ſit: prudentiam ſapientum hominum nonniſi a prudentibus aeſtimari atque diiudicari poſſe.

20. ὀνειδίζειν τὰς πόλεις) *uituperare*, *reprehendere*. Alib. hoc uerbum denotat *conuitiari*; ſed h. l. ſumitur eo ſenſu, quo *Plato* etiam dixit: ὀνειδίζων ἕνα ἕκαςον.

21. Χοραζὶν) Teſte *Hieron.* (in Ieſ. IX, 1.) in littore maris Geneſareth, et (de locis hebr.) in ſecundo lapide a Capharnaum. Βηθσαϊδὰν) i. e. *Iulias*, ultra mare Galilaeae,

lilaeae, in *Peraea*, *in inferiori Gaulonitide* Ioseph. de B. I. L. II, c. 13. πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν) suppl. καθήμεναι, quod et Codd. nonnulli habent. *Cum sacco et in cinere sedentes.* Hebraeis שַׂק est cilicium, uestis ex materia crassa, quaeque non laxa est, sed corpus fere premit. Coniunguntur cilicium et cinis Ies. LVIII, 5. Ierem. VI, 26. Dan. IX, 3. aliisque locis. Constat fuisse ueterum consuetudinem inter profanas etiam gentes, ut in graui luctu sese iacentes puluere et cinere adspergerent. *Plutarch.* de superstitione. *Lucian.* de luctu. 13. Πάλαι, ad uetusta illa tempora referendum — *prisco illo tempore*, quo difficilius erat poenitentiam agere. μετενόησαν ἂν, *forte poenitentiam egissent.* Sensus esse uidetur: *Vos longe peiores estis Tyriis et Sidoniis. Facilius esse puto, hominibus idolorum cultui deditis meliorem mentem persuadere quam uobis.* Christus hic populariter uidetur dixisse, quid humano iudicio, rebus expensis admodum esset probabile. Cum Galilaei omnia miracula omnesque admonitiones spernerent, desperata erat ipsorum salus: pessimis peiores erant et insanabiliores. De scientia Dei non est sermo, nec de eiusdem bonitate; quasi id, quod unice Tyrios ad bonam frugem perducere poterat, neglexisset.

22. πλὴν λέγω) *Quin etiam dico.* Hebr. אַךְ. Correctio, qua utimur, quum superiora quidem minime reprehendimus ut falsa, sed tamen amplificamus. ἀνεκτότερον ἔσαι) *tolerabilior erit conditio.* ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως) In communi illo generis humani iudicio. Tyriorum et Sidoniorum minor duritiei gradus erat.

23. ἡ ἕως — καταβιβασθήσῃ) *Quae nunc florentissima es, miserrima olim eris.* Verbum καταβιβάζειν, notat ex alto *deiicere*, quemadmodum ἀναβιβάζειν, in altum attollere. Prouerbialis est locutio, etiam Graecis et Latinis, *ad astra tolli*, aut sublimi uertice sidera ferire, pro eo, quod est, rebus florentibus et illustri loco esse. Huic contrarium est εἰς ᾅδου, h. e. ad *infima loca*, qualia sunt sepulcra, demergi, quo *fortunarum euersio* significatur. Ies. XIV, 12. et LVII, 9. Florebat Caphernaum piscatu, mercatu, et quae alia esse solent commoda ad mare sitarum urbium. Iam Christus ei urbi, perseueranti in incredulitate, grauissimas clades denuntiat, quas non dubitamus euenisse bello *Vespasiani*, et motibus, qui tum in Galilaea acciderunt. Simul autem grauiores poenas in futuro seculo denuntiat.

25. A tam tristi spectaculo imminentis urbium exitii oculos Christus auertit, erigitque ad Deum, qui mirabili sua sapientia effecerat, ut doctrina a ciuibus Christi, a sacerdotibus et doctis, qui primi illam recipere debuissent, reiecta, praeter omnem exspectationem pauperes et indoctos asseclas reperiret. ἀποκριθεὶς) Hebr. Verbum ענה usurpatur enim de eo, qui incipit, aut continuat sermonem. ἐξομολογοῦμαι — νηπίοις) *Gratias ago tibi pater, omnium rerum summe moderator, quod coelestem hanc doctrinam, quam non capiunt homines sapientiae opinione turgidi, agnoscendam das iis, qui humiliter de se sentiunt.* Ἐξομολογοῦμαι, *celebro, gratias ago*, Hebr. הודה, quod proprie denotat *confiteri*; nam gratiarum actio est beneficiorum confessio. In uerbis sequentibus: ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα etc. est Hebraismus, ut c. VIII, 9. Vsitata locutio esset: ὅτι ἀποκρύψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν

σοφῶν καὶ συνετῶν, ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. Non enim pro occultatione, ſed pro reuelatione proprie gratias agit Chriſtus. Ταῦτα, nimirum *coeleſtem doctrinam*, uel myſteria regni coeleſtis, quae tum temporis nondum clare reuelata erant. Cf. comma 27. Ἀποκρύπτειν, *celare*, non docere. Ἀποκαλύπτειν, *docere*; nam de immediata reuelatione h. l. non eſt ſermo. *Sapientes et prudentes* h. l. per conceſſionem nominantur, qui ſibi tales uidebantur. Tales enim oportuerat eſſe Scribas et Phariſaeos, qui tamen erant omnium maxime rudes. Νηπίοις hic apparet opponi συνετοῖς, i. e. *iis qui ſibi multum ſapere uidebantur*. Sunt ergo νήπιοι, qui de ſe humiliter ſentiunt. Inſuper notandum eſt, *euentum* h. l. ut ſaepius, propterea Deo adſcribi, quia permiſit, nec potentia ſua abſoluta impediuit, ut nobilium et diuitum maior pars religionem repudiaret. Cf. 1 Cor. I, 26. 27.

26. οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου) *Sic tibi eſt uiſum.* Εὐδοκία, uox helleniſtica, *propenſum affectum* et conſilium Dei ſignificat, quo uult, ut omnes omnino homines, ſi fieri poſſit, per religionem felices reddantur; non tantum ſapientes, potentes et diuites, (nam parua pars hominum eſt potens et ſapiens,) ſed cuiusuis generis homines. Ἔμπροσθέν σου eſt Hebraiſmus, et ponitur pronominis ſimplicis loco.

27. πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου) *Omnia*, (ad ſalutem hominum facienda atque docenda) *aperuit mihi pater meus.* Non dubito, παραδιδόναι h. l. eſſe, *docere, reuelare*, (quo ſenſu hebr. נתן ſaepiſſime apud Rabbinos occurrit) propter ea quae immediate ſequuntur. Chriſtus nimirum dicit, omnium myſteriorum ad ſalutem humanam per-

 tinentium

tinentium reuelationem ſibi eſſe creditam. Cf. Io. I, 18. XVI, 15. ὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν ὑιὸν, εἰ μὴ ὁ πατὴρ) *Quae ſit ratio muneris Meſſiae demandati, nemo praeter patrem* (nunc) *nouit.* Ὑιὸς conciſe dictum, pro eo quod faciendum atque docendum filio demandatum erat a patre: et ἐπιγινώσκειν h. l. denotat cognitionem accuratam, ſiue ut Chryſoſtomus loquitur τὴν ἀκριβῆ γνῶσιν. ὐδὲ τὸν πατέρα τὶς ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ ὑιὸς) *Nec decreta et conſilia patris,* (ad ſalutem humani generis ſpectantia) *ullus hominum praeter filium perſpicit.* De uoce τὸν πατέρα idem notandum, quod modo de *filio* diximus. Ne prophetae quidem ea, quae ſuper iſtis rebus praedixerunt, uiderunt, niſi per tranſennam quod dicitur. Vide 1 Petr. I, 10. καὶ ᾧ ἐὰν βύληται ὁ ὑιὸς ἀποκαλύψαι) Hoc utrumque referendum, tum ad id, quod de patre, tum ad id, quod de filio noſcitur. Filii enim ſapientiae permiſſum erat, et quibus, et quantum et quando uellet aperire. Scilicet tum temporis nondum conſilii erat, omnia quae concernebant opus redemtionis omnibus promiſcue reuelare, ob multorum imbecillitatem, aliasque cauſſas.

28. δεῦτε — πεφορτισμένοι) Δεῦτε πρός με, *accedite ad me* doctorem, *o uos, qui eſtis defatigati et onerati!* κοπιᾷν, *fatigatum eſſe,* quod plus denotat, quam laborare. Intelliguntur autem qui onere ceremoniarum a Rabbinis et Sapientibus impoſitarum opprimebantur, Act. XV, 10. infra XXIII, 4. ἀναπαύσω ὑμᾶς) *reficiam, recreabo animos ueſtros:* nempe doctrina mea coeleſti, promiſſis etc.

29. ἄρατε τὸν ζυγὸν μυ ἐφ' ὑμᾶς) *Submittite uos iugo. quod uobis impono,* i. e. recte percipite doctrinam meam. Chriſtus reſpexiſſe uidetur Iudaeos, qui aſſiduum et oneroſum

ſum legis ſuae ſtudium עול תורה, *iugum legis*, dicunt. Vid. *Wetſt.* ζυγὸς itaque h. l. eſt *doctrina Chriſti*. Cf. u. ſeq. μάθετε ἀπ' ἐμοῦ) Abſolute, ſine relatione dicitur, ut ſenſus ſit: *date uos in meam diſciplinam.* ὅτι πρᾳός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ) ταπεινὸς τ. καρδ. *humilis corde*, i. e. ταπεινόφρων, ut interdum Graeci uno uocabulo declarant, cui opponitur ὑπερήφανος, homo ſuperbus et ferox. Senſus eſt: Habebitis Doctorem mitem atque benignum, non ſeuerum moroſumque, ſicut Phariſaei. καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν) Amat Chriſtus loqui prophetarum uerbis. Extant haec apud Ierem. VI, 16.

30. ὁ γὰρ ζυγὸς μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρὸν ἐστι.) φορτίον reſpondet hebr. משא, et denotat idem quod ζυγὸς ſc. *doctrinam*, *diſciplinam*. Dicit autem Chriſtus doctrinam ſuam eſſe χρηστὸν, ſuauem, iucundam, et ἐλαφρὸν, minime moleſtam, in oppoſitione ad Phariſaeos, qui grauia onera imponebant.

CAP. XII.

1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ) *Per id tempus.* Haec autem uerba ſignificant, hanc hiſtoriam haud narrari ex temporis ſerie, ſicut etiam conſtat ex Luca et Marco. τοῖς σάββασι) Sono plurali ſignificationem habet ſingularem. Ita apud *Horatium:* ſunt hodie triceſima ſabbata. τίλλειν στάχυας) Hoc Lucas interpretatur ψώχειν, *fricare*, quo ſenſu uox τίλλειν eſt et apud Diodor. Sic. et in gloſſis τιλμὸς ὀσπρίων.

2. ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν σαββάτῳ) Vulſionem ſpicarum intelligunt, non deambulationem. Nam ambulat et Chriſtus: at Phariſaei ſolos diſcipulos notant. Licebat uellere ſpicas

ex

ex alieno agro Deut. XXIII, 25. At quaestio erat, utrum illas liceret uellere aut fricare *Sabbato?* Moses quidem interdixerat Sabbato facere מלאכה, opus seruile. Quid autem opus seruile esset aut non esset, iuris erat controuersi, Doctoribus inter se dissidentibus.

3. οὐκ ἀνέγνωτε — καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ) Dauid quidem solus accessit ad Sacerdotem, 1 Sam. XXI, 1. 2. petiit autem panes etiam pro comitibus, qui alibi substiterant. Comm. 3. 4.

4. εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ) i. e. locum, in quo erat ἡ σκηνή. Nam templum adhuc nullum extabat. τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως) *Panes Deo sacros.* Hebraei uocant לחם פנים *panes facierum*, quod coram Domino appositi, tota hebdomade manerent in aurea mensa huic cultui consecrata. LXX. modo dicunt ἄρτους προσώπου, modo προκειμένους, saepissime uero ut hic, προθέσεως. Genit. autem est loco participii, pro: οἱ προτεθέντες ἄρτοι *propositi panes.* οὓς οὐκ — μόνοις) Quibus uesci ipsum fas non erat, κατὰ τὸ ῥητὸν, rigide sumtum: fas autem erat κατὰ διάνοιαν. Insunt enim legibus exceptiones, quarum nulla est aut receptior aut iustior, quam ea quae fluit ex necessitate. Ἐι μὴ, *sed;* hebr. אם — אל.

5. βεβηλοῦσι) Catachrestice hoc uerbo Christus utitur, pro: *Labores peragere.* Hoc ipso loquendi genere utuntur Hebraei ueteres in Thalmude, et ex illis *Dauid Kimchi,* quum dicunt recte interdum uiolari Sabbatum, idque probant exemplo operarum sacerdotalium; Sacerdotes enim die Sabbati animalia mactabant, excoriabant, lauabant, portabant, nec tamen uiolati Sabbati rei fiebant.

6. τοῦ

6. τῦ ἱερῦ — ὧδε) Obiicere poterant Pharisaei, a Sacerdotibus labores peragi die Sabbati in usum templi. Cui obiectioni Iesus opponit, se suamque praesentiam esse multo maioris momenti. Pro μείζων al. leg. μεῖζον, subint. τι, i. e. maius quidpiam. Plus templo erat omnis Propheta, Christus autem est Dominus templi. Malach. III, 1.

7. εἰ δὲ ἐγνώκειτε, τί ἐστιν) Vid. sup. c. IX, 13. οὐκ ἂν κατεδικάσατε τοὺς ἀναιτίους) *non condemnassetis insontes.* Debebatis factum discipulorum excusare necessitate, quae legem non habet, prout excusare soletis factum Dauidis. Quum autem apud uos non sit idem de utrisque iudicium, manifestum est uos maleuolentia et studio partium actos ita iudicare, et naturalem aequitatem, quae lex est omnibus ritibus potior, uiolare. Infra c. XXIII, 3.

8. κύριος γὰρ — τῦ ἀνθρώπυ) i. e. *possum dispensare ab obseruatione Sabbati*; quod modo fecerat, permittens discipulis suis, ut fricarent spicas die Sabbati. καὶ deest in multis Codd. Verss. et Patr. Secundum *Grotium* υἱὸς ἀνθρώπυ h. l. est *homo quiuis*, quia *Marcus* addit: Sabbatum est hominis caussa, non homo Sabbati caussa. Sed uerosimilius est Iesum intelligi, qui quam saepissime in N. T. hoc nomine (ὁ υἱὸς ἀνθρ.) designatur; ille et Dominus templi est, et dominus Sabbati: ille nouit uerum sensum legis a patre suo latae, scitque sabbatum esse propter hominem, non hominem propter sabbatum, ut est apud Marcum.

10. τὴν χεῖρα ἔχων ξηρὰν) *Arida* manus h. l. est, cui succus uitalis, s. humidum radicale deficit; quae ita est uitiata,

tiata, ut nihil ibi in ſuccum et ſanguinem conuertatur

εἰ ἔξεστι τοῖς σάββασι θεραπεύειν;) Non tam quaerentium eſt, quam negantium. Secundum Rabbinorum opinionem *periculum uitae* tantum pellit Sabbatum. Quosnam uero morbos iudicent periculoſos, quibusque adhibenda medicina ſabbato, uide in *Hieroſ. Auodah Zarah.*

11. τίς ἔσαι — ἐγερεῖ;) Omnino prehendet et extrahet ex fouea. Κρατεῖν h. l. eſt prehendere, ut ſupra c. IX, 25. et ἐγείρειν *extrahere.*

12. Πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου;) Particulam οὖν hic poſitam eſſe pro ἀλλὰ, uel δὲ, exinde patet, quod ſtatim ſubiicitur argumenti concluſio. *Quanto uero diſcrimine praeſtat homo oui?* Ne obiicerent Phariſaei in ſuo iure agi de uita, hic de membri integritate, occurrit Chriſtus, oſtendens, tanto hominem pecude eſſe potiorem, ut merito hominis ſanitas pecudis uitae praeponderet.

13. λέγει τῷ ἀνδρώπῳ) Vera doctrina de ſabbato expoſita, iam omnem calumniae anſam praecidit. Nam ſine contactu ſola uoce hominem ſanat, quod ne ſpeciem quidem uiolati ſabbati habere poterat. καὶ ἐξέτεινε καὶ ἀποκατεστάθη ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη) Hic quoque coniunctio cum uerbo uim participii habet. Senſus enim eſt: ἐξέτεινε ἀποκαταςαθεῖσαν ὑγιῆ: neque enim extendere manum potuiſſet, niſi uirtute diuina reſtitutam.

14. συμβούλιον ἔλαβον) συμβούλιον λαμβάνειν, aut ut Marcus loquitur, ποιεῖν, non eſt *concilium uocare*, ſed *conſilium capere*, ſiue id fiat in legitimo conſeſſu, ſiue aliter. Eſt ergo συμβούλιον idem, quod Platoni συμβουλὴ, qui et συμβουλὴν ποιεῖν dixit.

dixit. ἐξελθόντες) ex ſynagoga ſcilicet, in qua haec erant geſta, u. 9. ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσι, *ut eum perimerent.* Vitae eius inſidiati ſunt.

15. ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν) *Seceſſit inde.* Id agentibus Phariſaeis, ut eum perimerent, prudenter ſe ſubduxit, ut qui noſſet, nondum horam ſuam ueniſſe. Πάντας, nempe qui ſanari ab eo cuperent; ſic ſaepe interpretandae ſunt particulae uniuerſales.

16. καὶ ἐπετίμησεν — ποιήσωσιν) *Et ſeuere illis interdixit, ne ſe palam facerent.* Non doctrinam ſuam occultari iubet, neque miracula, quae in omnium conſpectu patrare ueritus nunquam fuit, ſed *perſonam*, in quam coniurauerant irae aeſtu accenſi Iudaei.

17. ὅπως — λέγοντος) Ieſ. XLII, 1. ſeq. Affert hunc Prophetae locum Matthaeus, ut oſtendat, illam ἀναχώρησιν Ieſu non eſſe uel propterea factam, quod cauſſae ſuae diffideret, uel quod diffideret Patris coeleſtis praeſidio, ſed quod ad pugnam ſe cum ſuis componere nollet aduerſus Phariſaeos, quippe cuius regnum de hoc mundo non eſſet.

18. ἰδοὺ ὁ παῖς μου) *Ecce ſeruum meum. Septuaginta* multis in locis de ſuo quaedam addiderunt ad explicandam Hebraicorum uerborum ſententiam: ut hoc loco ante ὁ παῖς μου poſuerunt Ἰακώβ, et ante ὁ ἐκλεκτός μου, Ἰσραήλ. Et uidetur hic Prophetae locus ab iisdem interpretibus ita fuiſſe intellectus, quaſi de Hebraeo populo ageret. Chaldaeus autem Paraphraſtes *Meſſiae* nomen hic addidit. R. *Abarbanel*, et R. *Kimchi* etiam hunc locum de Meſſia explicant. παῖς, *ſeruus*, hebr. עבד. Vide S. V. *Dathii* annotationem

tationem ad hunc Iesaiae locum. ὃν ᾑρέτισα) *quem elegi*, i. e. *prae ceteris amo*. In Hebr. est אתמך. LXX. posuerunt ἀντιλαμβάνεσθαι, *suscipere*. Sunt et aliae diuersitates inter huius loci Versionem τῶν LXX. et Matthaei, quas studio praetermittimus. ἀγαπητός μου) Hebr. בחירי. LXX. ἐκλεκτός μου, ex quo apparet eandem esse uim uocis ἀγαπητοῦ et ἐκλεκτοῦ. πνεῦμα) h. l. uidetur esse *uirtus diuina, afflatus diuinus*. Κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ) *Veram religionem gentibus annunciabit*. Nam κρίσις, משפט, quod est in Hebraeo, interdum etiam *legem*, siue normam uiuendi indicat.

19. οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει) Quum in Hebraeo duae sint uoces eiusdem significationis, *clamorem* denotantes, Matthaeus alterius loco substituit ἐρίζειν, ut ostenderet, de eo clamore hic agi, qui signum esse solet excandescentis animi. LXX. οὐ κεκράξεται, οὐδὲ ἀνήσει. Antecedentibus consentire uidetur *Gottfr. Olearii* interpretatio, qui haec uerba ad tumultum, qualis in bello manibusque consertis excitari solet, refert. Ceterum nihil frequentius est apud Graecos Scriptores, quam clamorem, in praelio sublatum, uoce κραυγῆς designare; et ἐρίζεσθαι de ea, quae manibus fiat consertis, contentione, multoties usurpatur. οὐδὲ ἀκούσει — φωνὴν αὐτοῦ) In Hebraeo est בחוץ, ἔξω, quemadmodum hic habent οἱ LXX. Quia uero platea est extra aedificia, ideo eo nomine frequentissime appellatur. Aliis uerbis repetitur, quod modo dictum erat.

20. Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει) LXX. καλ. τεθλασμένον. Apud Graecos non magnum est discrimen inter συντρίβειν et κατάγνυσθαι. Quare sensus est; Arundinem aliqua-

tenus

tenus iam fractam, non ultra franget; id uero est: Non praecipitabit in ruinam sua culpa iam satis miseros. Iesus pro potentia sua facile perdere potuisset inimicos suos. Sed hoc facere noluit. λῖνον τυφόμενον) λῖνον, *linum*, h. l. est ellychnium, materiae nomine posito pro eo quod ex ea materia confectum est, ut alibi λῖνα dicuntur retia ex lineis seu tenuibus linis contexta. Τυφόμενον, כהה significat id, quod prope est ut extinguatur, qualia sunt ellychnia, in quibus fumus aliquod flammae uestigium refert. LXX. λ. καπνιζόμενον. Τὸ ἀλληγορούμενον est idem, quod in membro superiore. ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν) Communis fere est interpretum sententia, Matthaeum exprimere uim uerborum Iesaiae u. 3. l. c. לאמת יוציא משפט quod LXX. uertunt: εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν. Quid si Matthaeus respiceret ad u. 4. dicti capitis? עד — ישים בארץ משפט. Ad utrumque locum refert *Bengelius* in Gnomone. Cf. eiusdem Apparatum crit. ad u. 21. et *Bowyeri* coniecturas. Si lectio nostra genuina est, sensus esse uidetur: *usque dum caussam*, de qua disceptatur, *obtinuerit*, atque adeo ex illo certamine uictor discesserit. Ἐκβάλλειν hic idem esset, quod alias ἐξάγειν, et ἐξάγειν εἰς νῖκος τὴν κρίσιν s. κρίμα dicitur is, *qui in iudicio caussam uicit;* quod pluribus ostendunt *Krebsius* in obs. in N. T. ex *Iosepho*, et *Grotius* ad h. l. Placet etiam *Loesneri* huius loci explicatio. Nimirum κρίσιν, utrum pro iudicio ipso sumas, an pro lite et caussa, de qua agitur, promiscuum est, ut patet e Philone. Iam uero εἰς νῖκος denotat *plane, prorsus*, ex Hebraico נצח, ut ex *Drusii* aliorumque scriptis notum est. Verborum igitur sententia haec esset: *donec omnem litem prorsus composuerit et diremerit*,

i. e. *donec plane euicerit, se esse Messiam*; nam de ea re decertabatur inter eum et Pharisaeos. *Hieronymus* ob recurrens uerbum *iudicii*, colon Iesaiae hoc loco per errorem excidisse putat. Quicquid sit, ipsa quidem sententia placidam et moderatam actionem Messiae decentissime exprimit.

21. καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι) Iesaias habet: לתורתו איים ייחלו. Sensus est, exteras gentes fiduciam collocaturas in professione religionis Messianae; nam תורה Hebraeis frequenter significat id, quod Graeci elegantiores dicunt ἅιρεσιν, Hellenistae autem idem uocant ὄνομα, quia moris est, sectatores ab instituti sui auctore nominari.

22. τυφλὸς καὶ κωφὸς) Ex morbo, non uero a natiuitate uidetur fuisse surdus. λαλεῖν καὶ βλέπειν) Chiasmus est, pro βλέπειν καὶ λαλεῖν.

23. ἐξίςαντο) ἐξίςασθαι significat prae admiratione apud se non esse, et de statu mentis deiici. μήτι οὗτός ἐςιν ὁ υἱὸς Δαβὶδ;) Nonne hic est *Messias?* Ob miracula, cum quibus uenturum Messiam populus expectabat.

24. εἰ μὴ ἐν τῷ βεελζεβοὺβ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων) De Beelzebub cf. supra c. X, 25. Inter impuros spiritus unum esse, qui praesideat, non tantum Iudaeorum, uerum etiam incantatorum et Philosophorum fuit sententia. Sensus est: Vi potentioris daemonis expellit infirmiorem: quo facto homini non beneficium praestat, sed ipsum in potestatem hostis seuerioris atque malignioris tradit. Hoc insanum conuitium Iesus manifestissima ratione refellit in sequentibus.

25. πᾶσα

25. πᾶσα βασιλεία — ὀ ςαθήσεται) *Omne regnum intestino diffidio diuifum, intereat oportet; nec ulla ciuitas aut familia inteftinis difcordiis fecum pugnans, ftabilis erit.* Τὸ μερίζεσθαι i. e. *diuifum effe aut partitum,* idem hic ualet ac *diffidere,* fiue in uarias factiones fciffum effe: Prouerbium notiffimum inter Hebraeos, quale illud *Ciceronianum,* (de amicitia) *Quae domus tam ftabilis, quae tam firma ciuitas eft, quae non odiis atque diffidiis funditus poffit euerti?* Qui fapiunt hoc agunt, ut res fuas ftabiliant, quod nifi concordia fieri non poteft.

26. καὶ εἰ — ἡ βασιλεία αὐτῦ;) Applicat Iefus id, quod dixerat com. 25. ad rem praefentem. *Si unus daemon expelleret alterum,* ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη, *in contrarias factiones diuifus effet. Satanas* h. l. eft princeps Daemoniorum cum omni focietate fua, cum ceteris fpiritibus malis. Is diuiditur in factiones, quando ceterorum fpirituum uim impedit et minuit; quod omnino fieret, fi Satanas eiiceret alios Spiritus e corporibus. Si ergo hoc ita eft, πῶς ὖν ςαθήσεται ἡ βασιλεία αὐτῦ; *quomodo confiftet regnum eius?* quomodo falua poteft effe focietas omnis? Hac refponfione Iefus ad abfurdum deducit Iudaeos.

27. οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλυσι;) *Cuius ope Veftrates eos eiiciunt?* Num et eos dicetis ope potentioris daemonis eiicere infirmiores? *Filii ueftri,* i. e. *Difcipuli ueftri,* fiue Veftrates. Nonnulli e Iudaeis, exorcifmis ufi uidebantur Daemonia eiicere, et morbos pellere, ex arte fua quaeftum facientes. Eiusmodi exorcifmi euentum fuum faepe habuerunt, non quod uis ulla in fyllabarum pronunciatione effet fita, fed propter adhibita fimul medicamenta.

 Chrifti

Chriſti argumentum eſt tale: In pari cauſſa par iudicium fieri oportet. Creditis, diſcipulos ueſtros daemonia eiicere ui diuina; cur de me idem non creditis? ὑμῶν ἔσονται κριταὶ) i. e. ipſorum factum ſufficiet uobis conuincendis atque condemnandis: ut infra u. 42. et 43. Haec refutatio deſumta eſt ab aequitate.

28. εἰ δὲ — τοῦ θεοῦ) *Quodſi uero adiuuante Deo eiicio Daemonia, peruenit ad uos regnum Dei*, facio ut regnum Dei inter uos inſtituatur, ut augeatur inter uos numerus eorum, qui Deum uere colant. Ἐν πνεύματι θεοῦ, *per potentiam diuinam*, adiuuante Deo. Permutantur notiones ſpiritus et potentiae; quod enim uno in loco dictum eſt fieri ſpiritu, id in altero potentiae diuinae tribuitur. Cf. Luc. XI, 20. 1 Petr. III, 18. *Regnum Dei* opponitur regno Satanae. De phraſi: *uenit regnum Dei* uid. notata ſupra ad c. VI, 10. Concluſio pluribus conſtat propoſitionibus, quae addendae ſunt, et ita cohaeret: Si per diuinam omnipotentiam eiicio daemonia, patro miracula adiuuante Deo. Ex quo conſequitur, me eſſe legatum diuinum; ſi autem ſum legatus diuinus, credendum eſt mihi, quum nuncio uobis regnum Dei.

29. ἢ πῶς — διαρπάσαι;) Simili rem illuſtrat Ieſus. Si, quod omnes fatentur, qui uincit fortior eſt eo, qui uincitur, facile perſpicietis, me longe eſſe potentiorem daemoniorum principe. Τοῦ ἰσχυροῦ, i. e. δυνατοῦ, ſiue ad copias et facultates, ſiue ad corporis robur referas, גבור Ieſ. XLIX, 24. Articulus h. l habet ſignificationem indefinitam — *Potentis alicuius.* Σκεύη, hebr. כלי, denotat res et ſuppellectilem omnem.

30. ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι) *Etiam hic ualet illud: Qui non eſt amicus, cenſetur inimicus.* Prouerbium Iudaicum in utramque partem uſurpatum; nam et dici ſolebat: *Qui non eſt contra nos, pro nobis eſt* Luc. IX, 50. Sunt enim prouerbia prouerbiis in ſpeciem contraria. Notandum eſt autem, in ſententiis eiusmodi modo primae, modo ſecundae, modo tertiae perſonae pronomina uſurpari ἀορίστως pro quouis homine. Senſus eſt: abſurdiſſime ſuſpicamini me a partibus diaboli ſtare, quem uidetis aperte ab ipſo diſſidere, et bellum ipſi inferre. Ego, qui diabolum uinco, non poſſum cum eo iniiſſe pactum. καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει) Non diſſimile eſt illud apud *Quintilianum* VIII, 6.— *Obſtat, quicquid non adiuuat.* Idem dicitur, quod in priori membro dictum erat. Alii cohortationem his uerbis contineri exiſtimant, hoc ſenſu: *Qui me non* adiuuat in propagunda doctrina mea, is mihi eſt impedimento; et qui non colligit mecum (ſc. coetum,) is diſſipat (ſectatores meos,) impedit, quo minus habeam coetum. Haec dicta eſſe putant contra Phariſaeos, qui abducere uolebant homines a fide in Chriſtum. Prior tamen interpretatio praeferenda ſſe uidetur.

31. διὰ τοῦτο) Referendum eſt hoc ad totam orationem quae praeceſſit, hoc modo: Quum tam manifeſtis rationibus conſtet, quae facio non Daemonum, ſed Dei uirtute fieri, uidete quam grauem poenam in uos arceſſatis, quum dicitis, iſta ui Daemonum effici. Marc. III, 30. Videbat mentium inſpector, agnoſcere ipſos uirtutem uere diuinam, ſed quiduis potius comminiſci, quam ut plebem paterentur a ſuo magiſterio ad Chriſtum tranſire, u. 25. πᾶσα ἁμαρτία

 καὶ

καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις) *Quoduis peccatum et conuitium remittetur hominibus*, i. e. *remitti poterit*; nam uerbum, quod actum denotat, interdum de potentia, ſ. quadam conditione, intelligendum. ἡ δὲ τοῦ πνεύματος — ἀνθρώποις) Senſus eſſe uidetur: *Qui opera manifeſte diuina tanquam diabolica criminatur, is uix impetrabit ueniam.* Πνεῦμα, ſiue ut Lucas habet τὸ ἅγιον πνεῦμα eſt *uis diuina* in miraculis Chriſti conſpicua, oppoſita malorum daemonum operationibus. Cf. Scholia noſtra ad Gal. IV, 29. 1 Cor. X, 3. Eo ſenſu Chriſtus ſupra u. 28. dixerat, ſe ἐν πνεύματι θεοῦ, *ui diuina*, non ope principis daemoniorum eiicere daemones malos. Πνεύματος autem hic dicitur, pro: κατὰ τοῦ πνεύματος, ſicut *pudor patris*: *erga* patrem, et *conuiciari ſpiritum*, eſt dicere, id quod ope diuina efficitur, effici ope diabolica, per fraudem magicam. Committebatur igitur hoc peccatum ab iis, qui opus, *ipſismet ſpectantibus* diuina uirtute patratum, a ſpiritu malo factum fuiſſe malitioſe dicebant. Atrociſſimum fuiſſe hoc peccatum, facile patet. Qui enim tot tantisque miraculis, quae nonniſi diuina uirtute patrari poterant, obtrectabat, ille erat inemendabilis. Qua enim alia ratione ad mentem ſaniorem potuiſſet reduci?

32. καὶ ὃς — αὐτῷ) i. e. *Si quis mihi propter humilem meam conditionem externam obtrectauerit, ueniam impetrare poterit.* Εἰπεῖν λόγον κατά τινος, idem eſt ac βλασφημεῖν τινὰ, *contumelioſe loqui de aliquo. Filius hominis* autem eſt Meſſias, qua eſt homo, et qua eſt adſpectabilis inter homines. Iudaeorum conuicia de filio hominis erant: eſſe eum fraudatorem, natum eſſe ex patre fabro lignario,

lignario, ergo non esse legatum diuinum; educatum esse eum Nazarethae, unde nihil boni uenire possit; esse rebellem, qui tributa solui prohibeat etc. Huius peccati facilior erat uenia. Qui enim Christo non credebat, uel quia ipsius humilitate offendebatur, uel quia auctoritate Doctorum ab eo alienabatur, adhuc erat sanabilis, et poterat miraculis eo adduci, ut errorem suum agnosceret. ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος — ἐν τῷ μέλλοντι) *Qui uero opera haec mea diuina criminatur, grauiter punietur et in hoc et in futuro seculo.* Obuia et in scriptis Iudaeorum distinctio inter עולם הזה et עולם הבא seculum hoc et futurum, i. e. inter tempus laboris et tempus praemii, quod incipit a resurrectione mortuorum. Simplex est *Chrysostomi* expositio huius loci κατὰ λιτότητα: *punietur grauiter et in hoc et in futuro seculo*; cui firmandae facit, quod sic loqui solebant Iudaei. Vide *Grotium.* Caussa cur nulla salus huiusmodi hominibus esset exspectanda, est in promtu: qui enim contemtui calumniam adiungebant, et scientes uolentes miracula, quae suis oculis uiderant, ad immundum spiritum referebant, illi erant insanabiles. Facilior tamen est S. V. *Doederlini*, Theologi Ienensis interpretatio, in Th. Dogm. P. II. pag. 95. edit. 2dae. Populariter nempe dictum uidetur, ut si quis grauiter offensus negauerit, se cum aduersario unquam in gratiam rediturum, quum hoc tantum uelit, se commissi sceleris ueniam aegre concessurum. Sensus uerborum Iesu itaque esset: *Equidem quascunque iniurias tolerare potius, quam hanc impietatem excusare et condonare uellem. Iede andere Sünde kan dem Menschen eher uergeben werden, als diese.*

33. ἢ ποιήσατε — γινώσκεται) Hoc uult dicere Chriſtus: Si negare non poteſtis bona eſſe, quae ego ad ſalutem hominum facio, fateamini oportet, me bonum et benignum eſſe. Sin autem malum me eſſe, et malo daemone agi putatis, oſtendite quid mali fecerim, tali conſortio dignum. Qualis enim arbor, talis fructus. Quodſi ex fructibus cognoſcitur arbor, cuius ſit indolis, utrum bona ſit, an uero mala; ex dictis et factis meis facile intelligere poteritis, utrum ego ſim bonus, an uero malus. Quales uero uos ſitis arbores, ſatis proditis, quando ope diaboli me daemonem eieciſſe, malitioſe dicitis. Edite igitur fructus bonos, ut, uos bonas eſſe arbores, innoteſcat. Ποιήσετε. i. e. *ponite*, uel *ſtatuite*. Ita et Latini dicunt *fac*; pro quo Graeci dicerent τίθετι. Argumentatur Chriſtus ab effectu ad cauſſam, et oſtendit, calumnias eorum ne ad communem quidem hominum ſenſum cohaerere.

34. γεννήματα — ὄντες;) *Ex malis maioribus orti mali homines, a uobis ipſis documentum ſumite, quam uera ſit illa ſententia. Nam quum intus mali ſitis, uidemus etiam mala eſſe, quae profamini.* Pro ſubiectae materiae ratione, τὸ δύνασθαι intelligendum, non κατὰ τὴν φυσικὴν ἀκρίβειαν, ſed κατὰ τὴν ἠθικὴν πλατύτητα. Ἀγαθὰ λαλεῖν, intelligendum eſt, non de uno aut altero actu, ſed de eo, quod ἐπὶ πολὺ accidit, quod etiam ſubiecta ratio apertiſſime oſtendit. ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ ϛόμα λαλεῖ) Sicut uentriculus, quod in ſe abundat, euomit, ita et cor. Qualis animus, tales ſunt ſermones hominis.

36. λέγω δὲ — ἡμέρᾳ κρίσεως) *Mihi credite, homines rationem reddere oportebit aliquando de dictis et uocibus pernicioſis,*

niciosis, quas emiserint, omnibus. Ῥῆμα ἀργὸν h. l. est *sermo damnosus et perniciosus*, qui aliis ualde obest, et facit ut peccent. Codices nonnulli iuniores pro ἀργὸν habent πονηρὸν, haud dubie ex glossemate, quod uero uim uocis ἀργὸν bene exprimit. Sic etiam interpretes, Syrus et Hebraeus, a Seb. Munstero editus transtulerunt. Sic apud Xen. Cyrop. I, 3. 8. μὴ λυσιτελεῖν est *perniciosum esse, exitium afferre*; et ap. Cic. off. I, 10. III, 13. *inutile* dicitur de eo, quod *detrimentosum* est. Hanc autem significationem h. l. tenendam esse, series orationis Iesu docet. Pharisaei enim tales uoces emiserant, quibus uulgus leue facile adduci poterat, ut Iesum, non legatum diuinum, sed magum esse crederet. (Vid. cel. *Io. Frid. Fischerus* de uitiis Lexic. N. T. Prolus. 25. p. 7. seq.) Docet igitur Christus, homines non tantum de factis, sed et de dictis et sermonibus perniciosis atque damnosis reddituros esse rationem atque iustas poenas daturos in illo iudicii die, et altera post mortem corporis uita.

37. ἐκ γὰρ — καταδικασθήσῃ) *Quisque enim ex sermonibus suis conuinci poterit, an fuerit bonus, an uero malus.* Videtur esse prouerbialiter dictum. Coram tribunalibus nempe auditur reus, et confessione eius nititur sententia iudicis, qui reum uel absoluit, uel damnat, et in ferenda sententia non tantum facta sed et uerba, sermones, et propriam confessionem hominis rei respicit. Prouerbium hoc Christus ad diuinum iudicium refert, quasi dicat: Etiamsi facta alia non extarent, ex solis sermonibus facile constabit, probi an improbi sitis. Itaque καὶ, quod sequitur, uim habet disiunctiuam.

38. τότε ἀπεκρίθησάν τινες) Non iidem qui Christum magicae artis accusauerant, sed alii, qui non accusantium, sed dubitantium speciem prae se ferebant. *Lucas*, c. XI, 16. ἕτεροι δὲ πειράζοντες. σημεῖον) *signum* uel *documentum legationis diuinae*. Lucas addit: ἀπ' οὐρανοῦ. Petebant signum de coelo eiusmodi, cum Moses manna dedit de coelo, Iosua stitit solem, Samuel tonitru et grandinem excitauit, Elias ignem et pluuiam demisit. Sed et hoc dicebant tentantes ipsum ut occasionem reperirent illi obtrectandi. Si edidisset, dixissent fascinatione oculorum ea uideri quae non sunt, nimiam distantiam impedire, quo minus distincte res uideri possit etc. Fortassis etiam tale desiderabant miraculum, ex quo appareret, eum liberaturum esse Iudaeos a Romanorum potestate. Eiusmodi signum Christus edere nec debuit, nec uoluit.

39. μοιχαλὶς) *adulterina soboles*, quae falso parentes iactat *Abrahamum*, *Isaacum*, *Iacobum*. Io. VIII, 39. 41. Ies. LVII, 3. καὶ σημεῖον — προφήτου) *Sed non dabitur ei aliud documentum* (diuinae meae legationis) *nisi documentum legationis diuinae Ionae prophetae*. Σημεῖον h. l. esse documentum diuinae legationis, ex uniuersa orationis serie patet. Ionam fuisse legatum diuinum, ex eius fatis et mira conseruatione apparuit. Simili modo, Iesus inquit, ex iis, quae mihi euenient, luculenter apparebit, a Deo me esse missum. Quid autem intelligendum sit, statim comm. 40. dicitur. Sed miraculum exhibebitur ei eius generis, quale contigit Prophetae Ionae. καὶ pro ἀλλὰ. Petebant signum de coelo: promittitur autem signum ab inferis, nimirum resurrectio, quae omnium miraculorum maximum

mum atque efficaciſſimum fuit. Non uindicabo uos in eam, quam expetitis libertatem, inquit Ieſus; ſed moriar, et tertio die reſurgam.

40. ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους) κῆτος ſecundum quosdam eſt *orca*, bellua marina, nomen hoc ſortita a uaſis olearii uel uinarii ſimilitudine, quam refert, (*Plin.* L. IX. c. 6.) haud raro homines deuorans. Singularis eſt S. V. *Leſſii* ſententia, (uid. eius *uermiſchte Schriften*, 1782. 8.) in nauim, cui nomen *magnus piſcis*, ſingulari prouidentia Dei aduectam, receptum eſſe Ionam, et tertio die expoſitum littori. ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς) *intra terram*, in ſepulcro. Hebraiſmus. Alludit Chriſtus ad uerba *Ionae*, qui ſe proiectum dicit בלבב ימים, εἰς καρδίας θαλάσσης ut transferunt LXX. τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας) Chriſtus duas tantum noctes et unum diem in ſepulcro latuit; ſolet autem dies quo ſepultus eſt, et dies quo reſurrexit connumerari, eodem modo, quo transfiguratio Chriſti Matth. XVII, 1. poſt ſex dies, Luc. IX, 28. poſt octo dies contigiſſe narratur. Thalmud. Hieroſolym. Schabbos: *Dies et nox conſtituunt* עונה νυχθήμερον, *noctiduum; et pars* עונה *eſt ſicut totum*. Plura exempla uid. ap. *Wetſten.* Ceterum hoc uult Ieſus: Sicuti Ionas triduum fuit in uiſceribus beluae immanis, et tamen in uita conſeruatus eſt: ita etiam Meſſias per triduum erit in uiſceribus terrae, et tamen uitae reddetur.

41. ἄνδρες Νινευῖται) Niniuitae, quos ut profanos contemnitis. Illud ἄνδρες addere fere ſolent Graeci, Latini praetermittunt. Hebraei quoque addunt, ſed primitiuis, non deriuatiuis; dicunt enim: Viri Nineue, ſicut Viri Ieruſalem. ἀναστήσονται — κατακρινοῦσιν αὐτήν) *Surgent in iudicio diuino, et*

declara

declarabunt, uos merito damnatos, ſi ad ipſos conferamini. Ἀναστήσονται, *ſurgent*, pro ſimplici accipitur, atque refertur ad iudiciorum conſuetudinem; ſolent enim aſſurgere, qui in publicis coetibus aliquid ſunt dicturi. Surgent tanquam actores uel teſtes, et reos peragent Iudaeos. Μετὰ, *aduerſus.* πλεῖον) יותר. Plus uobis praeſtitum eſt, quam illis in Iona. Multo praeſtantior eſt mea doctrina; illuſtriora ſunt miracula a me edita.

42. Βασίλισσα νότου — κατακρινεῖ αὐτὴν) Regina auſtralis traditur ueniſſe ex Arabia, quae nobis quidem eſt uerſus Orientem, illis autem, qui in Palaeſtina ſunt, uerſus meridiem eſt. Huius igitur reginae facta augebunt Iudaeorum culpam. Apparebit in illo die, illam multo meliorem fuiſſe his hominibus. (u. 41.) ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς) i. e. E longinqua regione. Hyperbolicum loquendi genus, profanis etiam uſitatum. 1 Reg. X. πλεῖον Σολομῶντος) Mulier delicata, inquit Chriſtus, fama Salomonis excitata eſt, ut moleſtum iter, relicto throno ſuo ſuſciperet, et illi pretioſa munera afferret: ego ad uos ultro ueni, in urbibus ueſtris praedicaui, munera nulla poſtulaui, etc. nec tamen uultis mihi monenti locum dare.

43-45. ὅταν δὲ — τῇ πονηρᾷ) Notandum eſt, uniuerſa haec dicta eſſe ex opinione hominum tum uiuentium, et concludi κατ' ἄνθρωπον, ſumi nempe id eſſe, quod homines eſſe credunt, et inde colligi aliquid, quod eſt iam per ſe uerum. Putabant nempe Iudaei, morbos plane ſingulares et grauiſſimos ortos eſſe a daemoniis, quia cauſſas morborum reperire non poterant, nec tamen morbos eſſe negabant. Ergo impurum daemonium (τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα) egredi

egredi ex homine dicebatur, quando morbus cessabat. Ex eadem uulgi opinione redit daemonium, quum morbus denuo inchoat; daemonium cum septem (i. e. pluribus) aliis uenit, quum morbi uis fit uehementior et crescit, ut fit cum tempore. Sic homines illis temporibus loquebantur. Iam Christus cum morbis corporis comparat morbos animi, quibus Iudaeorum maxima pars tum laborabat, ut patet ex uerbis comm. 45. ὅτως ἔϛαι τῇ γενεᾷ τάυτῃ τῇ πονηρᾷ. Quemadmodum nempe daemoniacus, cuius morbus, quum sanatus esse uideretur, redit, in dies fit miserior, quoniam morbus eius in dies augetur: sic quoque (Iesus inquit) haec aetas hominum mala et peruersa in dies fit miserior. Contumacia, ἀπιϛία Iudaeorum crescit in dies, et ad extremum non poterit curari amplius. A minoribus peccatis ad maiora progrediuntur. Iam me accusant, quod ope diaboli miracula patrem; mox me ut rebellem et fraudatorem interficient. Ceterum ἀνύδρυς τόπυς intellige loca deserta, in quibus nemo libenter habitet. Alludere uidetur Christus ad expulsionem daemonum per exorcismos. Poterant quidem Iudaei exorcistae medicamentis adhibitis, lucida interualla aliqua obsesso inducere, ita ut inhabitans daemon in tempus aliquod mitescere, nec hominem turbare uideretur; sed mox rediit pristinum malum. Hic ergo Exorcistae arti suae ita consulere uolebant, ut dicerent, Daemona in loca arida amandatum, locum habitandi non inuenisse, rediisse ergo in pristinam suam mansionem, quam aptam sibi ac paratam iam olim fuerat expertus. ἀνάπαυσιν) i. e. *habitandi locum;* ita enim Hebraei usurpant מנוח. Hanc ἀνάπαυσιν, domum, (corpus hominis obsessi) daemonium rediens inuenit σχολάζοντα, σεσαρωμένον, καὶ κεκοσμημένον

uacan-

uacantem, ſcopis mundatam, et ornatam; i. e. *poſſeſſionem non uacuam tantum, ſed et paratam.* Nihil eſt impedimenti, quo minus poſſit eam domum intrare. ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα) Quicquid in ſuo genere ad plenam menſuram peruenit, ſeptenario numero ſignificatur. Hodie diceremus: Si febris expulſa eſt, et ſanatus ualetudinem non curat diligenter, redit idem morbus, et recidiua febris multo eſt periculoſior et inſanabilior. οὕτως ἔϛαι καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ) Eodem modo ſeſe habet res cum mala hac natione (Iudaica) quam ad meliorem frugem perducturus eram. Sanare eam uolui, et liberare ab ignorantiae et uitioſitatis morbo. Sed reſpuit medicinam. Quia igitur miraculis meis et beneficiis ſe non permoueri patitur, longe peiori loco erit, quam ſi me nunquam audiuiſſet, meaque miracula nunquam uidiſſet.

46. ἰδοὺ, ἡ μήτηρ — αὐτοῦ) Nomina fratrum Chriſti legimus infra, c. XIII, 55. An conſobrini, an uero germani fratres intelligendi ſint, ualde dubium eſt. Cf. ad c. XIII, 55. a nobis notanda. εἱϛήκεισαν) habet terminationem plusquamperfecti, ſed ſignificationem praeſentis. ἔξω) Prae turba non poterant ad Ieſum accedere. Luc. VIII, 19. Cum autem mater non ſolum, ſed et fratres ueniſſent, et omnino cum ipſo colloqui expeterent, uidentur de re magna et negotio urgente agere cum eo cupiiſſe, nimirum audita Phariſaeorum calumnia, uidentur Ieſum de periculo monere, eique, ut ſe propere ſubduceret, ſuadere uoluiſſe. Cf. Marc. III, 21. 22.

48. Τίς ἐϛιν ἡ μήτηρ μου) oſtendens, ſe in mandato ſibi officio nihil tribuere ſanguinis propinquitati, ſed uoluntati

tati diuinae quam maxime obtemperantes, eos ſibi eſſe cariſſimos.

49. 50. Chriſtus opponit patrem in coelis matri quae in terris erat, ſimulque indicat, ſe peculiari modo Dei filium eſſe.

CAP. XIII.

1. Ἀπὸ τῆς οἰκίας) Quae anguſtior erat, quam ut auditores capere poſſet, ut apparet ſupra c. XII, 46. ἐκάθητο) docentium more, ut ſupra V, 1.

3. ἐν παραβολαῖς) παραβολὴ, cui reſpondet משל Hebraeorum, latiore ſignificatu eſt rerum differentium inter ſe comparatio; Cicero *collationem* dixit. Interdum itaque Parabola Scriptoribus N. T. eſt quaecunque comparatio et illuſtratio ex alia re ducta, uel etiam prouerbium. Proprie autem *parabola* eſt fictae alicuius rei ad aliam ſignificandam narratio. Duplex genus eſt parabolarum a Chriſto propoſitarum; unum, quod pertinet ad illuſtrandam morum doctrinam, et officia uitae continet; alterum, quod obſcure ſignificat regni diuini indolem et fata futura, quorum intelligentia certa difficilior erat, quia non niſi intellectis aliis, aut a Ieſu expoſitis, obtineri poſſet. Multa de duplici hoc parabolarum genere commentatus eſt *I. Iac. Heſſ* in libro: *Ueber die Lehren, Thaten und Schickſale unſers Herrn.* Sect. VI. Ad uſum practicum parabolarum utilis eſt liber *I. L. Ewaldi*, cui titulus: *Der Blick Ieſus auf Natur und Menſchheit, oder Betrachtungen ueber die Gleichniſſe unſers Herrn.* Lipſ. 1786. Ex earum parabolarum genere, quibus ſignificantur regni diuini natura et fata futura, ſunt

eae,

eae, quae iam ſequuntur. ὁ σπέιρων) Articulus h. l. eſt ἀόριςος, pro: σπέιρων τις, reſpondens Hebraeorum ה, praefixo uerbis et participiis; nam Hebraeos linguae penuria coegit pro uerbalibus participia ponere.

6. ἀνατέιλαντος) *Fulgente ſole*, ut זרח Hebraeorum interdum accipitur. ἐκαυματίσθη) *torrefacta ſunt*, ut *Columella* loquitur. Nam τὸ καῦμα ardorem declarat, a quo deducitur καυματίζεσθαι, ardore exhauriri et torreri.

7. ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι) i. e. *excreuerunt ſpinae.* Virgil. *Carduus et ſpinis ſurgit paliurus acutis.*

8. ἑκατὸν) i. e. aliud ſemen ex iactis fert centum, ſc. ſui generis grana, uel ἑκατοντάχουν, ut loquitur Theophraſtus. Quod de Sybaritano agro a *Varrone* proditum, de re ruſtica: a Plinio de Byzacio et Babylonia. *Herodotus* I, 193. de regione Babylonica inquit: Cereris fruges tam bene fert, ut ſemper reddat ad ducentena. Cumque ſuam etiam ipſa bonitatem ſuperat, tunc fert ad trecentena. Quae *Niebuhr* de fertilitate Orientis tradit, ſunt incerta, fatente ipſo Viro integerrimo. Vid. eius deſcriptio Arabiae p. 151. ſqq. *Herodotum* et noſtrum locum putat loqui non de tritico, ſed de *Holco*, i. e. *Dúrra, kleinen Mais, oder dem ſogenannten türkiſchen Waizen.* Nec Arabes (quod ad plebem attinet) alio pane, niſi ex Dúrra confecto facile ueſcuntur. Triticum autem uendunt. Plura habet *Wetſtenius.*

9. ὁ ἔχων ὦτα, ἀκουέτω) Vide c. XI, 15.

10. ἐν παραβολαῖς) i. e. δι' ἄινων, qui, quia ἐπιμύθιον non accedit, habent aliquid aenigmaticum.

11. ὑμῖν — ὐρανῶν) *Vos intelligere poteſtis obſcuros ſermones de regno Dei.* Μυςήριον in ſe ſignificat quamlibet rem occultam, hoc autem loco nominatim obſcurum ſermonem, qui eget explicatione, *parabolam.* Μυςήρια τῆς βασιλείας τῶν ὐρανῶν ſunt parabolae, uel obſcuri ſermones, quibus deſcribitur natura regni Dei, coetus chriſtiani. Iſtas parabolas, (inquit Ieſus diſcipulis ſuis) ὑμῖν δίδοται γνῶναι, *uos poteſtis intelligere.* Cur autem intelligere poterant? Quia erant diſcipuli interioris admiſſionis, ἐσωτερικοὶ, qui doctorem interrogare, et eandem rem ſaepius audire poterant. Ἐκείνοις δὲ ὐ δέδοται, *illi autem non poſſunt intelligere.* Qui hic dicuntur ἐκεῖνοι, eos Marcus c. IV, 11. uocat τὺς ἔξω. Sunt autem *Exoterici, extranei*, qui non ſunt in alicuius magiſtri ſchola. Tales erant omnes praeter diſcipulos Iudaei, qui Chriſtum non ſemper ſequebantur, ſed modo eum curioſi adibant, audiebantque, modo domum redibant. Hi non poterant intelligere parabolas de regno Dei, quia non erant in ſchola magiſtri, nec poterant eandem rem ſaepius audire.

12. ὅςις γὰρ — περισσευθήσεται) Senſus eſt: *Qui enim fundamenta religionis bene iecit, is indies maiores faciet progreſſus.* Ἔχειν h. l. eſt *habere aliquid cognitionis*; nam de religionis cognitione eſt ſermo. Is igitur, qui attento animo audit initia doctrinae, qui audita intelligit, iisque conuenienter uiuit, is in cognitione ueri magis magisque proficiet. Περισσευθήσεται, *diteſcet datis.* ὅςις — ἀπ' αὐτῦ) Senſus eſt: *Qui uix primis labris deguſtauit doctrinam, is facile pauculorum, quae didicit, obliuiſci poteſt.* Ὅςις ὐκ ἔχει, eſt *tiro*, qui paucula et fere

 nihil

nihil didicit. *Ab eo* igitur *auferetur quod didicit*; paucula illa e memoria elabentur, ſi non audierit probo animo. Eſt prouerbialis ſententia, quae etiam infra c. XXV, 29. ſenſu paululum diuerſo uſurpatur.

13. διὰ τοῦτο — συνιοῦσι) *Ideo in parabolis*, (obſcure) *ad illos loquor, quia, quum uideant* (miracula) *tantundem eſt ac ſi non uiderent*; *quum audiant* (doctrinam meam) *tantundem eſt, ac ſi nec audirent, nec intelligerent.* Fuſius explicatur, quod com. 12. dictum erat. Locutio prouerbialis eſt, de iis, qui quae uident et audiunt, non capiunt. Non contumacia his hominibus exprobratur; qui enim ſermonem allegoricum non intelligit, propterea nondum eſt contumax; ſed ſimpliciter hic deſcribitur ignorantia et imbecillitas, cui attemperanda ſit ratio docendi, ut nec plane neſcii maneant, nec doceantur ea, quae capere nequeant.

14. ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς) ἐπ' deeſt in multis Codd. et Patribus nonnullis. Senſus eſt: Iterum accidit, quod tempore Ieſaiae. Ab ipſis iterum impletur. ἀκοῇ ἀκούσετε) Ieſaias c. VI, 9. 10. utitur uerbis imperatiuis, LXX autem, quos Matthaeus ſequitur, partim indicatiuo, partim ſubiunctiuo. Sed eodem res recidit. Si enim dicam: *Audite auribus, quantum lubet, nihil intelligetis*; *et intendite oculorum aciem, nihil conſpicietis tamen*; idem ualebit ac ſi dicam: Audietis quidem, ſed ita ut nihil intelligatis, intendetis oculorum aciem, ſed ita ut conſpiciatis nihil. Cur autem nihil intelligant, ſtatim dicitur.

15. ἐπαχύνθη — τούτου) *Stupidus eſt hic populus*; omni caret ſenſu ueri ac boni. In Hebraeo Ieſaiae eſt השמן, quod pleriſque eſt Imperatiuus; ſed *Kimchi*, et plerique Hebraeo-

Hebraeorum magiſtri ad Infinitiuum referunt, ita ſcilicet, ut ſubaudiatur particula על uel מן, uel aliqua ſimilis, quaſi dicas διὰ τὸ παχῦναι τὴν καρδίαν τοῦ λαοῦ τούτου: notum enim eſt, in eiusmodi uſu uerba tranſitiua et paſſiua promiſcue uſurpari, ut mox ἐπιςρέψωσι. Et παχύνεσθαι eſt *ſtupidum, hebetem eſſe*, quemadmodum Latini dicunt: *Pingui Minerua; pingue ingenium.* βαρέως ἤκουσαν) *grauiter audiunt.* Hos uocant Graeci βαρηκόους, Latini ſurdaſtros. Loquitur autem hic Chriſtus de animi ſurditate affectata. καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν) καμμύω per Syncopen pro καταμύω, quod Wetſtenius pluribus exemplis oſtendit. Apud *Heſychium* et *Suidam* explicatur per μυντίζεσθαι et μυωπάζειν, quod poſterius legitur 2 Petr. I, 9. *Oculos ſibi occluſere, aut ſugillauere, conniuerunt.* Totius biennii praedicatione nihilo facti erant meliores. μήποτε ἴδωσι) Cohaeret apud Prophetam et eius interpretes cum poſteriori ſenſu, qui non comminatur, ſed comminationis cauſſam reddit; quaſi dicas: *Hoc egerunt ne quid intelligerent.* Καὶ ἰάσωμαι αὐτοὺς) Haec medicina, ut et *Dauid Kimchi* exponit, eſt peccatorum uenia. Ideo Marcus pro eodem poſuit: καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα. Quum Ieſus dicit, ſe propter ſtupiditatem populi obſcure et *per parabolas* (u. 13.) proponere naturam regni diuini, mirum uideri poſſet rem non ſatis conſiderantibus, cur non potius claris et perſpicuis uerbis eum inſtituerit? Nam quo quis eſt ſtupidior, eo maior perſpicuitas in eo erudiendo requiritur. Sed Chriſtus ſapientiſſimas habuit cauſſas, cur hac potiſſimum ratione populum inſtruendi uteretur. Ex hiſtoria nempe conſtat, Iudaeos in ea fuiſſe opinione, Meſſiam fore regem ſplendidum. Si igitur audiuiſſent a Ieſu, regnum Dei nihil aliud

eſſe niſi ſocietatem religioſam, quam nos eccleſiam dicimus, et membrum regni diuini eſſe, nihil eſſe aliud niſi cultorem Dei, prorſus eum ſpreuiſſent, nec eius ſermonibus praebuiſſent aures. Nec tamen Ieſus prorſus de natura uera regni diuini tacere uoluit, quia attentio excitanda erat ad rem maximi momenti, et quia ſpes erat, fore, ut multi auditorum poſt reſurrectionem eius et exaltationem in coelos, ex ipſo euentu cognoſcerent, fuiſſe ab ipſo praeuiſa fata religionis ſuae. Nam parabolae de regno Dei ſunt ſimul propheticae.

16. Ὑμῶν δὲ — ὅτι ἀκούει) De oculis auribusque mentis hic agi uidetur; nam de iisdem actum erat praecedenti commate. Felices eſtis uos, qui aures praebetis doctrinae meae, et attenditis.

17. Καὶ οὐκ εἶδον) Non iſta omnia, neque tam clare intellexerunt. Hebr. XI, 13. 1 Petr. I, 10. 11. imo ne angeli quidem, ut a Petro ibidem ſignificari uidetur.

18. τὴν παραβολὴν) i. e. ſenſum parabolae. Cf. Marc. IV, 13. et Luc. VIII, 11. ſeqq.

19. παντὸς ἀκούοντος — βασιλείας) *Quoties aliquis audit doctrinam de regno* (coelorum) i. e. doctrinam ſalutarem. Ὁ λόγος τῆς βασιλείας eſt *inſtitutio de regno Dei, doctrina religionis* Haec comparatur cum ſemine. Luc. VIII, 11. Docet Ieſus hac parabola, ſe auctorem eſſe nouae et melioris religionis, cuius ſemina iam tum ſparſerat, et quam Apoſtoli propagaturi erant; uarios huius religionis explicat effectus, praecipue inter Iudaeos, docet, quaenam praecipua futura ſint impedimenta eius, quid uitare, quid facere debeant

beant ii, qui felicitatis cultoribus Meſſiae promiſſae participes fieri cupiant. Παντὸς ἀκούοντος, ad uerbum: *omni audiente*. Sed conſtat huiusmodi caſus abſolutos in particulam *quum* reſolui ſolere; et oratio ipſa, quod ad ſubiectum attinet, potius indefinita eſt, quam uniuerſalis, ut ſit ſenſus: *Quoties aliquis audit*. λόγος, *doctrina*, cognitio doctrinae. *De regno illo*, nimirum coeleſti, uel regno Meſſiae. Optime uero λόγος ſemini comparatur; nam et latine ſermo a ferendo dici creditur. Etiam Plutarchus τὸν λόγον uocat ſemen. μὴ συνιέντος) i. e. μὴ προσεχόντος, ſc. *animum*. *Nec attendit*. Ita in Pſ. XLI, 1. ὁ συνιῶν ἐπὶ πτωχόν. ἔρχεται — καρδίᾳ αὐτοῦ) *Malus ille eripit id quod inſeminatum erat animo eius*, i. e. doctrinam ipſi propoſitam. Aufertur uel eripitur cognitio, quando in obliuionem uenit, uel quando ſic agimus, quaſi ueritatum nobis traditarum eſſemus obliti. Dicitur *Diabolus* impedire fructum doctrinae uerae, ut ne homines ſeruentur. Quomodo autem impediat, non dicitur. Ergo hoc inprimis tenendum eſt, inſtitutionem fieri irritam negligentia, quando homo non ſatis attendit doctrinis religionis. Hoc uitio laborabant Iudaeorum permulti. Vana enim opinione de ſplendidiſſimo regno Meſſiae capti, ea tantum audire geſtiebant, quae uanam ſpem terrenorum commodorum alerent, doctrinam contra coeleſtem de uia ad ueram huius et futurae uitae felicitatem obliuioni tradebant. Quod auibus in parabolae explicatione reſpondet malus daemon, apud Iudaeos nouum non erat, qui ſoliti daemonas appellare aues. Patet ex libro *Zoar* et de morte Moſis. οὗτός ἐστιν, ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρεὶς) i. e. *Qui talis eſt*, μεταφορικῶς dici poteſt, *iuxta uiam conſitus*. Homo ſatus, (σπαρεὶς) hic dicitur eadem ratione, qua ſatum

agrum uocamus, qui ſemen excepit. Germanice: *der an dem Weg beſaeet iſt.* Homo enim *agro* comparatur, *non ſemini.* Tales homines, ut hic deſcribuntur, erant plurimi qui ad Chriſtum ueniebant, non ut doctrinam eius perciperent atque in animos demitterent, ſed ut noui aliquid uel uiderent uel audirent.

20. ὁ δὲ — σπαρεὶς) *Is uero, cuius animus ſimilis eſt agro ſaxoſo.* εὐθὺς μετὰ χαρᾶς λαμβάνων αὐτὸν) μετὰ χαρᾶς, i. e. *libenter,* Hebr. X, 34. λαμβάνειν, ſeu δέχεσθαι *acceptare.* Videmus hinc, uix fieri poſſe, ut, qui ad uerbum Dei diligenter aduertat, eidem non adhibeat aſſenſum.

21. οὐκ ἔχει δὲ ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ) *Radix* hic eſt bene meditatum, rebus omnibus expenſis, propoſitum ſummi boni adipiſcendi, ſpretis rebus aliis. Hoc ipſum στερέωμα τῆς πίστεως Paullus uocare uidetur Col. II, 5. et qui id conſecuti ſunt, ἐρριζωμένους ἐν ἀγάπῃ Epheſ. III, 18. Eadem ſimilitudine uſus Cicero dixit: *uirtutem altiſſimis defixam radicibus.* πρόσκαιρός ἐστι) *temporarius eſt,* ſibi non conſtans, quemadmodum *amicitiae* uocantur *temporariae* Senec. Epiſt. IX. *temporaria liberalitas. Corn. Nep.* Attic. II. θλίψεως ἢ διωγμοῦ) Grotius h. l. θλῖψιν pro *priuata,* διωγμὸν pro *publica uexatione* accipiendum arbitratur. εὐθὺς σκανδαλίζεται) *repente offenditur,* ut uerbum repente admiſerat. Eſt autem hic μετάληψις, quae ex antecedenti conſequens ſignificat. Nam ἐκ τοῦ σκανδαλίζεσθαι uult intelligi τὸ ἀφίστασθαι, quod Lucas expreſſit, ſicut qui uiae ſalebris offenditur, aliam ſibi uiam eligit. Aliud hominum genus deſcribitur, qui religionis doctrinae fidem eſſent habituri, ſed metu calamitatum

et

et uexationum propter eam perferendarum eam abnegaturi essent. Hoc a multis esse factum, historia teste scimus.

22. ὗτος ἐςὶν ὁ τὸν λόγον ἀκέων) Repete ἐκ κοινῦ. Καὶ μετὰ χαρᾶς λαμβάνων: aut ut supra infraque dicitur συνιῶν, καὶ ἡ μέριμνα τῦ αἰῶνος τύτυ καὶ ἡ ἀπάτη τῦ πλύτυ) καὶ Hebraeo more positum est uice relatiui: *Sed in quo.* μέριμνα τῦ αἰῶνος τύτυ est studium earum rerum, quae in hac uita splendidissimae uidentur, in quo genere excellit honorum et gloriae cupido. Pro diuitiis autem sapienter hic posuit Matthaeus ἀπάτην τῦ πλύτυ, ostendens, esse quidem diuitias in rerum mediarum numero, sed plerumque inescari homines earum dulcedine, et a uera pietate abduci. Nam ἀπατᾷν significat *extra uiam ducere*, uel facere ut aliquis a uia aberret. συμπνίγει τὸν λόγον καὶ ἄκαρπος γίνεται) ἄκαρπος, fructus expers, pro quo Lucas dixit: ὐ τελεσφορῦσι, i. e. ad messem usque non perferunt frugem. Isti quidem in eo sunt dissimiles prioribus, quod et doctrinam satis intelligunt, et ab ea non subito et omnino deficiunt, non tamen in minori uersantur periculo, quia a priori studio paullatim remittentes, ipsi non sentiunt, res suas in deterius labi; quo fit ut tandem securi dormiant, et sic communi cum reliquis exitio inuoluantur.

23. ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν) Plane simili modo *Philo*, libro de *praemiis* ἀρετῶσαν χώραν uocat τὴν λογικὴν ψυχὴν, quae a Deo sit consita. ὃς δὴ καρποφορεῖ) *Qui uidelicet constanter fert fructum,* τελεσφορεῖ.) Lucas hic dicit: καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ. De uno genere hominum loquitur Christus, cuius postea uarias species enumerat. ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα) Significatur fructuum diuersitas pro

uario ſoli ingenio et culturae induſtria. Centuplus autem fructus pro ſumma ubertatis menſura ponitur. Docet igitur hac parabola Chriſtus, ut quis fiat particeps beneficiorum membris regni Dei, uel cultoribus Meſſiae promiſſorum, opus eſſe, ut diligenter doctrinam religionis ediſcat, in animum admittat, memoria teneat, atque praeceptis religionis conſtanter obſequium praeſtet, ita ut indies ſapientior et melior fiat.

24. ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν ὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι) i. e. ſimile quiddam accidit regno coelorum. eccleſiae uidelicet, ſiue quum praedicatur Euangelium, atque quum quiſpiam agrum etc. Ἀνθρώπῳ hic eſt *alicui*, more Hebraeo. Explicationem parabolae uide infra com. 36. ſqq.

25. ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τὺς ἀνθρώπυς) ἀνθρώπυς hic indefinitum eſt, non uniuerſale, quaſi dicas: *quum dormiretur*. Hoc autem nihil eſt aliud quam deſcriptio opportunitatis. ζιζάνια) Hebraei uocant זונין quam dicunt eſſe uocem Arabicam, et ſignificare triticum adulterinum ſeu uiciam. *Wetſt.* ἀνὰ μέσον) *inter*. Hebr. בתוך.

26. ἐβλάςησεν ὁ χόρτος) βλαςάνειν de herba cum e ſeminibus eiecta ſurgit, adeoque pro *creſcere* uſurpatur. καὶ καρπὸν ἐπόιησε) Deſcriptio, non meſſis, ſed eius temporis, quo apparere ſata incipiunt.

27. προσελθόντες δὲ οἱ δῦλοι) Haec allocutio non habet in Chriſti explicatione ullam ſpecialem ἀνταπόδοσιν. Nam in parabolis multa ad contextum narrationis adhibentur, non omnia ad uiuum reſecanda. ὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας

ἐν

ἐν τῷ ἀγρῷ) Hebraiſmus, pro quo Latini dicerent: *Certe tu probum ſemen in agro ſeueras.*

31. 32. κόκκῳ σινάπεως) Docet Ieſus hac parabola, religionem ſuam a paruo initio ad maxima incrementa eſſe progreſſuram. *Sinapi* planta longe eſt alia, quam in noſtris oris: nam poſt multos demum annos fructum profert, et in maximae arboris altitudinem excreſcit. Hieroſ. Peah, fol. 20. 2. *R. Simeon, ben Calaphta dixit: Caulis ſinapis erat mihi in agro meo, in quam ego ſcandere ſolitus ſum, ita ut ſcandere ſolent in ficum.* ὃ μικρότερον μέν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων) μικρότερον, pro μικρότατον, ſiue μικρότερον ὑπέρ τι τῶν ἄλλων σπερμάτων. Hinc in adagium uulgare abiit: *Pro quantitate grani ſinapis; pro quantitate guttulae ſinapis,* frequentiſſime apud *Rabbinos* rem uel quantitatem minutiſſimam innuentes. μεῖζων τῶν λαχάνων ἐστὶ) Multa loca ſimilia ex Rabbinorum ſcriptis collegit Wetſtenius. γίνεται δένδρον) in arboris magnitudinem excreſcit. Pauciſſimi ex Iudaeis initio Chriſto fidem dabant: ſed eorum opere incredibilis multitudo ex gentibus ad ueram religionem eſt perducta.

33. εἰς ἀλεύρου σάτα τρία) i. e. *in Epham farinae*; nam tria ſata conſtituunt unam Epham. Satum autem (סאה, chaldaice סאתא, unde σάτον,) continet duplum Hin, ſex cabos, uiginti quatuor Login, centum quadraginta quatuor oua. *Alpheſ.* in *Peſach.* c. 5. *Kimchi* in *Miclol.* Vt paululum fermenti totam maſſam fermentat, ut ex paruo ſemine ſinapis ingens arbor creſcit: ita doctrina Euangelii ex paruis initiis maximum incrementum capiet, ſeque longe lateque diffundet. De ſapientiſſimo conſilio, quo Ieſus

has aliasque ſimiles parabolas propoſuit, legi poſſunt quae Ven. *Morus* obſeruauit in Commentat. *de cauſſis allegoriae explicandae*, in Diſſertatt. Theolog. et Philolog. p. 392. Quum nempe Ieſus auditores imperitos haberet, quos nihilo minus admonere uellet, ex altera parte de lento ſuae diſciplinae progreſſu, ex altera, de numeroſiſſima ſectatorum multitudine certiſſime exſpectanda; neque uero poſſet hoc ſine circuitione ſemper proloqui, ne per illa bonas mentes deprimeret, leuesque plane abigeret, per haec iactator uideretur, qui incredibilia diceret: propoſuit quasdam ſimilitudines, quibus olim in memoriam reuocatis intellecturi eſſent, non mirum eſſe, ſi res ita potiſſimum ſe haberet; eum enim praedixiſſe. — Huiusmodi igitur ſermones ab iis demum plane intellecti ſunt, qui euentum cognouerunt, et uiciſſitudines coetus chriſtiani uiderunt. Hi autem, quum euentum dictis reſpondere cognoſcerent, facile conuinci potuerunt de auctoritate, fide, diuinaque legatione Chriſti, qui haec tam accurate adumbrata praedixerat.

34. καὶ χωρὶς — αὐτοῖς) Nempe de fatis ſuae religionis. Nam ad ea praecipue reſtringenda eſt haec ſententia.

35. ὅπως — προφήτου) *Ita ut uere de ſe dicere poſſet Ieſus, quod olim de ſe dixit Propheta.* Ὅπως et ἵνα non ſemper cauſſam, ſed ſaepe euentum indicant. Pſalm. LXXVIII, 2. *Hieronymus* legit in nonnullis codicibus: Scriptum per *Ieſaiam* Prophetam; et putat ab initio ſcriptum fuiſſe per *Aſſaph.* ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου) Hebraeorum dicendi genus, pro: *Loquar parabolas.* ἐρεύξομαι) *Pleno ore*

ore proferam. *Per* ἐρεύξομαι Hebraeum אביעה exponunt Hebraei, et LXX. quoque aliis locis ut Pſ. XIX, 3. quanquam hic poſuerunt φθέγξομαι. Significat haec uox orationem large erumpentem. Κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμȣ) *Quae ignota erant ab exordio mundi.* Participium κεκρυμμένα poſitum hic eſt uice nominis αἰνίγματα, aut ut LXX. habent προβλήματα, quia quod ſequitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμȣ cum participio cohaeret. Ita Paulus hoc ipſum, de quo hic agit Chriſtus, uocat μυςήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον. Rom. XVI, 25. Cf. Col. I, 26. 1 Cor. II, 7.

36. φράσον) i. e. *declara et explica;* eſt enim φράζειν h. l. diuerſum a λέγειν, uel λαλεῖν, unde φράσις Graecis dicitur, qui Latinis ſtilus. In Gloſſario Heſychiano: φράσον· εἰπὲ, λέξον, ἑρμήνευσον. *Origenes* ad Io. IV, 36. haec Matthaei uerba ita laudat: Διασάφησον ἡμῖν τ. παρ. Vid. Doctiſſ. *Fiſcherus*, prolus. 28. p. 5. ſ. Τῶν ζιζανίων τȣ͂ ἀγρȣ͂, *de Zizaniis, quae in illo agro ſata fuiſſe dixiſti.* Eſt enim articuli τȣ͂ uis h. l. ἀναφορική.

37. ὁ σπείρων — τȣ͂ ἀνθρώπȣ) *Homine, qui ſparſit bonum ſemen in agro ſuo, ſignificatur Meſſias.* Deſcribit ſe Ieſus tanquam auctorem nouae et numeroſiſſimae ſocietatis hominum, qui religionem ſuam profeſſuri eſſent. Docet autem hac parabola, numeroſiſſimam quidem ſectatorum multitudinem, in toto orbe terrarum diffuſam, ſe eſſe habiturum, ſed in hac ſocietate ſemper malos cum bonis fore mixtos, illo demum extremi iudicii die ſeparandos, ut illi aeterna felicitate fruantur, hi autem iuſtiſſime puniantur.

38. ὁ δὲ ἀγρὸς ἐςιν ὁ κόσμος) Ὁ κόσμος, *orbis terrarum.* Docet igitur Ieſus, non tantum in Palaeſtina, ſed in

uniuerſo

uniuerſo Romano imperio, et in omni terrarum orbe fore olim numeroſiſſimam ſectatorum ſuorum multitudinem. *Bono ſemini* ſimiles nunc eſſe dicuntur. οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας) ſc. τῶν οὐρανῶν. Hebraiſmus. *Subditi uel ciues regni Meſſiani; Chriſtiani boni et ueri.* οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ) homines mali, non qualescunque, ſed hi qui Chriſtianiſmum profitentur. Cf. u. 41. ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ.

39. σπείρας αὐτὰ ἐστιν ὁ διάβολος) *Diabolus*, auctor peccati per ſeductionem primorum parentum, a Deo ſapienter permiſſam. Huius maligni ſpiritus propago ſunt mali homines. συντέλεια τοῦ αἰῶνος) *Tempus iudicii uniuerſalis.* Nam Hebraeis ſaeculum futurum modo eſt tempus Meſſiae, modo reſurrectionis.

40. ὥσπερ — αἰῶνος τούτου) Συλλέγεται, *colligi ſolent* tempore meſſis. Eleganter docet Ieſus, malos homines ſapientiſſimo Dei conſilio nunc tolerari, tum ut illis ſpatium poenitentiae concedatur, tum quia in hac uita puniri non poſſunt, quin etiam innocentes illis permixti communi calamitati inuoluantur, tum quia bonorum Chriſtianorum uirtus et patientia eſt exercenda. Interim non prohibentur quidem magiſtratus facinoroſos punire; ſaepe enim ſcelera non aliter niſi ui et poenis coërceri poſſunt. Minime tamen eſt dubitandum, quin lenitas ac patientia diuina, aliqua ſaltem ratione, hominibus omnibus, atque inter ceteros etiam magiſtratibus et eccleſiae propoſitis imitanda proponatur.

41. πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν) σκάνδαλα ſunt homines praua docentes; haec uox enim non

factis tantum, sed et hominibus tribuitur, ut infra XVI, 23. Tales praecipue erant falsi doctores in Epistolis Petri et Iudae notati, qui sub specie libertatis christianae docebant, ἀδιάφορα esse ea, quae naturali honestati repugnant.

42. εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς) *in fornacem ardentem*, ex Hebraeorum idiomate, ut Ps. XXI, 10. Simul autem alluditur ad supplicium uiuicomburii, quod in Oriente erat usitatum. Cf. supra c. III, 12. Sensus est: Tum exquisitissimis poenis afficientur mali. Has enim comminationes proprie intelligi non posse, facile patet. Flagitiosis enim in altero illo seculo non amplius erit σάρξ καὶ αἷμα, ut adeo neque uri, neque dentibus frendere possint.

43. τότε οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν) i. e. *boni Christiani maxima fruentur gloria et felicitate*. Dan. XII, 3. *Paulus* etiam gloriam eorum, qui inter iustos maxime excellunt, soli comparare uidetur 1 Cor. XV, 41. Non opus est uerba: ἐκλάμπειν ὡς ἥλιον, proprie interpretari de splendore corporis, qualis est solis, et, ut huic splendori locus sit, aetherium corpus adsciscere. Nam uel eminentior dignitas intelligitur, ut sexcenties aliquis *praefulgere* dicitur, uel inter ceteros solis instar esse, ueluti in citato Danielis loco. Sed potest etiam, ut diximus, is, qui iubar solare sparsurus dicitur, intelligi summae et exquisitae felicitatis particeps. Nam omnis illa futura felicitas, significata uerbo, splendoris quoque notionem exprimente, saepissime dicitur δόξα, et gaudia illius δεδοξασμένα, *praestantissima, summa*, Rom. VIII, 18. 1 Petr. I, 8. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω) Clausula haec ad praecedentia est referenda. Hoc nimirum dicit Christus: Aduertite animum

ad

ad exitum, cui pii atque impii deſtinantur: id uobis aduerſus praeſentis aeui moleſtias erit ſolatium. Ceterum cf. dicta ad u. 33.

44. ὁμοία — ἐν τῷ ἀγρῷ) *Comparatum eſt cum beneficiis et bonis religionis, quaſi cum theſauro etc.* Solebant et auari, et qui inuaſionem hoſtilem metuebant, aurum ſuum in terra defodere, quod prolixe oſtendit *Wetſtenius.* Dubium eſt ius repertorum theſaurorum. Diſcimus autem ex hoc loco, apud Iudaeos iuris fuiſſe, ut theſaurus repertus addiceretur emtori agri, non uenditori. Quod etiam patet ex *Baua Mezia* apud *Wetſt.* ὃν εὑρὼν ἄνθρωπος ἔκρυψε) ἄνθρωπος, Hebr. pro τις, ἔκρυψε, i. e. inuentum rurſus ingeſta terra obtexit, ne uidelicet quis ipſum, re patefacta, anteuerteret. Hoc uero non attenditur in applicatione. καὶ ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ ὑπάγει) ἀπὸ, *prae*; in quo dicendi genere libentius Graeci utuntur praepoſitione ὑπὸ, quanquam ita etiam interdum loquitur Thucydides. τῆς χαρᾶς αὐτοῦ, i. e. prae gaudio de eo theſauro reperto. Ita qui ſemel deguſtauit bona illa, quae offert nobis religio, omnibus aliis rebus poſthabitis, unice huius religionis ſtudio ſe addicet.

45. 46. Qui theſaurum reperit, illi obtingit felicitas, quam non ſperauerat nec quaeſiuerat. Mercator autem margaritam emens id inuenit, quod moleſto itinere et ſtudioſe quaeſiuerat. Ita erant qui Meſſiam auide exſpectabant; erant alii, qui de eo non cogitauerant. Ceterum in hac, ut in praecedenti parabola laudat Ieſus eximiam religionis ſuae praeſtantiam, et cum ea coniunctam felicitatem, quae tanta ſit, ut, qui eam ſemel deguſtauit, eam ſtudioſiſſime,

ſiſſime, miſſis ac abdicatis omnibus caducis huius uitae commodis et uoluptatibus, ſit quaeſiturus.

47. σαγήνη) Heſych. σαγήνη, πλέγμα τί ἐκ καλάμων εἰς θήραν ἰχθύως. *Vlpianus* appellat *euerriculum*, quod Graece σαγήνη dicitur. ἐκ παντὸς γένȣς) *cuiusuis generis*, nimirum *piſces*.

48. σαπρὰ) quisquiliae piſcium; quod genus, ut ſeruatu indignum, uidemus a piſcatoribus abiici.

49. ȣ̓́τως ἔςαι) Idem ἐπιμύθιον, quod in comparatione lolii et frumenti, ſupra u. 40 - 43.

51. ταῦτα πάντα) i. e. has omnes parabolas, quamuis duas poſteriores ipſis non explicaſſet.

52. διὰ τȣ̃το) Quandoquidem uideo, uos eousque profeciſſe, ut per uos poſſitis quae dico, percipere, iam uos admoneo, ut reipſa uerorum doctorum munere defungamini. γραμματὲυς μαθητευθεὶς ἐις τὴν βασιλείαν τῶν ȣ̓ρανῶν) Doctor bene paratus atque eruditus ad tradenda praecepta regni coeleſtis. Apoſtoli, qui poſtquam ſe in diſciplinam Chriſto tradidiſſent, ab ipſo in numerum Doctorum adſciti ſunt, opponuntur τοῖς γραμματεῦσιν, Doctoribus Iudaicis, quorum ſuperbia tanta erat, ut ad Chriſtum uenire, et ab ipſo diſcere nollent. Hos ſuos diſcipulos et nouae religionis doctores inſtar boni patrisfamilias ἐκ θησαυρȣ̃ ἀυτῶν τὰ καινὰ καὶ παλαιὰ proferre uult. Θησαυρὸς *promtuarium* notat, uel locum, in quo aſſeruantur, quae familiae alendae inſeruiunt. Καινὰ uero καὶ παλαιὰ ſunt, quaecunque familiae neceſſitatibus et commodis proſunt, ſiue ad uictum ſpectent, ſiue ad amictum, ſiue reliquam eius ἔνδειαν. Quemadmodum

admodum igitur paterfamilias non ſemper eosdem cibos apponit familiae, ſed modo cibos pridianos et ſemeſos, modo carnes recens coctas etc. ita etiam religionis doctor uariarum rerum cognitione inſtructus eſſe debet, ut auditorum uariis neceſſitatibus et commodis inſeruire poſſit. Ἐκ θησαυρῦ ἀυτῦ, *ex animo ſuo*, in quo tanquam in promtuario uariarum rerum cognitio eſt recondita. Sunt qui τὰ καινὰ καὶ παλαιὰ ad doctrinam recentiorem Chriſti, et ad ueterem V. T. doctrinam referunt. Sed latius patet parabolae applicatio. Monet nempe Ieſus diſcipulos, ut in docendo exemplum eius imitentur, qui modo per parabolas, modo claris et perſpicuis uerbis inſtruere ſolebat populum. Sic etiam prudens doctor captui et neceſſitatibus auditorum ſe accommodare et omnibus omnia fieri debet.

53. μετῆρεν) ישא רגליו ut Gen. XXIX, 1.

54. πατρίδα) ſc. χώραν, uel πόλιν. Nazaretham intelligi, ne dubium quidem eſt. Nam quum duas alias etiam patrias habuerit, unam ortus, nimirum Bethlehem; alteram habitationis, nempe Capharnaum, nec unquam legatur in Bethlehem ueniſſe, ſequitur haec de Nazareth eſſe accipienda. Patria autem recte uocatur ex longo parentum incolatu.

55. ὁ τῦ τέκτονος ὑιὸς;) Ioſephum fuiſſe fabrum lignarium, ſcriptor uetuſtiſſimus *Iuſtinus* tradit. Credibile eſt Chriſtum Ioſepho adfuiſſe in fabrili opere, et, ut *Iuſtinus* ait, aratra feciſſe et iuga; nam a plebe Nazarethana, in cuius conſpectu adoleuerat, τέκτων uocatur apud Marcum; et mos ſane laudabilis inter Hebraeos fuit, ut illi etiam, qui

ſapientiae

ſapientiae ſtudiis operam dabant, opificium aliquod addiſcerent. οὐχὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαριὰμ) Etiam in matre offendebantur, quam χερνῆτιδα fuiſſe, i. e. aut netricem, aut alio manuum labore uictum parantem, Chriſtianis *Celſus* obiicit. καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωσῆς, καὶ Σίμων, καὶ Ἰούδας;) Ex Ioſepho et Maria natos eſſe hos, iam olim ſtatuit *Heluidius*, aduerſus quem integrum librum ſcripſit *Hieronymus*. In eam ſententiam etiam recentiores nonnulli conceſſerunt. S. V. *Herderus* edidit *Briefe zweener Brüder Icſu in unſerm Kanon*, cui libro praemiſſa eſt diſputatio ſatis longa, in qua argumentis non ſpernendis oſtenditur, intelligendos eſſe fratres Ieſu germanos. Hanc ueterum et recentiorum nonnullorum ſententiam acriter impugnarunt ueteres eccleſiae doctores, quia exiſtimabant, Mariam, quae quondam omnipotentiae diuinae ui Ieſum edidiſſet, e Ioſepho alios liberos parere non potuiſſe; cui perſuaſioni omnino aliquid ſuperſtitionis ineſt. Ceterum nihil certi in hac re eſt, nec ullus occurrit locus in N. T. e quo aliquid certi erui poſſit. *Epiphanius*, quem Graeci ſequuntur, fuiſſe hos omnes filios Ioſephi ex priori matrimonio contendit. Sed docet nos *Origenes*, famam hanc initium ſumſiſſe ex libris, qui falſo Petri et Iacobi nomen praeferebant. *Iacobus* et *Ioſes* erant filii Mariae inf. XXVII, 56. quae erat Cleophae uxor, et matris Domini ſoror Io. XIX, 25. Erant ergo, ut uiſum Hieronymo, *conſobrini* Domini, qui hic fratres uocantur, et ſupra XII, 46. *Fratres* uocantur conſobrini, loquendi genere etiam Graecis et Romanis noto. An uero hic loquendi uſus hoc etiam loco ſit tenendus, non ſatis certum eſſe uidetur.

56. πόθεν ὖν τύτῳ ταῦτα πάντα;) Quum neque antehac Nazaretha abfuerit, neque domi a ſuis potuerit iſta diſcere, ut quorum nemo ſit litteris ſupra plebem imbutus.

57. ὐκ ἔςι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτῦ) Adagium celebre inter Iudaeos, quod cum comparatione intelligendum eſt; quaſi dicas: nusquam magis, quam inter populares ſuos contemni uiros eximios, quales in primis ſunt Prophetae. Sententiae huic perſimiles reperiuntur apud Profanos, quos laudat Wetſtenius.

58. καὶ ὐκ ἐποίησεν — ἀπιςίαν αὐτῶν) Marcus c. VI, 5. ὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ ὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι, addit tamen, paucos aegrotos a Ieſu fuiſſe ſanatos. Cauſſa, cur Ieſus *pauca* miracula apud Nazarethanos fecerit, uel facere *potuerit*, ἡ ἀπιςία αὐτῶν fuiſſe dicitur. Vnde multi, iique grauiſſimi interpretes concluſerunt, Ieſum ſibi eam dixiſſe legem, ut miracula nonniſi in gratiam faceret eorum, qui fidem haberent. Qua ſententia aduerſarii religionis haud pauci ita abuſi ſunt, ut ſuſpectam reddere ueritatem miraculorum Chriſti conarentur. Conſtat enim per uim imaginatricem miros effectus multos, qui tamen potentiarum naturae limites non excedant, produci poſſe. Vnde poſt *POMPONATIUM* (de Incantam. c. V.) multi, noſtra etiam aetate ſuſpicati ſunt, fidem a Chriſto requiſitam ab aegrotis curandis, nihil aliud fuiſſe, quam facultatem imaginatricem uehementius excitatam atque agitatam, quae iuxta cum uirtute exhalationum medicarum, ex corpore Ieſu prodeuntium, reſtituendis corporibus male diſpoſitis inſeruiuerit. Sed profecto non ita interpretanda ſunt uerba Euangeliſtarum, quaſi Ieſus nonniſi in gratiam eorum, qui fidem haberent

berent, miracula ediderit. Nam eo etiam consilio saepe miracula fecit, ut se a Patre suo uere missum esse, ostenderet, et infideles ad attentionem excitaret, atque ad fidem adduceret. Caussa, cur Christus apud Nazarethanos pauca miracula facere potuit, haec fuit, quod homines praeiudiciis occupati atque ἄπιστοι faciendorum miraculorum occasionem ei uel nullam uel raram offerrent. Nazareni enim non facturos operae pretium se putarunt, si, ut ab aliis magno ambitu factum, aegrotos suos deportarent ad Iesum, quem nossent humili loco natum, nec ulla humana manuductione ad sublimioris sapientiae studia institutum. Is igitur occasione destitutus, contemtus atque repudiatus a plerisque multa miracula facere non potuit, paucis tantum, in quos per occasionem incidisset, manuum facta impositione, sanitati restitutis. Vid. *GOTTFR. OLEARIUS* in h. l.

CAP. XIV.

1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ) Sero Herodi Iesus innotuit, quia raro Tyrannis dicuntur, quae audire eos non iuuat. ὁ τετράρχης) Origo nominis ex Galatia, cuius tres partes singulae quatuor habebant principes. *Strabo* XIV. Inde ad alios, gentis alicuius parti imperantes, nomen transiit. *HORAT.* Serm. Lib. I. Sat. III, u. 12. 13. *Modo reges atque tetrarchas, omnia magna loquens.* Trium Herodum in N. T. fit mentio; is, de quo h. l. sermo est, uocatus est cognomine *Antipas*, et fuit filius *Herodis M.* Feruntur duo uersus, distinguentes illos tres Herodes, quorum in N. T. fit mentio: Herodes *Magnus* pueros, *Antipa* Ioannem, Teque Iacobe *Agrippa* necat, Petrum et capit idem. τὴν ἀκοὴν) Hebr. שמע Exod. XXIII, 1.

2. τοῖς παισὶν αὐτȣ̃) i. e. feruis, uel famulis. Aulae mancipiis haec dixit liberius, non affeuerans, fed dubitans, an, quod quidam dicebant, Ioannem reuixiffe, uerum effet. αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν) Inter Hebraeos antiquitus fuerunt, qui tranfitionem in alia corpora docerent, uel animarum μετενσωμάτωσιν, quod *Grotius* pluribus oftendit. Vulgi igitur fuit opinio, Ioannis animam aut nouum affumfiffe corpus, aut etiam rediiffe in corpus illud, quod a difcipulis erat fepultum. Herodes, ut pater ipfius diuitesque tantum non omnes, Sadducaeus erat, quod etiam colligitur ex Marci VIII, 15. et Matth. XVI, 6. Nunc autem confcientiae ftimulis perfoffus atque anxius, dubitat, annon uerum effet, quod uulgo putabatur, Ioannem a mortuis rediiffe? Dubitari enim non debet, quin fanctiffimi et innocentiffimi uiri per fcelus trucidati imago noctu diuque Herodis animo oberrauerit. Vix alii funt magis creduli atque fuperftitiofi, quam illi, qui ea, quae Deus reuelauit, credere nolunt, fabulis de portentis Theffalicis fidem habent, et omni doctrinae uento agitantur. διὰ τȣ̃το) Scilicet quia Deus eo modo teftatam uelit Ioannis innocentiam et Herodis fceleratum facinus. αἱ δυνάμεις ἐνεργȣ̃σιν ἐν αὐτῷ) Dona miraculorum effectricia uim fuam exferunt in eo.

3. ὁ γὰρ Ἡρώδης — ἔδησεν αὐτὸν) ὕϛερον πρότερον. Haec enim antea contigerant, et ab Euangelifta, quoniam mentionem mortui Baptiftae fecerat, commodiffime funt hic ueluti per digreffionem et parenthefin inferta, u. 3. — 12. inde poftea ad intermiffam narrationem redit. Ponitur igitur Aor. ἔδησεν uice plusquamperfecti. *Herodes* ipfe, ut uidetur, arcefferat

cefferat Ioannem. Iofeph. Antiqq. L. XVIII, c. 7. διὰ Ἡρωδιάδα) *In eius gratiam.* Aliam cauffam affert *Iofephus* Lib. XVIII. Antiquitt. c. 5. §. 2. Herodem nimirum ueritum effe, ne tanta Ioannis autoritas apud populum fubditos ad defectionem impelleret. Sed fuerunt fine dubio duae cauffae, quibus commotus Herodes Ioannem in uincula coniici necarique iufferit, *exprobratio* nempe *inceftus*, et metus rebellionis a plebe imminentis, ita ut alteram Matthaeus, alteram Iofephus tradiderit, adeoque neuter ab altero difcrepare, fed uterque diuerfum in narrando confilium fpectaffe cenfendus fit. τὴν γυναῖκα Φιλίππου) Quae uxor Philippi fuerat, quamque abduxerat Herodes. *Iofephus* (Lib. XVIII. Antiquitt. c. 7.) fratrem illius Herodis Tetrarchae, qui Herodiadem deinde duxit, non Philippum, fed Herodem uocat. Sed dubium non eft, quin Philippus idem fit, qui Iofepho l. c. dicitur *Herodes.* Scilicet inter filios Herodis M. duo fuerunt *Philippi* nomine infigniti; quorum alter conftitutus eft Tetrarcha Trachonitidis, alter famae paullo obfcurioris, priuatus uitam transegit, cuius h. l. Matthaeus mentionem facit. Auctore enim Iofepho et aliis, fatis conftat, multos Herodis M. filios, etfi fuo quisque nomine proprio, quo ab aliis diftingueretur, infigniti fuerint; tamen Herodis nomen quafi commune quoddam habuiffe, adeo ut nunc proprio, nunc communi a Scriptoribus appellentur. Iofeph. Antiquitt. L. XVIII, c. 4. 5. Quare non opus effe uidetur, ut Φιλίππου uox in Matthaei textu deleatur.

4. ἔλεγε γὰρ αὐτῷ ὁ Ἰωάννης) Forte rogatus de fua fententia fuper hac re. Nam dixit ipfi Herodi; non in deferto ad populum de hac re fermones habuit; quae res ad feditionem

tionem ſpectaſſet, et ſubditos in principem concitaſſet. οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν) *Nefas eſt tibi*, utpote circumciſo, ac proinde obligato ad obſeruationem legis, per Moſen datae, *habere eam in matrimonio.* Nam ἔχειν ſignificat hic: *habere in matrimonio*, quod expreſſit Syrus. In abducenda Herodiade duplex fuit Herodis Tetrarchae peccatum. Nam uiuenti marito uxorem, non ab ipſo dimiſſam, abduxit, quod erat raptus atque adulterium, hoc inſigniore iniuria, quod in fratrem commitebatur. Accedebat adulterio crimen inceſti ex lege Moſis, *Leuit.* XVIII, 16. Nam ea lex unam duntaxat habebat exceptionem, ſi maritus mortuus eſſet illiberis. Herodiadis autem maritus et uiuebat eo tempore, et filiam ex ipſa habebat, Salomen, cuius hic fit mentio. Accedit, quod Herodes uxorem, Aretae Arabum regis filiam expulit, ſicque bello, quo multa Iudaeorum millia caeſa ſunt, occaſionem praebuit.

5. θέλων) Quum cuperet- non definita uoluntate, ſed ambiguus animi, inſtinctu Herodiadis. Marc. VI, 19. 20.

6. Γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρώδου) *Cum autem natalitia Herodis peragerentur, uel celebrarentur.* In uoce γενεσίων ſubintellige ἡμερῶν. Diſputarunt eruditi, utrum per γένεσια *dies recepti imperii*, an *dies natalis* intelligatur; ſed poſterior ſententia eſt praeferenda. Eo enim ſenſu uox γενέσιος eſt apud *Philonem* de mundi opif. et γενέσιος ἡμέρα apud *Ioſephum* Lib. XII. Antiquitt. c. 4. Vide *Loeſnerum* ad h. l. Ceterum apparet ex ſequentibus, feſtum hoc celebratum eſſe *Machaerunte*, ubi Ioannes erat incarceratus. Regia Herodis erat *Tiberias.* ὠρχήσατο) Non rudi illo atque incompoſito ſaltandi genere, quod in publicis gaudiis

matronis

matronis uirginibusque Iudaeis antiquitus fuit usurpatum, sed *motibus Ionicis*, qui mos a finitimis regnis in aulam Iudaicam peruaserat. ἐν μέσῳ) *Inspectantibus conuiuis*, ut recte interpretatur Syrus.

7. Μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν) *iurato promisit*. Nam ὁμολογεῖν h. l. est *spondere*, *promittere*.

8. Προβιβασθεῖσα) subornata, uel impulsa a matre.

9. ἐλυπήθη) Metuebat, et iure metuebat populum, qui proelii aduersus Aretam, Arabiae regem, prioris coniugis a se repulsae patrem commissi infelicem exitum ad ultionem Ioannis occisi paullo post retulit. διὰ δὲ τοὺς ὅρκους) Erant et caussae aliae; sed haec quoque species arrepta est, infirmissima alioqui per se. Nam iuramenti uerba generaliter enuntiata ita sunt interpretanda, ut illiciti nihil comprehendant. καὶ τοὺς συνανακειμένους) Qui, ut mos est aulae, captantes *Horodiadis* gratiam, labantem Herodis animum impellebant.

10. Πέμψας ἀπεκεφάλισε) *Misit, per quem decollaret*. Ita enim Hebraismi uis recte exprimitur, ut supra c. II, 16. Elogium Ioannis Baptistae memorabile extat apud Iosephum, Antiqq. L. XVIII, c. 5.

13. Καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς) i. e. ἀκούσας οὖν, subint. ταῦτα, Ioannem uidelicet fuisse interemtum. Redit enim Euangelista ad narrationem abruptam iam inde a. u. 3. ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν) Ex locis Galiaeae frequentioribus in solitudinem secessit. Populus Herodi propter interemtum Ioannem iratus ad seditionem pronus fuisse uidetur Iesus igitur, ne rex crearetur a plebe, secessit in solitudinem. Cf. infra u 22.

Κατ' ἰδίαν, ſc. χώραν. Πεζῇ) *itinere pedeſtri,* non nauibus ſequebantur; aegrotos enim, quorum comm. ſequenti fit mentio, pedibus incedere potuiſſe, non eſt uerofimile. Deinde etiam πεζῇ opponi nauigationi, a uerbo πεζεύειν apparet. Loca e Philone *Loeſnerus* habet.

14. ἐσπλαγχνίσθη) Hebr. רחם, intima miſericordia tactus eſt. ἐπ' αὐτοὺς) Multi Codd. habent ἐπ' αὐτοῖς.

15. ὀψίας δὲ γενομένης) Quum infra u. 23. poſt cibum ſumtum et receſſum Chriſti iterum legamus ὀψίας δὲ γενομένης, negari non poteſt, duas fuiſſe ὀψίας, Hebraeis h. e. ערבים, et hic de priori ueſpera eſſe ſermonem. Rabbini illud בין ערבים ita interpretantur, ut ſecundum ipſos ὀψία prior incipiat ſimul atque ſol a meridie ad occaſum coepit uergere, maiore diei parte exacta, nobis hora tertia; poſterior autem a ſole occaſo, nobis hora ſexta. ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν) Prandii tempus ſcilicet. Si etiam, quod uerofimile eſt, nonnulli cibos ſecum geſtauerant, non tamen habebant quantum ſatis eſſet.

19. ἀνακλιθῆναι ἐπὶ τοὺς χόρτους) i. e. κατακλιθῆναι, accumbere ſuper gramina, uel per herbam, ut ſaepe Poëtae. καὶ λαβὼν) Deeſt καὶ in multis Codd. ut et in Verſſ. et Patr. quibusdam. ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν) *ſuſpiciens in coelum.* Aoriſtus pro praeſenti ἀναβλέπων, ſignificatur enim precantis geſtus, ſecus quam ſupra c. XI, 5. et ἀνὰ h. l. idem ualet quod ἄνω, ſurſum. εὐλόγησε) Saepe εὐλογεῖν, ut Hebr. ברך nihil aliud notat quam εὐχαριστεῖν, *gratias agere.*

20. τὸ περισσεῦον) ſc. μέρος, יותר. δώδεκα κοφίνους) κόφινος, *corbis.* Ex Iuuenale, Martiale et aliis conſtat, Iudaeos tunc tempo-

temporis nunquam ſine cophino uiſos fuiſſe. *IUUENAL.* (Sat. 3.) *quorum cophinus foenumque ſuppellex.* Ratio eſt, quia Iudaei, cum uiuerent inter gentiles, proprios cibos ſecum geſtare coacti ſunt, ne cibis immundis polluerentur. Sed et Chriſti iam aetate in his cophinis aut etiam ſportulis ferre ſecum panem ſolebant, ut apparet infra c. XVI, 7. Marc. VIII, 14. Hinc facile patet, unde Iudaeis in deſerto loco uerſantibus tot cophini fuerint?

21. ὡσεὶ) *fere.* Sic enim uſurpatur etiam a Terentio et Cicerone.

22. ἠνάγκασεν) Noluit Chriſtus diſcipulos ſuos in partem uenire eius molitionis, qua plebs regnum ipſi deſtinabat. Io. VI, 15. Quare coegit eos προάγειν αὐτὸν εἰς τὸ πέραν, *ante eum transmittere locum*, et quidem *Bethſaidam*, ut Marcus addit c. VI, 45. ἕως οὗ ἀπολύσῃ τοὺς ὄχλους) *dum dimitteret turbam*, quemadmodum et Hebraeorum עד interdum uſurpatur.

24. τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν) Eleganter Adiectiuum μέσος, relatum ad praecedens Subſtantiuum, poſt ſe regit Genitiuum eius rei, in cuius medio uerſatur, pro: ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης ἦν. Exempla habet Krebſius e Ioſepho. βασανιζόμενον ὑπὸ τῶν κυμάτων) βασανιζόμενον metaphorice ſumitur de nauigio, quod affligebatur a fluctibus. Ita et Polybius L. I. de procella uenti: ὥστε καὶ τὰς στοὰς διασαλεύειν, καὶ τοὺς προκειμένους πύργους βασανίζειν.

25. τετάρτῃ δὲ φυλακῇ) Iudaei, quamdiu, ſua libertate uſi, non multum commercii cum aliis gentibus habebant, noctem nonniſi in tres partes ſecernebant, poſteaquam uero, a Pompeii M. inde temporibus, Romanorum poteſtati

ſubiecti paruerunt, hanc Romanorum conſuetudinem ſecuti, noctem ipſi quoque in quatuor partes, quarum quaeque tres horas, nunc breuiores, nunc longiores, pro anni tempeſtate complectebatur, diſtinguebant. Ex poſteriorum igitur temporum ratione locutus eſt Matthaeus, cum mentionem facit τετάρτης φυλακῆς. Plura habet *Krebſius* in obſeruatt. in N. T. e. Flauio Ioſepho. περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης) Hoc quoque facto inſigniter Chriſtus diuinam ſuam potentiam oſtendit.

26. φαντασμά ἐστι) a uerbo φαντάζομαι, cuius ſignificatio eſt *apparere*, ſeu *praebere conſpiciendum*. Φάντασμα eſt, quum uidere aliquis uidetur id quod reipſa nihil eſt. Phariſaei autem, ſpiritus ut exiſtere per ſe, ita et indutos humana figura hominibus apparere, putabant. Hebraeis ſpectrum nocturnum לילית dicitur, de quo non minus portentoſa fabulantur, quam de ſtrige Latini ueteres.

31. εἰς τί ἐδίστασας;) εἰς τί pro διὰ τί. Opponitur hic διστάζειν, *dubitare*, *ambigere* τῷ πιστεύειν, et credere hic nihil aliud eſt, quam potentiae Dei in Chriſto confidere. Inſigne fiduciae ſuae argumentum Petrus dederat, quum oſtendit, credere ſe, ſolo Chriſti uerbo fieri poſſe, quod per naturam fieri non poterat: ſed quod de ſe neſciebat, non parum ſibi deeſſe ad plenum fidei robur, id Chriſtus ipſum experimento diſcere uoluit, ut quod deerat, ſupplici prece ac niſu impetrare contenderet.

32. ἐκόπασε) *requieuit*, ſ. *ſedatus eſt*. Eodem uerbo utitur Herodotus in Polymnia, agens de procella a Magis ſedata.

33. οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ) *nautae ipsi.* θεοῦ υἱὸς εἶ) Cognomen hoc uulgo Messiae fuisse datum apparet ex Io. I, 50. et ex iis locis, ubi mox *Christus*, mox *filius* Dei nominatur; nimirum ex Psalmo II. quem etiam Hebraei ueteres de Messia interpretabantur.

36. τοῦ κρασπέδου) Vide supra c. IX, 20. ὅσοι ἥψαντο) Cum fiducia recipiendae sanitatis. Ita ex circumstantiis restringendae sunt particulae uniuersales.

CAP. XV.

1. Οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι) i. e. τινὲς ἀπὸ Ἱεροσολύμων, sc. ἐλθόντες, ut ex articuli traiectione apparet. Fuit haec priuata exploratio, sed ab illis instituta, qui scholarum habebant principatum. Nam doctissimi quique γραμματεῖς uocabantur, horum autem auctoritatem sequebatur Pharisaeorum familia, hoc tantum distincta a ceteris, quod super communia praecepta peculiares sibi ceremonias et superstitiosos ritus iniunxerat. Ideo autem ab Hierosolymis uenerunt, quia in primaria urbe habitabant nobilissimi magistrorum et partium istarum duces.

2. τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων) παράδοσις in genere est *doctrina* quaecunque; nam παραδιδόναι est διδάσκειν, ut et Latinis *tradere.* Vox itaque ista per se non significat commenta mere humana, sed addi plerumque aliquid solet, ut quum dicuntur παραδόσεις ἀνθρώπων Col. II, 8. aut τῶν πρεσβυτέρων, ut hic atque alibi. Πρεσβύτεροι autem hic non sunt senatores magni Synedrii, sed omnes ii, qui eximium sapientiae nomen apud populum erant consecuti; nam antiquitus sapientes, praesertim aliquo post mortem tempore, apud Hebraeos

braeos uocabantur הקדמונים. Harum traditionum quaedam interpretationem continebant eorum, quae in lege ambigua uidebantur; aliae definiebant id, quod lex diuina uiri boni arbitrio permiserat; aliae erant, quas ipsi uocabant saepimenta legis, i. e. cautiones, quibus muniti homines a lege uiolanda longius arcerentur. Magna fuit istarum traditionum auctoritas apud Pharisaeos et plebem. Persuasum enim credulae plebi, illa instituta non esse quidem perscripta in lege, attamen a Deo Mosi data, deinde a Mose Iosuae eiusque assessoribus, a quibus porro ad prophetas manarint, a prophetis autem tradita sint Esdrae et qui cum eo erant, deinceps uero parentum commemoratione transierint ad posteros; unde hanc praeceptorum congeriem תורה שבעל פה, h. e. *legem oralem* appellant. Neque dubitant Iudaei, quin ea ipsa praecepta nunc in Thalmudicis libris contineantur, scripturae scilicet mandata, ne obliuione atteri possent. νίπτονται) Haec lotio Iudaica fiebat definitis gestibus, et sanctitatis caussa. Arbitrati sunt enim Hebraeorum magistri, si quis ethnicus, aut alioqui iuxta legem impurus, aut cibum ipsum potumue attigisset, aut quicquam, quod cibum potumue contingeret, (puta ipsorum manus, aut uasa, in quibus obsonium coqueretur, aut pocula e quibus erant potaturi,) eum cibum potumue talis inquinamenti contagium ad corpus primum suum, deinde ad animum immittere. Huius Pharisaicae opinionis non leue uestigium est in apostolis, quum Christi dictum de fermento ita interpretantur, quasi nefas esset, uel a Pharisaeis uel a Sadducaeis cibum comparare. Et notant Hebraeorum magistri, Iudaeos Samaritis, Samaritas Iudaeis obuiis proclamasse: noli attingere. ἄρτον ἐσθίωσιν) i. e. *cibum capiunt*, ex Hebraeorum idiotismo, qui passim occurrit.

3. διατί

3. διατί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε) Chriſtus antequam de illa, quam obiiciebant, traditione diſputet, conuellit fundamentum ipſum, cui tota illorum ratiocinatio innitebatur, et oſtendit exemplo euidentiſſimo, hanc traditionem haud raro cum lege diuina pugnare.

4. τίμα) Vox Hebraea eſt כבד, qua comprehenditur etiam officium honeſte alendi parentes. In quem ſenſum uox τιμῆς, et uerbum τιμᾶν etiam a Paulo uſurpatur 1 Tim. V, 3. 17.

5. δῶρον) ſuppl. ἐστι, uel ἔστω. Eſt autem δῶρον h. l. קרבן, quam uocem *Marcus* hic poſuit, nimirum id, quod Deo ſacratur. Poteſt ergo reddi: Deo ſacratum *eſt*, uel Deo conſecratum ſit. ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς) *quocunque a me poſſis iuuari.* Nam ὃ ἐὰν ſaepiſſime uniuerſalem enunciationem declarat; et ὠφελεῖσθαι τί ἐκ τινὸς eſt: a quopiam aliqua re iuuari, ſiue emolumentum aliquod conſequi. καὶ) Deeſt in Codd. nonnullis, nec habent *Orig.* et *Cyr.* Sed lectio recepta omnino eſt genuina. Quibusdam redundare uidetur h. l. haec particula, et poſt ὠφεληθῇς per ellipſin eſſe ſupplendum: *inſons erit*, aut *bene aget.* Aliis non uidetur ellipſis eſſe ſtatuenda, ſed καὶ ipſis ſignificat: *tunc*, quemadmodum ו Hebr. interdum uſurpatur. Alii aliter. οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ) Qui ellipſin hic eſſe negant, particulam καὶ ita coniungunt cum hoc commate, ut inchoet apodoſin, et τιμᾶν ſit explicandum: *alere, ſuſtentare.* Senſus ergo eſſet: *Quicunque dixerit patri aut matri: Deo ſacratum ſit, quocunque poſſis a me iuuari: tunc nequaquam honoret (alat) patrem ſuum aut matrem ſuam.* Quod Deo dicatum erat, id credebatur omnino

eſſe

esse extra hominum potestatem atque commercium; hinc illud קרבן in hac formula non male Hebraei interpretes exponunt אסיר עליך i. e. *prohibitum s. praeclusum esto tibi.* Et quia in nomine κορβᾶν, Dei mentio erat inclusa, (res *Deo* sacra) ideo hoc uotum non esse nudum, sed iurisiurandi religionem complecti credebatur. Ex *Ligthfooti* sententia inducuntur uerba, quasi prolata cum indignatione: ac si, cum a filio alimoniam posceret egenus pater, responderet ille iracundus, et cum contemtu: *Sicut res sacrata sit, quodcunque meum tibi prodesse possit,* i. e. nunquam ex opibus meis tibi prodero. Christus ostendit, quam impiae essent Pharisaeorum traditiones, ac in quam nefandas consequentias saepe prolaberentur. Directe alimoniam parentum non negarunt, imo praescripserunt, at consequenter per hanc traditionem omnia ista frustranea fecerunt.

6. ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ) *irritum fecistis Dei praeceptum*, quantum in uobis est. Vid. u. 5. Deriuatur hoc uerbum a κῦρος, quo plena auctoritas ac imperium declaratur. Itaque ἀκυροῦν proprie significat, *omni imperio ac auctoritate spoliare.*

7. προφήτευσε) Ies. XXIX, 13. Προφητεύειν h. l. non est futura praedicere, sed simpliciter *pronunciare, dicere.* In uos etiam quadrat Iesaiae dictum.

8. Verba: ἐγγίζει μοι, et τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ desunt in multis Codd. Verss. et Patribus. Potius ex Iesaia uidentur addita, quam Marci exemplo praetermissa. Vera igitur lectio esse uidetur: ὁ λαὸς οὗτος τοῖς χείλεσί με τιμᾷ. Ἡ δὲ καρδία — ἀπ' ἐμοῦ) *Non amat me.*

9. διδά-

9. διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων) *doctrinas quae ſunt mandata hominum.* Humana autem dogmata dicuntur Ieſaiae et Chriſto ea, quae fundamentum habent in perſuaſione mere humana, et non diuinitus tradita; qualia ſunt illa, de quibus nunc agebatur, ut mox explicatius oſtenditur.

10. τὸν ὄχλον) *de plebe homines*, quos legisperiti ut indoctos, Phariſaei ut parum religioſos, prae ſe faſtidiebant. ἀκούετε καὶ συνίετε) Attentionem deſiderat Chriſtus; quia plerumque homines nolunt *quae iuuenes didicere, ſenes perdenda fateri.*

11. οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον) *Quod comeditur et bibitur non polluit hominem. Cibo et potu* (modice ſumto) *homo non contrahit culpam.* κοινοῦν h. l. non eſt *communicare*, ſed reſpondet Hebr. טמא, et ſignificat *inquinare*, *polluere*, et opponitur τῷ ἁγιάζειν. Haec quum ad animum referuntur, ut hoc loco, τὸ ἁγιάζειν *culpae immunitatem*, τὸ κοινοῦν *culpam contractam* ſignificat. Putabant Phariſaei ita immunda eſſe quaedam natura ſua, ut per ſe, non ex inſtituto, animam pollucrent. Id Chriſtus hic negat. τὸ εἰσερχόμενον εἰς τό στόμα igitur hic ex ſubiecta materia intelligi debet, quod ita ingreditur, ut nihil uitii accedat ab humana uoluntate. ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος) *Sed quod ore profertur*; cuius generis ſunt hominis uerba. Generalius apud Marcum τὰ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, i. e. *ea quae ex uoluntate hominis procedunt.* Sed quia eorum multa ſolent aut ore peragi, aut certe non ſine oris adminiculo, ideo hoc exempli cauſſa Chriſtus addidit, quo euidentior eſſet Antitheſis. τοῦτο — ἄνθρωπον) *Hoc poteſt*

poteſt hominem poena dignum reddere. Malis nempe cuiusuis generis ſermonibus homo culpam contrahit, et reus fit poenae. Tales ſermones ſaepe proferebant Phariſaei. Exemplum erat u. 5.

12. ἐσκανδαλίσθησαν) Nam Phariſaei maximi faciebant traditiones ſapientum, et in obſeruatione tum rituum quorundam, quos ſibi ipſi imperauerant, tum earum traditionum, maximam diuini cultus partem conſtituebant.

13. πᾶσα φυτεία — ἐκριζωθήσεται) Senſus propriis uerbis expreſſus eſſet: *Quodcunque religionis nomine uenditur, nec tamen patrem meum habet auctorem, id reiiciendum eſt. Doctrina*, uel *dogma* uocatur planta eadem ratione, qua appellatur ſemen. A Deo autem non ſunt dogmata, quae fundamentum non habent in reuelatione diuina, rectaeque rationis uſu. Tales doctrinae inutiles, et reuelationi diuinae non tantum, ſed et ſanae rationi contrariae, erant Phariſaeorum traditiones. Huiusmodi plantae euelli debent; nempe ducendo homines ad ueri cognitionem, ut ex ſequentibus apparet.

14. ἄφετε αὐτοὺς) Quomodo dicimus: *iubeas miſerum eſſe libenter.* Significat Chriſtus, eorum offenſas tanti non eſſe, ut propterea deſerenda ſit cauſſa ueritatis. ὁδηγοὶ εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν) i. e. *ipſi rudes et ignari alios erudire uolunt.* ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν h. l. eſt aliis ignaris uiam ſalutis oſtendere. Sed Phariſaei erant ipſi coeci doctores. Similis et notiſſima comparatio eſt apud *Horatium: Vt ſi caecus iter monſtrare uelit.* εἰς βόθυνον πεσοῦνται) Vterque nimirum adducitur exitio, tum is qui praeit, tum is, qui ſequitur. Connexio uidetur haec eſſe: Si illi conſuli ſibi nolunt,

nolunt, at plebi consulamus, quae alioqui tam caecis doctoribus usa, ipsa quoque caeca in exitium ruet.

15. τὴν παραβολὴν ταύτην) Sententiam nimirum de eo, quod in os intrat, quodque ex ore proficiscitur. Dixerat nempe Iesus u. 11. cibo et potu neminem pollui. Hoc simpliciter dictum et accipiendum idcirco figurate dictum Petrus suspicatur, quod eo alioqui tolli ciborum discrimen in lege positum putabat, quum tamen nondum ea de re ageret Christus, sed de Pharisaicis tantum traditionibus.

16. ἀκμὴν καὶ ὑμεῖς) ἀκμὴν teste *Hesychio* idem est, quod ἔτι, *adhuc*. Aliis elliptice est pro κατ' ἀκμὴν, *plane*, *omnino*; ἀκμὴ enim florem et uigorem alicuius rei significat, quo ad perfectionem peruenit.

17. οὔπω — ἐκβάλλεται;) *Nondum intelligitis, id, quod ore sumitur* (editur et bibitur) *in uentriculum deferri, et deinceps per aluum deiici?* Quod comeditur et bibitur id in uentriculum, non uero in animum defertur. Cibus igitur non polluit animum, nec cum animo et mente commiscetur, sed partim corpus alit, partim per aluum deiicitur.

18. τὰ δὲ — ἄνθρωπον) *Quod homo ore profert, id ex animo exit, et reum potest facere hominem.* Nihil enim ore pronunciatur, quod non prius fuerit in mente et cogitatione, idque nobis recte imputatur. Cf. u. 11.

19. διαλογισμοὶ πονηροὶ) Prauae cogitationes, quas effectu non secuto Iudaei ne apud Deum quidem in crimine poni putabant. βλασφημίαι) *maledicta*, i. e. sermones, quibus

aliena fama laeditur. Demoſthenes et alii ſaepe uſurpant pro *calumnia*.

20. ταῦτα — ἄνθρωπον) Docet Ieſus, hominem uel animum non pollui et inuiſum Deo reddi cibo aut ore, ſed animo impuro et malo. Phariſaeos igitur, qui animum impurum haberent, uere pollutos, inquinatos ac proinde Deo inuiſos eſſe.

21. εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος) εἰς hic eſt *uerſus*, ut Syrus tranſtulit. Nam εἰς τὰ μεθόρια inquit *Marcus*, i. e. ad confinia Tyri et Sidonis. Neque enim uidetur exiiſſe Chriſtus terrae Hebraeorum fines.

22. χαναναία) Marco Συροφοίνισσα. Nam χαναναῖοι Hebraeis dicti ſtricte ac peculiariter hi, qui Sidonem et Tyrum, et quod adiacet orae maritimae habitabant. *Stephanus* de urbibus: Χνᾶ, οὕτως ἡ Φοινίκη καλεῖται. Sidonii accenſentur Cananaeis Iud. I, 31. Quod autem ἑλληνίς haec mulier *Marco* dicitur, ſignificat, nec Hebraeam fuiſſe gente, nec ἰουδαΐζουσαν. Neque tamen ſequitur fuiſſe idolorum cultricem. Nam et in Iudaea et in uicinis regionibus et alibi multi erant uiri foeminaeque εὐσεβεῖς σεβόμενοι τὸν θεὸν, extra profeſſionem Iudaismi, qualis *Cornelius*, *Lydia* atque alii. ἐκράυγασεν, αὐτῷ λέγουσα) Pronomen αὐτῷ coniungendum eſt cum Participio λέγουσα. κακῶς) *miſere*, i. e. δεινῶς, ut habet *Origenes*.

23. οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον) Ne uerbum quidem illi reſpondit. ἠρώτων) i. e. ἐδέοντο. Nam ſicut apud Latinos *rogandi* uerbum ambiguum eſt, ita etiam τὸ ἐρωτᾶν apud Graecos.

24. οὐκ

24. ὐκ ἀπεϛάλην — Ἰσραὴλ) *Tantum ad miſeros ex gente Iſraelitica pertinet munus meum* ſc. ſanandi aegrotos, et in propria perſona docendi. Rom. XV, 8. Ἐις pro πρὸς τὰ πρόβατα. ὄικὐ Ἰσραὴλ, gentis Iſraeliticae. Ὄικος, *familia.* Habebant enim omnes tribus communem patrem, Iſraelem. Vide ſupra c. IX, 36.

26. ὐκ ἔϛι καλὸν) i. e. ὐ πρέπει. Syrus לא שפיר. βαλεῖν τοῖς κυναρίοις) *proiicere catellis.* Hoc titulo, ex uirulentia et contemtu *Iudaei* gentiles dedecorarunt. *Midr. Tillin: Nationes mundi* (i. e. *Ethnici*) *aſſimilantur canibus.* Ex communi gentis loquela potius, quam ex ſenſu ſuo Phraſeologia hac utitur Chriſtus, cui Gentiles non tam exoſi, et cui in more fuit loqui cum uulgo. Cf. Marc. VII, 27.

27. ναὶ κύριε) Ita eſt Domine. Particula in hoc loquendi genere aſſentientis, ſed ita ut obſecrationi ſubſeruiat. Quaſi dicat: Et ego nec multa nec magna nimium beneficia poſtulo, ſed unum, quod obiter et ſine aliorum detrimento concedi mihi poteſt. Reliquias canibus dari, receptum ubique.

30. κυλλὐς) *mancos*, qui unam manum debilem habent. Attici mancos etiam χωλὐς τὰς χεῖρας uocarunt.

31. ἐδόξασαν) magnifice extulerunt et collaudarunt.

32. ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένὐσί μοι) Multi Codd. habent ἡμέραι, et tunc poſt ἡμέραι ponendum eſt punctum. προσμένὐσί μοι, i. e. a latere meo non diſcedunt. ὐκ ἔχὐσι τί φάγωσι) non quod toto triduo ieiunauerint, ſed quod tertio die, uiatico deficiente, fame premi coeperint. νήϛεις)

 ieiunos,

ieiunos, i. e. impaſtos, ut loquitur Virgilius. Nam alioqui nihil eos cibi tot diebus ſumſiſſe, ne ueriſimile quidem eſt.

35. ἀναπεσεῖν) Supra ἀνακλιθῆναι. Plane nihil differt ἀναπίπτειν, ἀνακλίνεσθαι, et ἀνακεῖσθαι ubi de conuiuiis agitur; neque refert, humine an in lectis diſcumbatur.

37. σπυρίδας) Diſtinguitur infra ſporta a cophinis. Forte ad iter, quod diuturnius fore putabant, ſportas potius, quam cophinos aſſumſerant.

39. εἰς τὰ ὅρια μαγδαλὰ) *Marcus* εἰς τὰ μέρη δαλμανουθὰ. Alii legunt μαγαδὰν. Sed nihil mutandum; Dalmanutha enim fuit locus intra limites Magdalenſes, ut oſtendit *Ligthfootus* in Chorogr. Marco praemiſſa c. V.

CAP. XVI.

1. Πειράζοντες) *tentantes*, i. e. ut experirentur, ecquid poſſet hoc praeſtare quod petebant; ſed captioſe, et malo animo ad id petendum ipſos inſtigante, quaerentes calumniae occaſionem. ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) quale ſignum edidit Samuel, tonitrua eliciens, Ieſaias umbram regredi iubens in ſolario, uel potius Moſes, quum Mannam Deus coelitus deplueret.

2. εὐδία) ſc. αὔριον ἔσται. Εὐδία, *ſerenitas*, *coelum ſerenum*. Apud Theophraſtum εὐδία eſt ἐφημερία. πυῤῥάζει γὰρ ὁ οὐρανὸς) *rubet coelum*; nam πυῤῥὸν rubrum dixere, ſeu rutilum. Haec eadem prognoſtica apud *Aratum* licet legere, communi etiam uſu obſeruata.

3. χει-

3. χειμὼν Proprie *hyems* h. l. *tempestas procellosa et turbida.* Apud Profanos etiam εὐδία et χειμὼν opponuntur. Loca habet *Wetstenius.* συγνάζων) Profani etiam συγνότητα de *coelo tristiore* usurpant, quod *Raphelius, Kypke* et *Wetstenius* notant. ὑποκριταὶ) Deest in multis Codd. et Verss. πρόσωπον) פנים, *externa species, facies.* Sed et Latini ita loqui solent, e. g. *Naturae facies*; *facies coeli* etc. διακρίνειν) i. e. ita discernere, ut inde praedicatis, quae immineat tempestas, atque ad ea praesagia componatis res uestras. τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν ὐ δύνασθε) τῶν καιρῶν, horum temporum, uel huius temporis, ut uertit Syrus. Sensus hic est: Si diuina prouidentia tam benigna fuit in homines, ut sereni, uenti, pluuiae signa quaedam praemitteret; quanto aequius credi est, ab eadem prouidentia data esse signa imminentis aduentus Messiae? Sed uos ad illa signa consideranda satis estis diligentes; de aduentu Messiae signa poscitis, quasi nulla sint data, quum data sint et multa et certissima, praecipue uaticinia ueterum Prophetarum, et ipsa miracula mea.

4. ἐπιζητεῖ) *requirit*, uel insuper quaerit, tot aliis signis non contenta. τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ) signum illud Ionae. Cf. supra c. XII, 39.

5. ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ ἀυτῦ εἰς τὸ πέραν) i. e. *quum in ulteriorem ripam proficiscerentur.* Nam ἔρχεσθαι in N. T. saepe est *ire*, ut Luc. XV, 19. Luc. II, 44. Videtur enim Christus, (ut Hieronymus ex Marco colligit) hos sermones in ipso itinere atque adeo in naui habuisse, et quae apud Lucam est historia c. XII. ab hac esse diuersa.

6. προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισάιων) Natura fermenti eſt, uim ſuam late ſpargere; ideo ſupra uera doctrina fermento comparata eſt. Hic et apud Paulum ad Galatas, falſa dogmata fermento comparantur eandem ob cauſſam. Alibi mala exempla. Senſum horum uerborum Chriſtus ipſe explicat infra com. 12.

7. διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς) *Diſceptabant inter ſe.* Ἐν pro *inter*, non pro *intra*, ſeu *apud.* Nam inter ſe colloquutos certum eſt ex Marc. VIII, 16. ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν) Sc. *ideo hoc dixit.* Exiſtimabant diſcipuli, Ieſum, quum ſciret, deeſſe illis panes, monere eos in tempore, ne panem ſibi ab hominibus Phariſaicae aut Sadducaeicae ſectae compararent, plane, quaſi is panis ipſos eſſet inquinaturus.

9. τοὺς πέντε ἄρτους τῶν πεντακισχιλίων) *Quinque panes quinquies mille (hominum)* i. e. quibus paui quinque millia hominum; quod genus dicendi a uulgi conſuetudine petitum eſt, ſicut pleraque alia. Cf. Marc. VIII, 18.

11. εἶπον ὑμῖν, προσέχειν) Praeferenda eſt ſine dubio Lectio: εἶπον ὑμῖν; προσέχετε δὲ — quam habent multi Codd. Verſſ. et Patres nonnulli. Omittunt δὲ nonnulli Codd. et Verſſ. Iuniores quidam Codd. habent: προσέχειν. προσέχετε. Iterum dico: cauete uobis a fermento Phariſaeorum etc.

12. ἀπὸ τῆς διδαχῆς τῶν Φαρισ. κ. σαδ.) Doctrina Phariſaeorum ducebat ad ſuperſtitionem, ſimulatam pietatem, ſuperbiam et alia uitia; Sadducaeorum autem ad abnegandam fidem prouidentiae diuinae et immortalis uitae poſt mortem corporis. Ideo Chriſtus diſcipulos a doctrina Phariſaeorum et Sadducaeorum cauere iubet.

13. ἐλθὼν

13. ἐλθὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς) ἐλθὼν hic iterum eſt, *quum proficiſceretur*, non, *quum ueniſſet*. Habiti enim ſunt hi ſermones ἐν ὁδῷ, ut ait *Marcus*, c. VIII, 27. In ſequentibus usque ad c. XX, 16. refert Matthaeus inprimis dicta et facta Ieſu proxime ad diſcipulos et futuros Apoſtolos ſpectantia. Καισαρείας τῆς Φιλίππου) Alia enim Caeſarea fuit, opus Herodis M. magnificum et ſingulare, quae et Stratonis turris. Ioſeph. L. XV. De hac autem Philippi, quae et *Paneas* dicitur, idem Ioſephus Libr. XVIII. ita: Φίλιππος δὲ πανεάδα τὴν πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ Ἰορδάνου, κατασκευάσας, ὀνομάζει καισάρειαν. τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι) Quidam με omittendum eſſe cenſent. Deeſt in nonnullis Verſſ. Sed Patres latini plerique agnoſcunt *me*. οἱ ἄνθρωποι, i. e. plebs, non doctores Phariſaei et Sadducaei. τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου) me, inquam, qui ſum Meſſias. Ita enim explicandam eſſe hanc phraſin, ſupra ad c. VIII, 20. docuimus. Permutatur cum ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, mox comm. 16.

14. Ἰωάννην τὸν βαπτιστὴν) Vide ſupra c. XIV, 2. Ἠλίαν) Quia Elias corpore ſurſum raptus legitur, ideo is ipſe rediturus putabatur, et quidem ante Meſſiae tempora; quam receptam fuiſſe magiſtrorum ſententiam, nimirum ex male intellecto *Malachiae* uaticinio, docemur infra c. XVII, 10. Extant eius ſententiae ueſtigia in Hebraeorum libris, quorum tamen nonnulli uenturum eum uolunt in alio corpore, ut *Dauid Kimchi* notauit ad *Malachiam*. Ἱερεμίαν) Hebraei exſpectabant reditum Ieremiae, ut ex Gorionide apparet. Imo quidam animam Ieremiae renatam in *Zacharia* exiſtimabant, quomodo animam Phineae in Elia. ἢ ἕνα τῶν προφητῶν) qui ſcilicet nunc reſurrexerit Luc. IX, 8.

Haec autem qui opinabantur, eos apparet nihil audiuiſſe de natalibus Ieſu, primamque de eo famam ex miraculis, et quidem nuper admodum, accepiſſe.

16. ἀποκριθεὶς — ζῶντος) Reſpondit Petrus ſuo et condiſcipulorum ſuorum nomine. Fuit Petrus, ut hiſtoria euangelica docet, homo feruidi ingenii, promtus ad agendum et animoſus. Quare Patres ei tribuunt θερμότητα, promtitudinem ad ſuſcipiendas actiones praeclaras, et generoſam mentem, quae facile ad quiduis audendum ſpecie honeſti oblata impelleretur. Laudabilis omnino indoles, quae uero, niſi recti notitia dirigatur, audaciam pariat interdum pernicioſam. Vid. *IS. CASAUBONI* Exercitatt. ad Annales Baronii. XIV. nr. VII. ὁ χριστὸς) *Meſſias*; ponitur enim h. l. Chriſti nomen pro officii appellatione, non proprio nomine, ut alibi ſaepe. τοῦ ζῶντος) Cognomen Dei antiquiſſimum. Videtur autem eo nomine Deus uerus diſcerni a Diis gentium, qui reuera non uiuebant, ſed hominum erant commenta.

17. βὰρ Ἰωνᾶ) Iona hic non eſt יונה quod nomen eſt unius e duodecim prophetis, ſed יונא pro יוחנא ſiue יוחנן. Moris erat apud Hebraeos, ut nomini paullo communiori diſcriminis cauſſa adderetur Patronymicum, ut uidere eſt in ueteri foedere multis locis. ὅτι σάρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι) *Hoc te non docuerunt homines. Caro et ſanguis*, quoties Deo opponuntur, *hominem* ſignificant in Hebraiſmo. In ſcriptis Iudaeorum frequentiſſime *Rex carnis et ſanguinis*, et Deus S. B. opponuntur; qua phraſi indicant, hominem etiam potentiſſimum, et prudentiſſimos habentem conſiliarios, ſi Deo comparetur, nihil eſſe. Ἀποκαλύπτειν, *docere*.

docere. Si, inquit Christus, Doctores Iudaicos et Sacerdotes, si nobiles et principes, eosque qui maximam auctoritatem habent, audires, aliter longe de me iudicares. Ἀλλ' — ὀυρανοῖς) Hoc non intelligendum est de immediata sed de mediata reuelatione. Nam ἀποκαλύπτειν iterum est *docere.* Didicerat nempe Petrus hanc ueritatem, Iesum esse Messiam, in ipsius Iesu schola et conuersatione. Quod autem Petro contigit, ut discipulus Iesu fieret, et ingenio tam felici praeditus esset, ut hanc ueritatem mature intelligeret, id omne tribuendum erat Deo eiusque prouidentiae.

18. κἀγὼ — πέτρος) *Et ego uicissim de te affirmo, te Petri nomine esse dignum.* Proprium nomen Petri erat *SIMON*; quum autem ad Iesum adduceretur, is, qui statim ex uultu indolem uiri, et promtitudinem ad res praeclaras suscipiendas cognosceret, ei nomen Petri imposuit. Io. I, 43. Nunc igitur, quum Petrus tam praeclarum specimen profectuum suorum edidisset, laudat eum Iesus. Non penitet, inquit, me tibi nomen *Petri* dedisse. Video enim te hoc nomine esse dignum, et magnum fore religionis meae fulcrum. Πέτρος respondet nomini Syriaco κηφᾶς, a כיפא *petra.* Πέτραν autem ὄρος, *montem,* siue *rupem,* etiam apud Homerum interpretantur Critici. Et Christus imponit ipsi nomen *Petri,* non Petrae, quia terminatio foeminina non uidebatur esse conueniens uiro; quanquam et hoc notandum est, Atticos Scriptores, Sophoclem et Aeschinem etiam πέτρον dixisse, quorum loca indicauit *Io. Alberti* Obs. Philolog. καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ — ἐκκλησίαν) i. e. *fundamento per te iacto superstruam societatem eorum,*

rum, *qui religionem meam profitebuntur*. *Petra* nec eſt *confeſſio Petri*, nec *Chriſtus*, ſemetipſum digito uel nutu deſignans (quas interpretationes nec contextus admittit,) ſed ipſe Petrus. Dominus ſyriace loquens nulla uſus eſt agnominatione, ſed utrobique dixit *Cephas*, quemadmodum Gallicum nomen *Pierre* tam de proprio quam de appellatiuo dicitur. Deſignauit itaque digito aut nutu *Petrum*; id enim conueniebat propoſito reddendae rationis impoſiti nominis. Ita de *Abrahamo* dictum: Nomen tuum erit Abraham, quia patrem multarum gentium te conſtitui. *Iacobo*: Iſrael erit nomen tuum, nam ut principem te geris apud angelos et homines. Ita Chriſtus: Petrus a me nominatus es, quia eris quaſi Petra. Promittit autem, ſe aedificaturum eſſe eccleſiam ſuam ſuper Petro. Quod quomodo ſit intelligendum mox patebit. Eccleſia nempe eſt ſocietas chriſtiana. Nam uocabulo ἐκκλησίας ſignificatur ciuium conuentus, ut Act. XIX, 32. 39. Hebraei עדה et קהל uocant. Sed poſtea communis loquendi conſuetudo fecit, ut pro eorum coetu acciperetur, qui Chriſtum profitentur, ſicut Synagoga de Iudaeis proprie et peculiariter dici coepit. Quid autem h. l. ſit οἰκοδομεῖν, id poteſt illuſtrari ex locis 2 Cor. VI, 16. 1 Petr. II, 5. 1 Cor. III, 9. Eph. II, 20. Eccleſia nempe comparatur *templo*, cui fundamenti loco ſunt Apoſtoli. Haud uero aliter petrae aut fundamenti nomen tribuitur Apoſtolis, quam τὸ σώζειν, Rom. XI, 14. Quum ergo dicit Chriſtus οἰκοδομήσω, tempus illud reſpicit, quo *Petrus* primus omnium Iudaeis (Act. II, 14. ſqq.) deinde et alienigenis (Act. X et XV, 7.) erat annunciaturus id ipſum, quod hic profitebatur, nempe Ieſum eſſe Chriſtum et uni-

unigenum Dei filium. Resurrectionem nimirum Iesu, cui consequens est, eum esse Christum et Dei filium, crediderunt et Iudaei et gentes tum communi Apostolorum, tum peculiari etiam Petri testimonio. Per hunc modum *Petrus* factus est petra siue fundamentum populi christiani. πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς) *Quam* (meam ecclesiam) *nulla, ne potentissimorum quidem hostium uis destruet.* Αὐτῆς refer ad uocem praecedentem ἐκκλησίαν. Πύλαι ᾅδου, *tartareae potestates, consultationes et molimina diabolorum, tyrannorum, et hostium ecclesiae.* Nam שער, cui πύλη respondet, denotat eiusmodi portam, ubi habetur iudicium. Sensus itaque est: *ecclesia nunquam abolebitur.* Secundum *Wetstenium*, qui αὐτῆς ad uerba: ἐπί ταύτῃ τῇ πέτρᾳ referre uidetur, Christus praedicit Petro, eum in discrimen uitae uenturum, nec tamen eo absterritum iri, quo minus constanter in doctrina magistri perseueraret, mortemque adeo ipsam, hostium terribilissimum uinceret, atque triumpharet Rom. VIII, 35 - 39. Act. XII, 3 - 19.

19. καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν) *Tradam tibi potestatem in regnum meum. Clauis* potestatem et imperium significat. Cf. Ies. XXII, 22. Apoc. I, 18. Intelligitur facultas et potestas credituros in Iesum recipiendi in societatem christianam, et quasi ostium fidei aperiendi Iudaeis et ethnicis. Act. II, 14. seqq. X. et XV, 7. καὶ ὃ ἐὰν — ἐν τοῖς οὐρανοῖς) Variant interpretes in explicandis his uerbis. *Io. Lightfootus, Io. Seldenus, Henr. Hammondus, Salomo a Till, Io. Christoph. Wagenseilius, Philipp. a Limborch* multique alii uerba δέειν et λύειν accipiunt de sola doctrina ab Apostolis determinanda, uel saltem

tem de praeceptis et interdictis. Nec poest negari, uoces hebraeas אסר et שרא, quibus respondent graecae δέειν et λύειν ex usu Scholae Hillelianae et Schammaeanae adhiberi in doctrinis et iudiciis seu censuris, de rebus licitis et non licitis secundum legem, ut *ligare*, idem sit quod prohibere seu prohibitum declarare, *soluere* uero idem ac permittere, aut declarare licitum. Ita sensus esset: *Quodcunque in lege Mosaica ligaueris, h. e. prohibueris, id prohibitum erit, sanciente auctoritate diuina; et quodcunque solueris, i. e. permiseris, uel permissum et licitum docueris, id erit licitum et permissum.* Alii, inter quos est *Godofr. Olearius*, alium h. l. applicant significatum, quo δέειν idem notat, quod *morbum infligere*, λύειν uero *liberare a morbo*, ut Luc. XIII, 16. Explicant igitur locum nostrum ita, ut dicant, Saluatorem hic Petro atque Apostolis promittere potestatem morbos immittendi atque fugandi extraordinariam, qua in Ananiam et Sapphiram Petrum usum esse, in Elymam Magum Paulum, affatim constat. Eodem sensu explicanda esse putant uerba κρατεῖν et ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας loco huic simili, Io. XX, 23. Quicquid sit, hoc saltim certum est, in utroque loco Petro reliquisque Apostolis singularem promitti potestatem ad perficienda ea, in quibus iis opus erat peculiari auxilio.

20. ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν, ὅτι αὐτὸς ἐςιν ὁ χριςὸς) Ita omnino legendum, et sic habent multi Codd. Verss. et Patres; nam Ἰησοῦς, quod nonnulli ponunt ante ὁ χριςὸς, haud dubie interpretamentum fuit, prorsus superfluum, quia *Iesus* nomen est proprium, quo apud omnes noscebatur. Noluit *Iesus*, a discipulis tum temporis euulgari, se esse *Messiam*;

sed

ſed eius rei enunciationem ſibi ipſi reſeruauit, pro ratione locorum et temporum diſpenſandam. Iuſſerat quidem Apoſtolos *praedicare regnum Dei*; hoc uero nihil aliud erat niſi docere regnum Meſſiae adeſſe, et emendandam eſſe uitam; quod Apoſtoli facere poterant, etiamſi quis eſſet Meſſias, non dicerent. Cur autem Chriſtus prohibuerit, ne cuiquam hoc dicerent, patet ex iis, quae ſtatim ſequuntur. In eo nempe erat, ut Ieſus multa pateretur, et ſupplicio crucis afficeretur. Ergo non erat nunc opportunum, haec palam dicere, quia de Meſſia mortuo deſperaſſent. Porro ii, qui aliquo modo credidiſſent, Ieſum eſſe Meſſiam, regnum mundanum cum ſtrepitu quaeſiſſent. Noluit autem Ieſus occaſionem praebere rebellioni et ſeditionibus. Cf. dicta ad c. IX, 30.

21. ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων) ἀπὸ hic iterum pro ὑπὸ eſt poſitum. Πρεσβύτεροι autem hic ſunt Senatores, Hebraeis זקנים, unde συνέδριον ipſum non raro πρεσβυτέριον uocatur. Sic praeparat Chriſtus animos diſcipulorum, felicitates terrenas expectantium, ne nimis offenderentur mox ipſi obuenturis.

22. προσλαβόμενος) προσλαμβάνεσθαι ſignificat et *complecti*, et *ſeorſim abducere*, ut ſolent familiarius aliquid dicturi. ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ, i. e. ἐπετίμησε, ut Marc. IV, 39. Luc. VIII, 24. Eſt autem ἐπιτιμᾶν idem ac ἐπιπλῆξαι, *increpare, obiurgare, inuehi in aliquem*. Cum μέμφομαι permutat Thomas Mag. ἵλεώς σοι κύριε) ἵλεως, attice pro ἵλαος. Supplendum eſt: ὁ Θεὸς et διαμένῃ uel ἔστω. *Tibi, Domine, Deus propitius permaneat!* ſ. abſit, ut, quod dicis, tibi contingat! *Miſereatur tui Deus.* Cf. 1 Paralip. XI, 19. Gen. XLIII,

23.

23. *Ioseph.* Lib. VII. Antiquitt. c. 11. §. 8. ὀ μὴ ἔςαι σοι τῦτο) *Hoc tibi non eueniet.* Eſt locutionis praecedentis ἐξηγητικὸν. Futurum enim more Hebraeo poſitum eſt pro optatiuo. Tantundem ergo hoc eſt, quaſi dicas μὴ γένοιτο quomodo LXX. ſaepe uertunt חלילה. *Vulgata* non inerudite *abſit* hic poſuit. Ceterum habemus hic aliud exemplum θερμότητος Petri, de qua diximus ſupra ad comm. 16. Eo audaciae progreſſus eſt, ut magiſtrum ipſum reprehendere non uereretur. Putabat nempe, ea quae magiſter de calamitatibus ſibi inſtantibus, et de morte crucis dixiſſet, minime conuenire Meſſiae dignitati, eumque parum conſentanea dixiſſe. Si tale aliquid immineat, regia utendum eſſe poteſtate, qua ſe ſuis conſeruet, neque ferendum eſſe, ut tam indigna ſibi eueniant.

23. ὕπαγε ὀπίσω μȣ) i. e. *extra conſpectum meum.* Σατανᾶ) Hebraeum eſt שטן, quod LXX. modo ἐπίβȣλον, modo διάβολον reddiderunt. Oſtendit Chriſtus, Petrum amoris ſpecie, reuera ſibi eſſe aduerſatorem. σκάνδαλόν μȣ εἶ) *Offendiculo mihi es.* Quantum in te eſt, *horrorem mihi ignominiae cruciatuum et mortis iniicis:* quem horrorem in Chriſti carne modo maiorem, modo minorem fuiſſe apparet. ὅτι ȣ̓ φρονεῖς τὰ τȣ̃ Θεȣ̃, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων) φρονεῖν τὰ τινὸς Graecis eleganter notat, *alicui bene cupere, facere quae alteri grata ſunt, ſtare a partibus alicuius,* e g. φρονεῖν τὰ τῶν Ἀθηναίων. Senſus itaque eſt: Non ſectaris partes Dei, ſed ea curas magnique facis, quae hominibus placent, et ad uitae huius commoda pertinent. Putabat nempe Petrus Ieſum fore regem ciuilem.

24. ὀπίσω μου ἐλθεῖν) i. e. πορεύεσθαι. Sensus est: *Qui uult discipulus meus esse*, religionem meam amplecti. ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν) *Negligat semetipsum; obliuiscatur quasi sui et suorum commodorum.* Est enim hic ἀπαρνεῖσθαι ἑαυτὸν, quod apud Lucam μισεῖν τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν c. XIV, 26. Loquitur autem Christus ex uulgi opinione, quam deinde refellit; nam is uulgo desertor sui, suique prodigus dicitur, qui uitae commoda, uitamque ipsam non omni studio conseruat. Eiusmodi desertor sui alio sensu Christianus esse debet. Facienda nimirum rerum mortalium, uitaeque ipsius, si opus sit, iactura, hoc argumento, quod in ea iactura maximum situm sit lucrum. ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ) *Suscipiat crucem suam*, cf. c. X, 38. i. e. ne detrectet mala, quae ipsi inferuntur ob caussam pietatis; nam de hoc malorum genere proprie hic agitur.

25. ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι) Vide supra c. X, 39.

26. τί γὰρ — ζημιωθῇ) *Quid prodesset homini si omnes mundi diuitias acquireret, sed non aliter quam cum uitae iactura?* ψυχὴ h. l. est *uita temporalis*, et ζημία simpliciter opponitur τῷ κέρδει. Sententia est prouerbialis, quam Christus a uita temporali ad alteram et aeternam transfert. τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ) ἀντάλλαγμα, *compensatio, pretium redemtionis.* τί δώσει est πόσα ἂν δώσῃ, quam multa ac magna libenter daret homo in mortis periculo constitutus sui conseruandi gratia! Argumentatur Christus a uita hac temporaria ad felicitatem illam, quam religio promittit. Nam si omnia quae possidemus, arbitramur recte impendi, ut nosmetipsos in hac uita seruemus, quanto magis

magis huius uitae commoda ipſaque haec mortalis uita impendenda ſunt, ut felicitatis, quam Meſſias ſuis cultoribus et in hac et in futura uita largietur participes reddamur?

27. μέλλει γὰρ — ἀγγέλων ἀυτȣ̃) *Futurum eſt enim, ut Meſſias manifeſtet maieſtatem ſuam, quam accepit a Patre, modo longe ſplendidiſſimo.* Δόξα τȣ̃ πατρὸς, maieſtas, quam pater conceſſit, et tribuit. Μετὰ τῶν ἀγγέλων ἀυτȣ̃, in comitatu angelorum. Hunc uero ſuum aduentum, quo maieſtatem ſuam ſit declaraturus Ieſus, multos tum ſibi adſtantes, uiſuros eſſe atque ſenſuros, dicit u. 28. Quum igitur Ieſus illo tempore, et in illa hominum aetate non uenerit ita, ut conſpicuum ſecum haberet angelorum comitatum, ſequitur tropice explicandam eſſe phraſin μετὰ τ. ἀγγ. ἀ. *de ſplendido et magnifico aduentu.* Paſſim Deus dicitur, *uenire cum angelis,* ubi magnificum opus diuinae potentiae ſignificatur. Hoc loco intelligitur laeta Euangelii propagatio per orbem terrarum, una cum deſtructione Hieroſolymorum et ciuitatis Iudaicae, ut docemur u. 28. Monet nempe Ieſus morte ignominioſa et duris fatis ſibi ſuisque obuenturis nihil decedere ſuae dignitati; nam glorioſam ſucceſſuram poſthaec eſſe regni ſui manifeſtationem, iudiciumque regia poteſtate in omnes refractarios, et contemtores exercendum. καὶ τότε — πρᾶξιν ἀυτȣ̃) *Et tunc quemlibet pro ſuis factis aut beabit aut puniet.* Fidos ſibi, et conſtantes in profeſſione nominis ſui participes reddet felicitatis cum religione coniunctae; refractarios uero et contemtores cum Iudaeis puniet.

28. Ἀμὴν

28. Ἀμὴν λέγω — βασιλεία αὐτῦ) *Affirmo enim uobis, quosdam eorum qui adstant, non morituros esse, usque dum uiderint regnum Dei.* Hoc, quod modo dixerat (u. 27.) adeo certum esse, inquit Iesus, ut ipsum regnum illud gloriose administrantem haud pauci ex illis sensuri sint; propagationis nempe euangelicae doctrinae et insignium iudidiciorum in gentem Iudaicam testes αὐτόπται. Ἔρχεσθαι ἐν βασιλείᾳ, *gerere se ut Regem.* Gessit se autem ut Regem Iesus post resurrectionem et ascensum in coelos, dum Spiritum S. misit, Euangelium propagauit per signa et miracula, et puniuit Iudaeos. His enim et aliis certissimis testimoniis cognoscebatur, eum iam regnare. Iam homines tum Iesu adstantes uiderunt haec omnia. Nam XV annos post eius reditum in uitam coepit late propagari doctrina christiana, et XL annis post hos sermones destructa est Iudaeorum ciuitas, ita ut quidam horum uiderent Messiam ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτῦ.

CAP. XVII.

1. Καὶ μεθ' ἡμέρας — κατ' ἰδίαν) Quanquam Iesus perspicuis uerbis declarauerat, (c. XVI, 27. 28.) morti ignominiosae et perpessionibus gloriosam successuram esse regni sui manifestationem, haec tamen dispellere non poterant exortas in Apostolorum, atque Petri inprimis, animis nebulas. Voluit igitur Deus luculento modo eis declarare, hunc Iesum esse Messiam. Hunc huius memorabilis facti fuisse scopum, ipse Petrus 2 ep. I, 16. s. testatur. Quod nunc narratur, factum esse dicunt *Matthaeus* et *Marcus* μεθ' ἡμέρας ἕξ, *Lucas* uero diebus octo. Computauit nempe Lucas diem, qua Christus, quae capitis XVI

extremis occurrunt, differuerat, eam item, qua montem cum suis conscenderat; quibus omissis, sex tantum intermedios dies reliqui Euangelistae numerauerunt, receptam numerandi rationem utrinque sectantes. Constat etiam, Iudaeos octo dies appellasse id, quod ab uno sabbato est ad alterum. Io. XX, 26. *Iosephus* Antiquitt. VII, c. 9. ut quum uulgo dicimus *post septimanam circiter*. Voluit autem Iesus spectatores esse suae maiestatis *Petrum*, *Iacobum et Ioannem*; iis enim familiarius usus est, et obtinuerunt etiam hi tres eam inter ceteros discipulos auctoritatem, ut Paulo quoque *ii* appellentur, *qui sint in praecipua existimatione*. Gal. II, 9. καὶ ἀναφέρει — κατ' ἰδίαν) Montem, in quo haec facta sunt, fuisse *Thabor*, antiquissima est sententia, quae nititur eo, quod hic mons non procul est a Caesarea, ad quam res antea enarratae euenerant. Sed hoc non est certum; nam per octo dies longum itineris spatium absoluere potuit Iesus cum discipulis. Refutauit illam traditionem, et *Hermonem* fuisse istum montem statuit *Büschingius* in Harmonia Euangelistarum. Sed nec hoc certum est. Addit Lucas c. IX, 28. concessisse Iesum cum discipulis in montem προσεύξασθαι, quod uerbum *meditationem* cum precibus ad Deum fusis significat. Solitudinem saepius quaesiuit Saluator, meditationi et precibus peragendis accommodatam, inprimis uero montes.

2. καὶ μετεμορφώθη — ὡς τὸ φῶς) Bene iam *Hieronymus* notauit, uerbum μετεμορφώθη haud ita esse intelligendum, quasi Iesus pristinam formam et faciem perdidisset, uel amisisset corporis ueritatem. Nam Graecis μορφὴ saepe est ὄψις, θέαμα, *facies rei exterior*. Hoc tantum dicitur,

tur, in uultu eius conſpectum eſſe eximium ſplendorem, uel ſingularem maieſtatem, quae uerbis deſcribi uix poſſit. (Cf. Luc. IX, 29.) Verba enim: καὶ ἔλαμψε — ὡς ὁ ἥλιος, declarant, qualis fuerit illa μετεμόρφωσις. τὰ δὲ ἱμάτια — τὸ φῶς) *Veſtimenta autem eius candeſcebant ſicut lux.* Pro τὸ φῶς alii Codd. habent ὡς χιὼν, forſan ex gloſſa e Marco margini adſcripta. *Candor* ſplendore differt ab *albedine.* Hinc lux *clara* dicitur Plauto (Amphit. A. 1. Sc. III. u. 49.) et Lactantio (Inſtit. VI, 2.) ipſique *ſoli* tribuitur *candor* a Cicerone, nec non *coelo*, per quod ſcilicet candida *ſolis* lux diffunditur.

3. καὶ ἰδοὺ — συλλαλοῦντες) Quomodo Moſes et Elias hic apparuerint, talis eſt quaeſtio, quae ab hominibus ſolui uix poterit. Cur autem hi potiſſimum delecti fuerint, ſi quaeratur, non male reſpondet Hieronymus, factum id eſſe, ut *legis* pariter ac *prophetarum* teſtimonium habere Chriſtum, per paſſiones ad gloriam intraturum, id quod ſigno iſto diſcipulis erat confirmandum, indicaretur. Erat enim alter legis promulgator, alter prophetarum nobiliſſimus. Diſcipuli eos agnoſcebant uel ex colloquiis cum Ieſu habitis, uel ex ipſius Chriſti ſermone. Differebant autem de perpeſſionibus, morte Chriſti, et aliis rebus regnum Meſſianum eiusque indolem concernentibus; quod nos docet Lucas Cap. IX, 31. Haec autem omnia eo pertinebant, ut aduerſus calamitates futuras ſpe melioris uitae munirentur animi diſcipulorum.

4. καλὸν — ἡλίᾳ) Quemadmodum iter facientes, quum peruenerunt ad conuallem, fluuium arboribus obſitum, aut amoenum eiusmodi locum, ibi oblectare ſe auent, temporis

et negotiorum suorum nulla habita ratione; sic Petrus, oblitis huius uitae curis et aerumnis, praesentis uisionis splendore ac iucunditate permulctus, hic uoluit figere tabernacula, et gaudio frui diutino.

5. ἔτι — αὐτῦς) *Dum* (Petrus) *haec loquitur, nubes lucida eos obumbrauit.* Repente magno splendore omnes sunt circumfusi. Splendore autem hoc, tanquam signo adspectabili praesentiae diuinae, moniti sunt discipuli, Deum hic peculiari modo operari; uti fulmen, tonitru, tempestas saepe indicabat praesentiam Dei in aliquo loco. καὶ ἰδῦ, φωνὴ — ἀκύετε) Dei fuisse illam uocem e nube auditam, diserte exponit Apostolus Petrus, ad ἐποπτείαν illam admissus. (2 ep. I, 17.) Mosen et Eliam iam discessisse, antequam uox illa coelestis exaudiretur, docent Matthaeus u. 8. Lucas c. IX, 36. et Marcus c. IX, 8. Cf. supra c. III, 17. Sic igitur *confirmata* est discipulis ueritas iam *manifestata*, Iesum esse Messiam. Ἀκύειν non tantum esse *audire*, sed et *obsequium praestare*, notum est.

6. ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν) prae metu, quasi semianimes. Sicut lux subita efficit, ut oculos in terram deiiciamus: ita mirum non est, si maior consternatio corpora ipsa in terram deiiciat.

8. ἐπάραντες — μόνον) Christus ad breue tantum tempus spectatores maiestatis suae adhibuit suos discipulos, tum ut suae ipsius gloriae hanc iis uelut scintillam ostenderet, tum ut ex illa scintillula iis lux clara, i. e. spes certa affulgeret, ipsos etiam quandoque eiusdem gloriae futuros participes, modo uiam eo ducentem exemplo eius et iugiter et animose insisterent.

9. Vid. notata ad cap. XVI, 20.

10. τί οὖν) audita mentione resurrectionis a mortuis, uenit illis in mentem quod in Synagogis docebatur de Eliae aduentu Messiam praecessuri. ὅτι Ἡλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον) Adde ex sequenti commate: καὶ ἀποκαθιστάναι πάντα. Nam utrumque tradebant Hebraeorum magistri, et uenturum Eliam, et omnia curua correcturum.

11. ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα) i. e. *debuit uenire, et corrigere mores populi*, praeparare animos ad recipiendum mox uenturum Messiam; ἔμελλεν ἔρχεσθαι καὶ ἀποκαθιστάναι, quomodo et Cap. XI, 3. ὁ ἐρχόμενος est ὃς ἔμελλεν ἔρχεσθαι. Spectant sine dubio haec uerba ad *Ioannem Baptistam*, ut patet ex u. 13. Vox ἀποκαθιστάναι sumta esse uidetur ex *Malachia* c. III, 24. ubi apparet השיב hebraeum uersum esse per ἀποκαταστήσει καρδίαν, non male: nam ἀποκαθιστάναι inter cetera est, *reponere in uerum et naturae congruentem statum*. Iudaei, qui Christi uiuebant aetate, locum illum Malachiae c. III, 23. 24. acceperunt de *Elia Thesbite*, quod etiam recentiores Iudaei faciunt, qui credunt hunc Eliam adhuc uiuere, et uenturum bis: semel in diebus Messiae, et iterum quum uenerit Gog et Magog. *Iuchas*. Sed angelus etiam locum ita interpretatur, ut eum ostendat in *Ioanne Baptista* impletum iri. Luc. I, 17.

12. Ἡλίας ἤδη ἦλθε) Nempe in persona Ioannis Baptistae; nam de eo esse sermonem, discipuli statim intelligebant. ὅσα ἠθέλησαν) *quicquid ipsis collibitum est*. Deest nominatiuus, qui diuersis modis suppleri potest. Intelligendi sunt autem *Iudaei*, quae uox tam Herodem, et Galilaeos proceres, quam pontifices, senatores et legisperitos, illos

Baptiſtae, hos Chriſti interfectores comprehendit. Poteſt etiam uox ἠθέλησαν accipi imperſonaliter.

14. γονυπετῶν αὐτῷ) Permulti Codd. habent αὐτόν. Dicunt autem Helleniſtae γονυπετεῖν τινι, et γονυπετεῖν τινα, ut Marci I, 40. X, 17. Γονυπετεῖν modo eſt *genibus aduolui*; modo *in genua procidere*, qui geſtus diuerſi ſunt. Nam genibus aduolui eſt ſupplicantium geſtus, quem Poëtae paſſim depingunt. Ad flexionem genuum pertinet illud *Plinii*: *Regem adorant*, *genua ſubmittunt*.

15. σεληνιάζεται) Morbo comitiali uel caduco, quem epilepſiam etiam uocant, laboraſſe hunc hominem, ſymptomata quae commemorantur, oſtendunt, et paſſim eruditis interpretibus obſeruatum eſt. Rationem quoque addunt, cur *Lunatici* eo morbo laborantes dicantur, ideo nempe, quia ſecundum uarios lunae motus et aſpectus morbus iſte nonnullos inuadit. πολλάκις — ὕδωρ) Nimirum, ſi paroxiſmo corripitur ſtans ad foſſam, uel ad aquam, facile ita iactitari poteſt, ut in aquam incidat. Si corripitur paroxiſmo in aedibus ad ignem, in illum coniicitur.

17. ἀποκριθεὶς — ἀνέξομαι ὑμῶν) Γενεὰ διεστραμμένη, *aetas hominum peruerſa*, eſt, quae aliter agit ac debet. Exiſtimant interpretes, non in Apoſtolos haec dicta eſſe, ſed uel in Phariſaeos tum praeſentes, uel in patrem aegroti eiusque amicos. Sed Apoſtolos notari, ipſa ſeries orationis probare uidetur. Horum enim ἀπιστίαν expreſſis uerbis reprehendit Ieſus, infra u. 20. Dederat iis poteſtatem in daemonia, aliosque ſanandi morbos, iisque ſe affore promiſerat, ut poſſent talia facere. Nunc autem dubitauerant

de

de promiſſis illis, et rem nimis difficilem eſſe putauerant. Qui autem niti debent promiſſis, et tamen dubitant, ii agunt peruerſe.

20. ἀπιςίαν) ἀπιςίαν uocat τὴν ὀλιγοπιςίαν, comparate ſcilicet ad eam, quam pro ratione diuturnae inſtitutionis et impoſiti muneris habere debeant fiduciam. ὡς κόκκον σινάπεως) Granum ſinapis inter minima recenſetur. Vnde prouerbialis haec locutio, cuius ſenſus eſt: Si tantum fidei habueritis, quantum eſt granum ſinapis. Latine diceremus: Si uel tantillum haberetis fiduciae. ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ· Μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ) Hyperbolica et prouerbialis eſt haec locutio. Soliti ſunt *Iudaei* Doctores ſuos illuſtriores de profunditate doctrinae aut uirtutum ſplendore hac phraſeologia magnificare: *Ille eſt eradicator* (*aut transplantator*) *montium.* Vide *Lightfootum* ad Matth. XXI, 21. Senſus ergo eſt: *res difficillimas praeſtaretis.* οὐδὲν ἀδυνατήσει ὑμῖν) Graecis ἀδυνατεῖν ſumitur actiue, *non poſſe*, Helleniſtis autem imperſonaliter, *impoſſibile eſſe.* Quod hic apoſtolis dicitur, reſtringendum eſt ad ſubiectam materiam: *nihil non poteritis*, *eorum ſcilicet*, *quae ad teſtimonium doctrinae, et conciliandam muneri ueſtro auctoritatem pertinebunt.*

21. τοῦτο δὲ τὸ γένος) ſc. *daemonum.* Senſus tamen non alius eſt, ac ſi Chriſtus dixiſſet: *Hoc genus morborum aliter curari non poteſt*, *niſi* etc. nam accommodauit ſe uſui linguae, quemadmodum et nos multis hodienum utimur phraſibus ex Sacris atque religionibus Gentilium natis. ἐν προσευχῇ καὶ νηςείᾳ) Supra dixerat Chriſtus, fiducia opus eſſe ad haec praeſertim maio-

ris notae miracula. Nunc oſtendit, quomodo ea parari poſſit, *precibus* nimirum *feruidis.* Ieiunium ideo adiungit, quia ad preces in primis requiritur animus demiſſus, cui rei inſeruit ieiunium.

22. ἀναϛρεφομένων) *Verſantibus*; nam quae hactenus narrata ſunt, geſta eſſe uidentur in Galilaea. Geſta haec igitur in itinere, a partibus Nazarethae uicinis lacum uerſus. Ad ſequentia cf. quae monuimus ſupra c. XVI, 20. 21.

24. οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες) Non publicani Romanorum: nusquam enim inter Romana tributa didrachmum inuenies; ſed miſſi a ſacerdotibus, qui שליחים Hebraeis, Helleniſtis ἀπόϛολοι uocati ſunt. Nam δίδραχμον hoc a Iudaeis penſitatum eſt in uſum templi ad ipſa *Veſpaſiani* tempora, et habuit ortum ex ipſa Moſis lege. Deus nempe per Moſen (Exod. XXXVIII, 25—28.) iuſſerat in uſum tabernaculi capitatim pendi σίκλȣ τὸ ἥμισυ, inquit *Ioſephus* addens: ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ἑβράιων ὢν, δέχεται δραχμὰς τέσσαρας: nempe Atticas, quod ipſe alibi adiicit. Lex illa Moſis non fuit perpetua, ſed temporaria, temporibus tamen ita exigentibus repetita. Chriſti aetate ſolebant omnes per orbem terrarum diſperſi Iudaei iſtud didrachmum conferre. *Ioſ. Ant.* XVIII, 9. 1. Quam pecuniam poſtea Veſpaſianus fiſco addixit, templo deſtructo *Ioſ. B. I.* VII, 6. 6. Hieroſolymis quidem colligebatur didrachmum in ipſo templo, XXV. menſis Adar, a menſariis ei negotio praepoſitis; in aliis uero partibus idem factum per alios. Ex hac pecunia emebatur ſacrificium quotidianum, uacca rufa, ſuffitus, ſal, lignum, panes propoſitionis etc. Cf. *Michaelis* Moſaiſches Recht.

Recht. P. III. §. 173. οὐ τελεῖ τὰ δίδραχμα;) Particula οὐ nihil hic negat, ſed interrogat, ut alibi ſaepe. Non pro imperio agunt, ut aut Romanorum aut Regis Herodis publicani, ſed quaerunt, an ſoluere ſoleat. Credibile eſt, multos, quia non cogebantur, id onus detrectaſſe.

25. οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη, ἢ κῆνσον;) Similitudinem a regibus terrae ad coeli regem deduxit hoc modo: Videmus paſſim a regibus immunes tributorum haberi, ſi non et alios, certe filios ſuos. At hoc δίδραχμον nomine Dei exigitur. Quis igitur dubitet, quin Deus me, filium ſuum unicum uelit hoc onere ſubleuatum? Ex mente igitur ipſius Dei, cuius negotium ſe agere ſacerdotes dicebant, liberum ſe Chriſtus probat. Plurali numero utitur, non quod ad alios eam extendat libertatem, ſed quod comparatio id exigebat, ſumta non ab unius, ſed ab omnium regum more ac conſuetudine. Τέλη, *tributa. Cenſus* nomine uocantur onera quaeuis aut perſonarum aut capitum, ut ex titulo Digeſtorum de cenſibus apparet. ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων;) ἀλλότριοι hic opponuntur filiis familiarum. Ita in iure Romano ſumitur uox extranei heredis.

26. οἱ υἱοὶ) Sc. regum. Conſequens erat, Ieſum filium Dei non adſtrictum eſſe legi pendendi tributi.

27. σκανδαλίσωμεν) Ne dicant, a me templum contemni. Docet nos Chriſtus exemplo ſuo, etiam cum diſpendio aliquo, ſi ita opus ſit, redimere ſiniſtras ſuſpiciones. ἀναβάντα) ad hamum ſcilicet. εὑρήσεις στατῆρα) Heſychius: στατὴρ, τετράδραχμος: ita enim legendum cenſent uiri docti, pro τετράγραμμος. Innuunt uerba, notum fuiſſe

 Chriſto

Christo, in eo pisce esse staterem. ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ) ἀντὶ pro ὑπέρ. Nam proprie ἀντὶ τινος significat loco aut uice alicuius.

CAP. XVIII.

1. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ) Etiam alias, ut ex collatione scriptorum uidetur colligi posse, hac de re egerunt, sed tunc praecipue, postquam Christus Petro claues regni coelorum tradidisset, eumque cum Iacobo et Ioanne, relictis reliquis Apostolis, in montem secreto abduxisset. Tres enim isti supra Collegas sese extulisse, et nouem reliqui ipsis inuidisse uidentur. τὶς ἄρα μείζων ἐςὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;) Quis nostrum sub rege Messia locum honoratissimum tenebit? quis erit imperator? quis consiliarius? quis procurator? c. XX, 21. An is, qui primus in doctrinam tuam se tradit? an qui tibi sanguine est coniunctior? an qui te frequenter hospitio excepit? an aetate prouectior?

2. προσκαλεσάμενος παιδίον) Solebat Christus, populorum orientalium more, per imagines corporeas uisui subiectas doctrinam suam repraesentare. Illud προσκαλεσάμενος ostendit, puerum fuisse maiusculum, ut qui ambulare posset.

3. ἐὰν μὴ ςραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία) Pueris similes uult fieri Christus sectatores suos, modestia et honorum periturorum despicientia, quod ea aetas longissime absit a studio honorum, quod ne ad iuuentam quidem sed ad uirilem et robustam aetatem referri solet; nam, ut *Horatius* ait: *Conuersis studiis aetas animusque uirilis quaerit opes et amicitias, inseruit honori.* οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν

φιλείαν τῶν ȣ̓ρανῶν) Tantum abeſt ut primas ſedes habituri ſitis; ne partem quidem habebitis in regno coeleſti.

4. ὅςις ȣ̃ν — τῶν ȣ̓ρανῶν) *Qui igitur ita modeſte de ſe ſentiat, ſicut hic puer, iſte magnus erit in regno Meſſiae*, magnus erit Chriſtianus, et hoc nomine prae ceteris dignus. Ταπεινȣ̃ν ἑαυτὸν, *modeſte de ſe ſentire*, nunquam ſe aliis praeponere, facileque ſe contemni pati. Τὸ παιδίον hic ſpectatur non qua aetatem, ſed qua indolem ſuam, qua nec titulos nec externam dignitatem affectat. Qui ergo huiusmodi puerum imitatur, (Ieſus inquit,) *is eſt permagnus in regno Meſſiae, eſt excellens Chriſtianus.* Superat enim alios *cognitione*, quia recte exiſtimat, hominis dignitatem ueram non pendere a titulis et externis honoribus. Sed et *uirtute* alios ſuperat, quia non affectat uanam gloriam et perituros honores; neminem contemnit qui externis dignitatibus caret; nec ſi ipſe habet, ſe propter eas effert.

5. καὶ ὅς — ἐμὲ δέχεται) *Et qui uel tali puero benefecerit mei cauſſa, is mihi benefacit.* Vox δέχεσθαι, quae proprie ſignificat *hoſpitio excipere* h. l. notat: *ornare beneficiis*, ut Act. XXI, 17. Cf. Marc. IX, 41. Παιδίον τοιȣ̃τον, hominem qui indole hunc puerum refert, obſcurum, nullius externae dignitatis. Nam παιδίον hic exempli loco ponitur, pro quouis puero et quouis homine qui puerum modeſtia et uacuitate a cupiditate honorum imitatur. Ἐπὶ τῷ ὀνόματί μȣ, *quia eſt meus diſcipulus*, quamquam ab aliis contemtus. Ἐμὲ δέχεται, *mihi benefacit.* Hunc ita amabo et remunerabor, quaſi meipſum beneficio ornaſſet.

6. ὃς

6. ὃς δ' ἂν — εἰς ἐμὲ) *Quodsi uero quis* dictis uel factis *offenderit uel minimum eorum qui in me credunt.* Τὲς μικρὲς h. l. non esse infantes, sed *modestos, quanquam contemtos Christianos*, inde patet, quod ὃς δὲ perspicue refertur ad alterum illud ὃς ἐὰν u. 5. et μικροὶ τὅτοι respondent istis qui u. 5. παιδία dicebantur. Ita uox μικρῶν et ἐλαχίςων sumitur etiam c. V, 19. c. X, 42. c. XXV, 40. De uerbo σκανδαλίζειν supra ad c. V, 29. diximus. Hoc loco est *dictis uel factis efficere, ut quis a Christi caussa alienior fiat.* Quo modo Iesus inciderit in hanc admonitionem, intelligitur e Marco (c. IX, 38. sqq.) qui refert, cohibuisse Ioannem studia hominis, qui nomine Christi daemonia exturbasset. Hunc igitur castigauit Iesus, dicens: Qui meo nomine daemonia exturbat, is a meis stat partibus, eandemque quam uos caussam propagat. Ergo non erat a uobis contemnendus; tali enim acerbitate irritari poterat et auerti a studio honoris mei propagandi, omninoque a caussa mea alienior fieri. Vide S. V. *D. IO. AUG. NOESSELTI* eruditam in hunc locum disputationem, in opuscul. Fascic. I. edit. 2dae. Quum autem acrior sit sequens reprehensio, quam ut in discipulos quadrare possit, Christus, occasione hac arrepta, docere uidetur, quam grauiter peccent ii, qui Christianos male tractando, occasionem deserendae religionis iis praebent. συμφέρει — θαλάσσης) i. e. *is grauissima poena est dignus*; uel: *de eo melius actum esset, si saxo molari ad collum appenso demersus esset in profundo maris, ne tale quid committere posset.* Συμφέρει αὐτῷ, pro συμφέρῃ ἂν αὐτῷ. Et deest ἀνταπόδοσις, quae ex collatione idem narrantium ita supplenda est: *Potius quam tale quid committeret.*

Μύλος,

Μύλος, *ſaxum molare.* Ὀνικῦ epitheton eſt adiectum, ad indicandam molam maiorem ac grauiorem, qualis eſt, quae non manu, ſed aſinorum opera uerſari ſolet; quomodo et Syrus et Latinus interpres intellexerunt. Marcus c. IX, 42. exponit λίθον μυλικόν. Mos καταποντισμῦ, ſaxo ad collum appenſo, uſitatus Iudaeis non fuit, ſed ſola quatuor ſupplicia apud eos nota fuiſſe, ex omni hiſtoria et interpretum conſenſu apparet, ignem, lapidationem, gladium, ſtrangulationem. Quare a uicinis Syris tractum hoc loquendi genus. Mos idem in Graecia. Scholiaſtes ad Equites *Ariſtophanis*: ὅταν γὰρ κατεπόντυν τινας, βάρος ἀπὸ τῶν τραχήλων ἐκρέμων. *Suidas* in Lexico ſub uoce ὑπέρβυλον λίθον: Quum aliquos in mari ſubmergebant, de collo ſuſpendebant lapides et ſaxa grandiora, ne ex aquis emergerent illi, quos ſubmergere uolebant.

7. ὐαὶ — σκανδάλων) *Grauiſſima mala euenient hominibus propter offenſiones.* Τῷ κόσμῳ, *hominibus,* et illis qui offendunt, et illis, qui offenſi aliorum improbitate, aut a pietate deficiunt, aut alioqui grauiter delinquunt. Nam אוי Hebraeum, et ſumtum inde ὐαὶ Helleniſtarum, plerumque dolentis uox eſt. Ἀπὸ h. l. denotat: *propter.* ἀνάγκη — σκάνδαλα) *Non aliter quidem fieri poteſt,* (ob hominum peruerſitatem) *quam ut ſcandala dentur.* Apud Graecos ſcriptores ἀνάγκη, aut ἀναγκαῖον haud raro ſignificat id, quod fieri aliqua de cauſſa oportet, ut Luc. XIV, 18. Hebr. IX, 23. πλὴν) Aduerſatiua haec oſtendit, ſapiente Dei permiſſione culpam peccantium non leuari: unde ſequitur, de tali hic agi neceſſitate, quae libertatem non tollat.

8. ἐι

8. εἰ δὲ — ἀπὸ σοῦ) i. e. *Si quid, etiamſi alias tibi cariſſimum, te incitet ad peccatum, uel ſtudio pietatis obſit, abſtinendum tibi eſt ab eo.* Prouerbialis eſt locutio. Ἡ χεὶρ, ὁ πȢς, tale aliquid, quod nobis aeque carum eſt ac manus noſtra, ac pes, uel aliud membrum corporis noſtri. καλόν σοι — αἰώνιον) Plena oratio eſſet: Si uel cariſſima corporis membra praecidenda ſunt, ne totum pereat corpus, quanto magis abiiciendae ſunt a nobis cogitationes minus rectae, ut aeternum euitetur exitium? Καλὸν poſitum eſt pro ἄμεινον, ut in *Senar. Graec.* καλὸν τὸ νήφειν, ἢ τὸ πολλὰ κραιπαλᾷν.

10. μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν μικρῶν τȢτων) *ne contemnatis aliquem ex paruis iſtis,* i. e. uere piis, nouae meae religionis cultoribus, modeſtis adhuc infirmis fide, qui hac parte paruulis ſunt ſimiles. οἱ ἄγγελοι — Ȣρανοῖς) i. e. Primores angelorum curam eorum gerunt. Ἄγγελοι αὐτῶν, *angeli qui illis dati ſunt cuſtodes.* Chriſtus ita loqui eſt ſolitus, quomodo ſe loquentem a Iudaeis optime ſciebat intelligi. Iudaei autem ueteres nouique crediderunt ſingulis, ſaltem piorum additum a Deo cuſtodem angelum; quam ſententiam multi hic a Chriſto approbari, haud ſcio an ſatis recte, putant. Βλέπειν τὸ πρόσωπον τȢ πατρὸς, *apparere coram patre,* deſumtum eſt a more regum, quos adſpicere quotidie non cuiuis miniſtrorum licet, ſed ſolis regni proceribus 1 Reg. X, 8. Idem eſt, uidere faciem regis, ac ſtare coram rege. Chriſtus ſignificantiſſime oſtendit, quanto pretio pii homines ſint apud Deum, quum dixit angelorum primores illis datos cuſtodes; unde intelligi poteſt, quantum ſit facinus eorum innocentiae, et ſimplicitati inſultare. Aliam uiam

uiam ingreditur *Io. Aug. Noesselt*, (l. c. p. 21. s.) ita explicans locum: *Angeli, qui uel perpetuo patris coelestis adspectu fruuntur*, h. e. sancti s. coelestes, *angeli eorum sunt*, i. e. beneuolentia eos prosequuntur sic, ut gaudeant hos se discipulis meis adiunxisse. Cf. Luc. XV, 7. Statuit nempe, sensum formulae *in coelis uidere faciem patris coelestis* non alium esse nisi alterius: *esse in coelis*, obscuritatemque, quae est in uerbis *angeli eorum* eo depelli, ut sensu acciperentur eo, quem libri sacri frequentant in simili formula *Deum alicuius esse*, h. e. singulari fauore eum complecti, bene uelle alteri, gratulari, gaudere de altero; ipsa autem enunciatio Christi quasi esset inuersa, ut attributum poneretur pro subiecto, subiectum in loco attributi collocaretur, cuius generis exempla collegit GLASSIUS Logic. S. p. 2109. Hoc saltim perspicuum est, τοὺς μικροὺς in loco nostro non infantes esse, sed Christi discipulos.

11. ἦλθε γὰρ — ἀπολωλός) *Munus enim Messiae est, ut salutem det hominibus perditis*, neglectis, et ouium more errantibus. Τὸ ἀπολωλὸς, neutrum pro masculino. Eo ipso, quod Pater coelestis misit filium suum, satis declarauit, quod nolit uel unum horum minimorum perire.

12. τί ὑμῖν δοκεῖ;) Illustrat Iesus enunciatum suum (u. 11.) pulcra imagine, quae iisdem fere uerbis extat Luc. XV, 4. sq. ad declarandum, quantum gaudium nascatur ex uno ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι. ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ ἑκατὸν πρόβατα,) *Si quis habeat centum oues.* Hanc comparationem alibi quoque, sine aliquantum diuerso Christus usurpat: quod et in aliis comparationibus obseruare est.

Sensus

Senſus eſt, magnopere gaudere Deum conuerſione hominis peccatoris. Cetera acceſſio ſunt comparationis, quae ſigillatim applicari ad ἀνταπόδοσιν nihil neceſſe eſt. ἐπὶ τὰ ὄρη, πορευθεὶς) Alia interpunctio: ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς, quod melius conuenire uidetur, ut tanto maius quaerendae per ſolitudines medias aberrantis ouis ſtudium demonſtretur.

14. οὐκ ἔςι θέλημα — τούτων) Maxime diſplicet patri ueſtro coeleſti, ſi uel unus tenuiſſimae conditionis hominum pereat. רצון לפני יהוה ut Exod. XXVIII, 38. ubi LXX, δεκτὸν ἔναντι κυρίου uerterunt, plerumque uerti ſolet εὐδοκία. Eſt autem λιτότης: non eſt gratum Deo, pro eo, quod proprie diceretur: Deo quam maxime diſplicet. Faciunt ergo, qui pios offendunt, contra ueram ac ſeriam Dei uoluntatem.

15. ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου) *Si uero alter te offenderit.* Ἀδελφὸς, quilibet homo. Agitur autem proprie de delictis, quae imbecillitati humanae ex ira, inuidia, habendi cupidine ſolent obrepere, quaeque ad alterius iniuriam pertinent. Hoc enim ſignificat εἰς σέ. Similia his quae ſequuntur, habentur in ſcriptis Hebraeorum, ut patet ex locis citatis a *Druſio*, *Lightfooto*, aliisque. Sicut enim Chriſtus errores Iudaicos libere reprehendit; ita quaecunque ad pietatem ac probitatem faciebant, ad uerbum prope in ſua dogmata tranſtulit. ἔλεγξον — μόνου) *Secreto, remotis teſtibus eum corrige.* Hebraeum הוכח in *Leuitico* LXX, quos ſequuntur alii Helleniſtae, transferunt ἐλέγχειν. Hoc eſt, quod *caſtigare* dixit *Plautus.* Hoc fieri debet primum uerbis mollibus: deinde ſi opus ſit, paullo acrioribus, ut recte praecipiunt Hebraei. ἐάν σου ἀκούσῃ) *Si monitis*

nitis pareat, hoc eſt, ἐὰν μετανοήσῃ, ut *Lucas* explicat. ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου) κερδαίνειν eſt, ad bonam frugem reuocare, ac proinde in ſalutis uiam reducere: ita haec uox ſumitur 1 Cor. IX, 19-22. 1 Petr. III, 1. Non ait Chriſtus, *tibi* bene conſuluiſti, ſed *fratri*: id enim praecipue propoſitum nobis laeſis eſſe debet. Nam noſtra tantum aut res aut exiſtimatio agitur temporaria; illius ſalus aeterna.

16. ἕνα ἢ δύο) ut eodem modo, ſi fieri poteſt, pudor ipſi exprimatur, quod addunt Hebraei. Ideo tales aſſumi debent, quorum aliquid apud ipſum auctoritas ualeat. ἵνα — ῥῆμα) *Vt duorum uel trium teſtium ſermone totum negotium confirmetur.* Ἐπὶ ςόματος, hebr. עַל-פִּי, i. e. *ſermone ac teſtimonio*; nam oris uocabulum interdum accipitur pro ſermone. Πᾶν ῥῆμα, *tota res*, uel *negotium de quo agitur*. Sunt ipſa uerba legis ex Deut. XIX, 15. ex Verſione LXX. Lex iſta Moſis proprie ad facti controuerſias pertinens, in prouerbium tranſiit, ita ut et de rebus aliis uſurpetur, quemadmodum uidere eſt Ioan. VIII, 17. 2 Cor. XIII, 1. Senſus hic eſt, ut is, qui peccauit, ſi te unum non eſt reueritus, illos ſaltem duos aut tres adhibitos reuereatur, et illorum conſenſu motus iniquitatem facti ſui agnoſcat.

17. παρακούσῃ αὐτῶν) i. e. ἐὰν οὐ μετανοήσῃ. Vox frequens Graecis ſcriptoribus, ſed et LXX. interpretibus uſitata. τῇ ἐκκλησίᾳ) *Vniuerſo coetui*, uel communitati, cuius es membrum. *Coram multis*, inquit liber Muſar. cf. 2 Cor. II, 6. 1 Tim. V, 20. Vſitatiſſimum erat apud *Iudaeos*, obſtinatos in hac uel illa peruerſitate, poſt indultam admonitionem, publico praeconio in Synagoga notare, ut

Lightfootus oſtendit. ἔςω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης) Quando omnia monita contemſit, libero te ipſius cura; habe eum, quo loco habes ἐθνικὸν, i. e. a religione plane alienum: aut Iudaeum quidem, ſed ἁμαρτωλὸν, hoc eſt, talem, qui uitae ſit flagitioſae, quales haberi ſolebant τελῶναι καὶ πόρναι. Talibus autem non deſinebant deberi communia humanitatis officia, ut male ſentiebant Iudaeorum plerique, ſed ea tantum, quae ad propiorem amicitiam pertinent.

18. ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ.) *Quodcunque communi conſenſu decreueritis*, (de tali peccatore,) *ratum erit apud Deum.* Senſus igitur eſt: Si quis ſententiam de ſe ueſtram, quam ex regulis traditis tuleritis, ſpreuerit, maximo ſuo damno id faciet. Cum enim in gratiam uobiscum redire recuſat, reus erit apud Deum: contra ſi uos placauerit et ſibi reconciliauerit, etiam a Deo peccati ſui in uos commiſſi ueniam impetrabit. Cf. notata ſupra ad c. XVI, 19.

19. πάλιν) *praeterea, iterum,* Syr. תוב. In antiquis Codd. additur ἀμὴν. ἐὰν δύο ὑμῶν — ἐν ὐρανοῖς) *Si duo ueſtrum unanimi conſenſu aliquid* (animarum ſalutem concernens) *petant*, *dabitur id illis a Deo.* Manifeſta eſt connexio cum ſuperioribus: quod hic ſolueritis, in coelo ſolutum erit. Id uniuerſali propoſitione confirmat: Deus praeſtat, quicquid duo concorditer petunt, ſicut in ea, de qua egit, ſpecie, ſi nempe is, qui fratrem admonuit, et fratre admonitus, aut etiam alii, ſi qui fuerunt adhibiti, Deum precantur, ut culpam condonet. Verba περὶ παντὸς πράγματος, cum ea reſtrictione ſunt intelligenda, ſi boni ad finem bonum aliquid petant.

20. ὁ

20. ὂ γὰρ — ἐν μέσῳ ἀυτῶν) *Si enim duo uel tres concorditer aliquid petant, in rebus ad religionem meam pertinentibus, ego adiuuo eorum preces.* Sicut modo συμφωνεῖν ab ore ad animum transferebatur, ita hic συνάγεσθαι per translationem est ὁμονοεῖν, quomodo latine etiam dicimus *conuenire.* Actor. IV, 27. Ἐις τὸ ἐμὸν ὄνομα, mei caussa, propter me et religionem meam, uel cum fiducia in me. Syrus בשמי, quomodo בשם sumitur Ps. XX, 8. et 1 Sam. XVII, 45. ad significandam fiduciam, quam in aliquo ponimus. cf. Io. XIV, 13. 14. In uerbis ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ ἀυτῶν, rursum translatio est, qualis supra in uoce συνάγεσθαι. Sic latine *adesse alicui* dicitur, qui ei fauet, auxiliumque praebet. Est autem hoc Christi dictum simillimum tritae inter Hebraeos sententiae: *Vbi duo consident, sermonem habentes de lege, Schechinah est inter ipsos.*

21. ποσάκις ἁμαρτήσει ἐις ἐμὲ ὁ ἀδελφός μϐ, καὶ ἀφήσω ἀυτῷ) Hebraismus, pro quo Graeci dicerent: ποσάκις ἁμαρτήσαντι ἀφήσω: ἕως ἑπτάκις;) *Ioma.* R. Iose filius Iudae dixit: Homini in alterum peccanti, semel remittunt; secundo remittunt, tertio remittunt, quarto non remittunt. S. D. Amos II, 1. Iob. XXXIII, 29.

22. ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ) Non est hoc *septuagies et septies*, sed ad numerum usque *septuagies septenum.* Nam שבע שבע quod habet Syrus, significat *septena.* Opponit Christus hunc numerum, ut multo maiorem, numero septenario ex more Hebraeorum. *Quotiescunque in te peccauerit.* Cf. Gen. IV, 24.

23. διὰ τϐτο) Ellipsis, pro: διὰ τϐτο λέγω ὑμῖν ὅτι ὡμοιώθη. ἡ βασιλεία τῶν ϐρανῶν) Ita se res habebit in regno

 meo,

meo, ut ſi rex ſit aliquis, et quae ſequuntur. ἀνθρώπῳ βασιλεῖ) i. e. βασιλεῖ τινι, ut infra c. XX, 1. quomodo איש ſolet ſumi Hebraeis. μετὰ τῶν δούλων αὐτοῦ) Vbi de regibus agitur, ſerui dicuntur omnes ſubditi, ſed praecipue, qui ſunt in aulico miniſterio, ut 1 Reg. IX, 22. ubi uox עֶבֶד in eodem commate ſignificatu duplici, et quidem oppoſito inuenitur. Hoc loco de miniſtris ſermo eſſe uidetur, propter u. 28. 29.

24. ὀφειλέτης μυρίων ταλάντων) *debitor decies millium talentorum.* Apud Graecos μύρια ut apud Latinos ſexcenta dicere pro *multis* uſitatum eſt.

25. μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι) ἔχειν pro δύνασθαι frequenter ponitur. πραθῆναι) Liberi homines cum uxoribus et prole, ubi ſoluendo non eſſent, ſerui fiebant creditorum, moribus Hebraeorum, quod docemur 2 Reg. IV, 1.

26. μακροθύμησον) Ne indulgeas iracundiae erga me tuae. μακρόθυμον uocant Helleniſtae, quem Hebraei ארך אפים.

28. κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε) propria eſt uerbi ratio in creditoribus, qui debitores ſegnes obtorto collo corripiunt, adque ſoluendum aes alienum acerbe cogunt. Loca laudat *Wetſtenius.* ὅ, τι ὀφείλεις) εἴ τι habent Codd. tantum non omnes, et Patres. Solet εἰ ſaepe non conditionem, ſed generalitatem ſignificare.

30. ἀπελθὼν) Vel abundat hoc participium ex uulgata loquendi conſuetudine, uel uertendum eſt : *Pergens.* Niſi malimus intelligere, abiiſſe cum eo, quem uidelicet ipſemet in carcerem rapiebat.

34. τοῖς

34. τοῖς βασανισαῖς) βασανισαὶ h. l. non ſunt *tortores*, ſed uocantur ita *cuſtodes carceris*, δεσμοφύλακες. Nam βάσανος in N. T. non quaeſtionem ſolum, ſed omnem omnino cruciatum atque moleſtiam ſignificat; et ipſe carcer uocatur corporis cruciatus *L. ult. c. qui bon. ced. poſſ.* Vtitur autem hic rex ille non ſolo creditoris iure, ſed et iudicis.

35. οὕτως) Haec plena eſt comparatio, habet enim ἀνταπόδοσιν, cuius ſenſus idem eſt, qui in illis Iacobi uerbis: ἡ κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος, et ſupra c. VI, 15. niſi quod hic additur, iam accepta beneficia diuinae indulgentiae nihil profutura inmiſericordibus. τὰ παραπτώματα αὐτῶν) Deſunt haec uerba in Codd. quibusdam, Verſſ. non paucis et Patr. Saepe offenſae comparantur debitis pecuniariis, non quod non multum interſit: ſed quia ſicut ex debito naſcitur ius exigendi, ita ex offenſa ius quoddam naſci uidetur reſcindendae amicitiae; quo iure qui non utitur, benignitatem ſuam oſtendit, eatenus ſimilis ei, qui debitorem per acceptilationem liberat.

CAP. XIX.

1. Μετῆρεν) ſc. τὸν δρόμον. Hebr. נסע. Vulgata *migrauit*. πέραν τοῦ Ἰορδάνου) Quum Chriſtus nollet uia breuiore per Samariam Hieroſolyma petere, traiecto Iordane per Peraeam iter facit. Marci X, 1.

3. κατὰ πᾶσαν αἰτίαν) *propter quamuis cauſſam*, uel potius *culpam*; nam αἰτίαι ſunt *culpae*: αἰτίαν ἔχειν, accuſari, *crimen habere* Tibull. I, 7. 47. Philo coniungit cum ἐγκλήμασι, ut *Loeſnerus* oſtendit. Κατὰ autem ſignificat *propter*, ut ſaepe apud optimos Scriptores. Schola *Hillelis* et *Sam-*

maei locum Deut. XXIV, 1. interpretationibus quam maxime ſibi contrariis explicabat. Qui diſciplinae erant *Hillelis*, dicebant, uxorem eiici poſſe cum *ob crimen aliquod turpius et grauius*, עֶרוֹת דבר, tum etiam עַל כל דבר κατὰ πᾶσαν ἀιτίαν, *ob quamcunque cauſſam*, *etiam leuiſſimam:* qui autem *Sammaei* placita ſequebantur, ii diſertis Scripturae S. uerbis preſſius inhaerebant, et contendebant, ob cauſſam non *quamcunque*, ſed *turpem* tantum, u. c. μοιχίαν, πορνείαν etc. uirum poſſe dimittere uxorem. Hanc igitur rem, quae tunc temporis in controuerſia uerſabatur, diſceptandam, etſi animo maligno, πειράζοντες ἀυτὸν, detulerunt Phariſaei ad Chriſtum. Sciebant nempe, Chriſto improbari diuortia, quod legi Moſis contrarium eſſe putabant.

4. ὁ ποιήσας) *Opifex*, *rerum Auctor.* Sic Deus uocatur apud Philonem de Opific. mundi. Participium eſt abſolutum, ex Hebraeo idiotiſmo; הַבּוֹרֵא uel הָעֹשֶׂה ut loquuntur Hebraei. Graeci diſertiores dicerent ὁ δημιȣργὸς. ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν ἀυτȣ̀ς) redundat ἀυτȣ̀ς, ex Hebraiſmo. Vis autem argumenti tota poſita eſt non in uerbis ἄρσεν καὶ θῆλυ, neque in eo, quod dictum eſt δύο, ſed com. 5. 6. in uoce προσκολληθήσεται, et in eo, quod ſequitur, ἐις σάρκα μίαν, quod oſtendit ſequens illatum, ὥςε ȣ̓κέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σάρξ μία. Cetera uero addita ſunt ad contexendam orationem.

5. καὶ εἶπεν) Deus ipſe per Moſen: ei enim potius adſcribenda ſunt haec uerba, quam *Adamo.* προσκολληθήσεται) *agglutinabitur*, indiuiduo ſcilicet uitae conſortio, quod oſtendunt praecedentia. Magna eſt coniunctio inter parentes et liberos, quum liberi quaſi pars ſint parentum; attamen maior

maior ex inſtituto diuino inter coniuges. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν) εἰς h. l. more hebraeo redundat. בשר ſaepiſſime Hebraeis *hominem* ſignificat, et uox σαρκὸς eodem ſenſu uſurpatur ab Helleniſtis. Simpliciſſima igitur eſt interpretatio, quam ab Hebraeis, ut creditur, acceptam expreſſit *Plato*: ὥςε δύο ὄντας ἕνα γεγονέναι, et uetus prouerbium eſſe *Ariſtoteles* ait de amicis: μία ψυχή. Nulla autem arctior amicitia, quam mariti et uxoris, quae communionem requirit affectuum, corporis, prolis, uitaeque denique totius.

6. ὥςε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σάρξ μία) Videmus hic, duo non *pluribus* opponi, ſed *uni*. Ante foedus matrimonii duo erant, poſtea pro uno cenſentur legis interpretatione. ὃ οὖν θεὸς συνέζευξε) Errant qui hoc ad cauſſas et occaſiones coniugiorum contrahendorum referunt. Non enim de iſtis agitur, ſed de ipſa matrimonii natura cui Deus auctor ineſſe uoluit ius amicitiae arctiſſimum. Si igitur ſine graui culpa, κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, amicitiae ceterae diſſolui non poſſunt, quanto minus iſta, quae tot pignorum uinculo continetur, unde pendet honeſta tum propagatio, tum educatio nobiliſſimi animantis, creati ad diuinam imaginem? ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω) Quod facit, qui aut innocentem uxorem extrudit, aut etiam tolerare recuſat ea, quae ſunt tolerabilia.

7. ἐνετείλατο) Non male ex lege, formam negotio praeſcribente, permiſſionem inferunt. Qui repudianti uxorem praecipit, ut libellum det diuortii, diuortium aliquatenus permittit. Sed non quicquid permittitur, legibus praeſertim ciuilibus, fas piumque eſt, ut Chriſtus oſtendit. ἀπολῦσαι) Cf. c. V, 32.

8. ὅτι Μωσῆς) Deo auctore: sed Mosen nominat, ut legis non communis, primaeuae atque perpetuae, sed Iudaicae pro ratione temporum datae promulgatorem. *Hieronymus* tamen Comment. in h. l. aliter statuit: "Non *Deus* hoc permisisse dicitur, sed *Moyses*, ut iuxta Apostolum consilium sit hominis, non imperium Dei." πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν) πρὸς hic respondet Hebraeo עַל, quod ualet *propter*. Quia ergo obduruerant aduersus aequitatem a natura Deoque praescriptam, ideo Deus iura scripsit, non tanquam optimae reipublicae, sed tanquam faeci Israelis. ἐπέτρεψεν ὑμῖν) *Permissio* opponitur *mandato*.

9. εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ) Deest εἰ in Codd. quamplurimis, et omittitur etiam a Damasc. et Theophyl. Sensus est: *quum non sit adultera*. Quod fauet *Origeni*, dicenti: πορνείας mentionem non fieri in uim strictae exceptionis, sed exempli gratia, nimirum ut grauiores mores a lenioribus discernantur. μοιχᾶται) *Adulterium committit*. Hanc significationem retinendam puto. Qui enim repudio iniusto ualidum matrimonium dissoluit, et aliam uxorem ducit, pro adultero est habendus. Ceterum cf. dicta supra ad c. V, 31. 32.

10. εἰ οὕτως — γαμῆσαι) *Non expedit nubere*. Nam si res ita se habet, ut modo dixisti, etiam cum uxore pessima, omnibus uitiis dedita, uiuendum erit. Αἰτία, דִּבְרָה, *conditio*.

11. οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον) *Non omnes sufficiunt huic rei*; id est: non ita sunt comparati, ut hoc praestare, nempe uxore carere possint. λόγος, *res*. Οὐ χωροῦσι, *non capaces sunt*. Multi enim sunt imbecil-

imbecilliores, quam ut pares ſint ſublimi propoſito. ἀλλ᾽ οἷς δέδοται) *Sed illi tantum, qui huius rei facultatem diuinitus acceperunt.* Δέδοται, ſc. ἐκ Θεοῦ. 1 Cor. VII, 7.

12. εἰσὶ γὰρ — ἐγεννήθησαν οὕτω) i. e. *Sunt homines, quibus natura ipſa uirilitatem ademit.* Hi Veneris aeſtu nunquam uexantur. De ſignificatione uocabuli εὐνοῦχος doctе diſſeruit Cel. *FISCHERUS* de Vitiis Lexicor. N. T. Prolus. XXI. Proprie nempe eſt *cubicularius*, cuſtos cubiculi; deinde *homo caſtratus;* a Matthaeo autem transfertur primo ad hominem natura euiratum, deinde ad eum, qui ſua ſponte coniugio abſtinet. καὶ εἰσὶν — ἀνθρώπων) Videtur Ieſus, (ut monet Fiſcherus) his uerbis complexus eſſe homines euiratos eos, qui a Graecis peculiari nomine θλιβίαι uel θλαδίαι appellantur, quibus, uel induſtria ab ipſis parentibus, aliisque, in ipſo in uitam introitu, uel in progreſſu aetatis caſu quodam et fortuna, teſticuli ita compreſſi ſunt atque contuſi, ut rebus uti Venereis nequeant. καὶ εἰσιν — οὐρανῶν) Intelliguntur ii, qui nec hominum manu, nec malignitate naturae impediti, ſed ſponte ſua libidinis ardorem ita reſtinguunt, ut uxores ducere nolint, quo, curarum ſollicitudinumque coniugii uinculis non impediti, praecepta doctrinae diuinae plenius poſſint cognoſcere, aliisque tradere. ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω) i. e. cui tantum animi eſt, macte iſta uirtute eſto, pergat, Deo fauente.

13. τὰς χεῖρας ἐπιθῇ, καὶ προσεύξηται) Manuum impoſitio apud Iudaeos indicabat inuocationem diuinae potentiae. Hebraeis ſemper obſeruatum, ut ad eos, qui ſanctimonia praeſtare ceteris crederentur, pueros deferrent, ipſorum precibus Deo commendandos per manuum impoſitionem;

qui mos hodieque apud ipſos manet. Hunc autem morem Chriſtus probans, oſtendit, iſti etiam aetati prodeſſe aliorum preces. ἐπετίμησαν αὐτοῖς) Confabulatio de matrimonio et iucunda erat et ſeria; quaeſtiones curioſas Magiſtro proponere in animo habebant; ideo aegre ferunt, ſe intempeſtiue, ut putabant, interpellari.

14. τῶν γὰρ τοιούτων — οὐρανῶν) *His enim qui ſimiles ſunt, ii ſunt apti, ut fiant membra coetus mei.* Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ h. l. ut ſaepe eſt *coetus cultorum Dei*, *coetus Chriſtianorum*, eccleſia. Dicitur regnum Dei *eſſe* alicuius hominis, ſi is eam habet animi diſpoſitionem, ut membrum huius coetus eſſe poſſit. Τῶν τοιούτων, qui animo et ſenſu infantibus ſimiles, modeſti et dociles ſunt, atque diſciplinam facile admittunt. Non dicitur τῶν τούτων, iſtorum infantum, qui in ulnis geſtabantur. Saepe inculcat Ieſus, neminem, ne ultimum quidem hominum, ne infantem quidem minimum eſſe contemnendum. Magnae enim felicitati deſtinatum eſſe hominem quemcunque a Deo. Eo minus, inquit, infantilis aetas iſta ſpernenda eſt, quia et adulti, qui ſe in meam dedunt diſciplinam, debent quaſi repueraſcere, exutis ſcilicet uitiis, quae maior aetas ſuperuexit.

15. ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας) Ita ut ſimul more Hebraeo preces pro iis conciperet. Hoc enim eſt εὐλογεῖν Marc. X, 16. Habebat quidem Chriſtus poteſtatem, dona conferendi etiam ſine precibus, ſed, exemplum nobis praebens, plerumque preces interponebat.

16. εἷς προσελθὼν) Veniſſe hunc, non *calumniandi* animo, ut νομικὸν illum, Lucae memoratum c. X, 25. ſed *diſcendi*

di cupidum, ex *Marco* et *Luca* apparet. διδάσκαλε ἀγαθὲ.) Omittunt nonnulli Codices, uersio Aethiop. *Origenes et Hilarius* ἀγαθέ. Sed uidetur uox omissa esse ab iis, qui non intellexerunt uerba commatis 17. τί με λέγεις ἀγαθὸν; pro quibus substituerunt: τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; Verba: διδάσκαλε ἀγαθὲ per se omnino uerti possent: *Doctor optime*, *dilecte*, *dilectissime*. Sed tum responsio u. 17. non conueniret. Nam multi nobis sunt carissimi praeter Deum. Ἀγαθὸς igitur h. l. uidetur esse *perfectus*, ex usu hebraici sermonis; nam טוב saepe significat *perfectum*. ζωὴν αἰώνιον) Quam Iudaeis tenuiter cognitam aperte a Christo praedicari audiebat.

17. τί με λέγεις ἀγαθὸν, οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεὸς) Codd. nonnulli et Verss. habent: τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστὶν ἀγαθος, quam lectionem *Erasmus*, *Grotius*, *Millius* et *Bengelius* probant. Antiquitas diuersae lectionis inde apparet, quod apud *Origenem* utriusque fit mentio. Putat quidem *GROTIUS*, utriusque lectionis sensum eodem recidere. Sed uidentur potius, qui sic legi uoluerunt, haec uerba retulisse ad illa commatis 16. τί ἀγαθὸν ποιήσω; quasi Iesus dixisset: *Tu ex me quaesiuisti, quid boni faciendum sit tibi, ut consequaris aeternam felicitatem. Cur autem interrogas me de bono agendo?* Sed nihil mutandum esse uidetur. Omnia enim bene cohaerent. Dixerat nempe homo ille Iesu: *Doctor perfecte, quid faciam* etc. Respondet Iesus: *Cur me nominas perfectum? Nemo est ex omni parte perfectus nisi Deus.* Nimirum habuit homo iste Iesum nonnisi pro doctore aliquo, pro mero homine et propheta. Respondet igitur Christus: Cur tu, qui

me

me habes pro doctore, pro homine, me appellas *perfectum?* Si tibi non ſum niſi homo, nimium mihi tribuis. Ingenioſa eſſe uidetur reſponſio, data homini, qui ingenii uiribus polleret. Cf. Marc. X, 21. εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν) nimirum τὴν αἰώνιον, de qua iuuenis interrogauerat. Εἰσέρχεσθαι hic non ipſam uitae aeternae conſecutionem, ſed iter eo directum ſignificat. τήρησον τὰς ἐντολάς) ἐντολὰς uocauit more Hebraeorum praecepta Moſis, in quibus Chriſtus ponit non uiam totam, ſed initium uiae. Haec enim erat iuſtitia legisperitorum et Phariſaeorum: aliam maiorem exigi ad regnum adipiſcendum, Chriſtus docuerat, ſed ab eo quod minus eſt, incipit.

18. ποίας) i. e. τίνας; ita apud *Platonem* aliquoties ποῖα pro τίνα, et in N. T. paſſim occurrit. Videtur autem ideo hoc quaerere iuuenis, quia quum in lege Moſis plurima ſint mandata, in quorum unum aliquod facile ſit impingere, ſcire expetit, ad quae potiſſimum attendere debeat. Chriſtus autem, ad interrogatum reſpondens, ea potiſſima eſſe dicit mandata, quae in officiis mutuis, non quae in ritibus conſiſterent.

20. Πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην) Non falſo hoc eum dixiſſe, quod ad exteriorem et ciuilem iuſtitiam attinet, ex *Marco* diſcimus. τί ἔτι ὑςερῶ;) Quid mihi deeſt ad inſiſtendum iter uitae aeternae? Nam ὑςερῶ τούτου nihil aliud eſt Graecis quam hoc mihi deeſt. Credidit igitur iuuenis iſte, plus aliquid requiri; ſed quid eſſet, ignorabat.

21. εἰ θέλεις τέλειος εἶναι) τέλειος hic dicitur is, qui non tantum doctrinae Ieſu obſequitur, ſed etiam ad eam propagandam

gandam et docendam se obligat, uti fecerant Apostoli. πώλησόν σε — ἀκολέθει μοι) Qui Apostoli munere fungi uellent, omnibus diuitiis et possessionibus suis abdicare se debebant, ut paratiores essent huic negotio. Hoc ergo est, quod et ab isto iuuene exigitur uerbis istis: ἀκολέθει μοι. Sciebat Dominus, curam seruandae augendaeque rei familaris huic iuueni obstituram, quo minus animo ac corpore se in Christi disciplinam traderet: ideo eum tentat, an hoc a se impedimentum remouere possit, diuenditis elargitisque rebus, quae ipsum a uerae sapientiae studio auocabant; i. e. aut omnibus quae possidebat, aut certe iis, quae usibus ipsius supererant.

23. δυσκόλως) Quod hic dixit δύσκολον, infra uocatur ἀδύνατον u. 26. Solent nimirum ista promiscue usurpari in rebus istius generis. Εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν ἐρανῶν, *accedere ad coetum Messiae*, et fieri eius sectatorem. Diuites, inquit Iesus, difficulter fieri possunt sectatores mei. Opes plerumque sunt malorum irritamenta, aut certe bonorum impedimenta. Caussa est, quia plerumque hi, qui diuites sunt, solent diuitiis suis confidere, et quasi in iilis ponere summam boni, ut *Marcus* indicat c. X, 24.

24. ἐυκοπώτερόν ἐςι, — τε θεε εἰσελθεῖν) i. e. *difficillima est res*, ut diues fiat ciuis regni Messiae. Pro κάμηλον duo Codd. habent κάμιλον. Graeci quidam, ut et *Theophylactus* notat, ad funem nauticum haec traxerunt, sed perperam, ignorantia adagii inter Hebraeos et Arabas usitati, non minus de elephante, quam de camelo. *Alcoranus* in Surata Alharab. 7. Non ingredientur paradisum, donec transeat Came-

Camelus foramen acus. Plura exempla habent *Lightfootus* et *Wetstenius*. Adde, quod εἰσελθεῖν, (quae uera est lectio,) de incessu uel ingressu animalis facillime intelligitur, de fune aut rudente non item. In talibus autem adagiis nihil necesse est, exactam inter partes collatas comparationem institui, quum soleant ornari hyperbolis.

25. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ) omittunt αὐτοῦ multi Codd. et Verss. nonnullae. τίς ἄρα δύναται σωθῆναι;) ἄρα h. l. non tantum est particula interrogans, sed etiam illatiua. Mouit apostolos, quod uiderent, etiam eos, qui diuites non essent, tangi tamen diuitiarum cupiditate, et suspicati sunt, si ita se res haberet, ut nemo diuitiarum amans saluari queat, perpaucos habituros esse spem salutis.

26. παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι) Non est humanae opis tam tenacia uincula abrumpere. παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι) Trita inter Hebraeos sententia ex loco Gen. XVIII, 14. *Deus omnia efficere potest*. Potest etiam frangere uim cupiditatum, si homines recte utuntur Euangelio, et enixis precibus auxilium eius implorant.

27. ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι) Duo quae Christus a iuuene exegerat, Petrus a se sociisque suis ait praestita, uere, quanquam ut multi putant, iactantius paullo. Tertium non addit, de bonis uenditis, donatisque pauperibus, quia neque hoc ab illis exegerat Christus, neque conueniebat eorum tenuitati. Hac fiducia interrogat *Petrus*, ecquid praemii sit futurum? Poterat eum Christus retundere, dicendo, quod fecistis, uobis fecistis, non mihi. Sed pro sua bonitate spem illorum fouet, aitque, non carituram peculiari

culiari honoris praemio istam qualiscunque iacturae tolerantiam.

28. ὅτι ὑμεῖς — τῦ Ἰσραὴλ) *Vos, discipuli mei, in magna illa rerum conuersione, quum tanquam Messias gloriose regnabo, proximi eritis mihi dignitate, et Israelitis imperabitis.* Verba ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ quidam coniungunt cum antecedentibus ἀκολυθήσαντές μοι, alii rectius cum sequenti commate. Παλιγγενεσία hic non est *resurrectio mortuorum, et iudicandi, incredulos potestas*, sed potius *ipsum Messiae regnum, inchoandum post resurrectionem Christi* — ingens illa orbis in melius conuersio, quae accessione gentium ad fidem Christi contigit, quam explicationem contextus suadet. Eadem uoce utitur *Iosephus* Lib. XI. Antiquitt. c. III. §. 9. de reditu Iudaeorum e Babylonia in patriam. Et *Cicero* ad Attic. Lib. IV, 6. conditionem suam, qua, reuocatus ab exilio, pristinam dignitatem recuperauerat, uocat παλιγγενεσίαν. Plura loca habet *Wetstenius.* Iudaeis id tempus, seculum futurum appellari constat. Verborum: ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ ἐπὶ θρόνυ δόξης αὐτῦ sensus est: *quum, me esse Regem Messiam certissimis documentis declaratum fuerit,* nempe post resurrectionem meam et ascensum in coelum. Καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνυς, proximum mihi regi honorem occupabitis. Nam metaphorice haec uerba intelligenda esse, facile patet. Κρίνειν hic per Metalepsin denotat *praeesse,* quia plerumque praesides iuri dicundo uacant. Sumta est translatio a ueteri statu regni Israelitici, in quo οἱ φυλάρχαι proxime ad regiam maiestatem accedebant, et in publicis coetibus iuxta eius solium sedebant in sellis curulibus. Sicuti autem Christus per doctrinam et spiritum

suum

ſuum imperauit; ita etiam Apoſtoli leges de religione ferendo praefuerunt iis, qui ex Iudaeis Chriſto nomen dabant. Sed ſpectari poteſt etiam in uniuerſum adiunctum hoc, quod iudex alios dignitate praeſtat. Ergo hac phraſi: *iudicabitis duodecim tribus Iſraelis*, hoc dicitur: omnibus Iudaeis praeferemini; praecipua prae omni illa gente fruemini felicitate.

29. καὶ πᾶς — λήψεται) Poſt πᾶς ὃς addunt τις multi Codd. et Patres nonnulli. *Relinquere uxorem* hic eſt poſthabere uxorem in pietatis negotio. Ἑκατονταπλασία λήψηται, nempe in hoc ipſo ſeculo, ut ſequentis membri oppoſitio euincit, et clare exprimit *Marcus*, c. X, 30. Euentus praedictionem confirmauit; nam pro una domo multa repererunt hoſpitia; pro fratribus et ſororibus paucis innumerabilem diſcipulorum Chriſti multitudinem; pro filiis omnes, quotquot ipſi ad fidem Chriſti conuerterant; pro agris omnia Chriſtianorum bona, quae erant communia. Act. II, 45. IV, 34. 35. Gal. IV, 15.

30. πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ ἔσχατοι πρῶτοι) Quod ſaepiſſime in uita obſeruatur, etiam inter uos locum habebit. Non illi apud me primi erunt, qui ſe primos eſſe exiſtimant, uel quia primi uocati ſunt, uel quia mihi coniunctiores ſanguine, uel aetate collegis ſeniores ſunt: ſed illi primi erunt, qui, licet hac in parte aliis inferiores, doctrinam praedicando plures labores et moleſtias ſuſtinuerint, et maiori alacritate et ſtudio rem geſſerint. Transgreſſio eſt ad ſequentem tractationem.

CAP.

CAP. XX.

1. Ὁμόια γὰρ ἐςιν ἡ βασιλεία τῶν ὐρανῶν ἀνθρώπῳ) i. e. similiter se habet aequitas diuinae dispensationis circa regnum Messiae, ac si quis paterfamilias exiret, et quae sequuntur. De sensu parabolae uide notata ad u. 16. ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ) Abundat ἀνθρώπῳ, uel pro τινὶ ponitur, ex hebraei sermonis consuetudine. ἅμα πρωὶ) simul mane i. e. *cum prima luce.* Vulgata: *primo mane.* ἐις τὸν ἀμπελῶνα ἀυτῦ) *Quos scilicet mitteret* in uineam suam. Vel ἐις est pro ל hebraeo. Syrus: *in usum uineae suae.*

2. ἐκ δηναρίυ τὴν ἡμέραν) Vulgata ad uerbum: *ex denario.* Sed Latini non exprimunt praepositionem. Ἐκ denotat caussam, *propter* quam aliquid fit. Sic ἐκ διαβολῆς, *propter calumniam* habet *Philo* de Ios. τὴν ἡμέραν, subauditur κατὰ, distributiua particula, sed cuius non uidetur propria significatio hic usurpari, quum de uno tantum die agatur.

3. ἐν τῇ ἀγορᾷ) In foro plerumque uersabantur homines otio dediti, quos ἀγοράιυς uocat Lucas Actor. XVII, 5. *forenses* Cicero saepe, Plautus atque alii *scurras.*

6. περὶ δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν) Sero admodum. ἑςῶτας ἀργὺς) Deest ἀργὺς in quibusdam Codd. Verss. et Patribus.

8. ἐπιτρόπῳ ἀυτῦ) *Xenophon.* ὁ ἐν τοῖς ἀγροῖς ἐπίτροπος. Idem οἰκονόμος alibi, latine *dispensator.* ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτον) i. e. nulla ordinis inter ipsos habita ratione, sed ita, ut nemo praetermittatur. Alioqui dicendum fuerat, ἀπὸ τῶν πρώτων ἕως τῶν ἐσχάτων. Sed quum aequitas denotatur, solet inuerti locutio.

9. ἔλαβον ἀνὰ) Acceperunt ſingulos denarios, uel ſinguli denarium unum. Sic uocem hanc ſenſu diſtributiuo uſurpant medici. Loca habet *Wetſtenius.*

11. ἐγόγγυζον) γογγύζω, *murmuro*, *muſſo*, denotat indignationem ſecum ſentire, nec tamen eam licite proferre et aperire.

12. ἐποίησαν) Hebraice עָבְדוּ. Subauditur autem ἔργον. *Opus fecerant*, quomodo Terentius loquitur.

13. ἑταῖρε) Hoc uocabulo ſolemus leuiter notos compellare. Hebraeis רֵעַ ſic ponitur. Latini dicerent: *bone uir*, aut *mi homo.*

14. θέλω δε) Hoc modo reiicere ſolemus importunos reſponſatores: ita uolo; ita mihi uidetur. τῷ ἐσχάτῳ δοῦναι ὡς καὶ σοι) Quum Paterfamilias non ſemel hic promittat, pro ratione operae praeſtitae ſe mercedem praebiturum, conſentaneum eſt ut intelligamus, poſtremos tantum unius horae ſpatio, quantum priores toto die laboraſſe. Reſpexit fortaſſis etiam uoluntatem et animum operariorum.

15. ἐν τοῖς ἐμοῖς;) *in* (rebus) *meis*, i. e. de meo. εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν) εἰ, (pro quo alii legunt ἢ) h. l. non eſt cauſſale, ſed percunctatiuum. Ὀφθαλμὸς πονηρὸς, oculus malus, inuidentiam declarat, quoniam nimirum elucent huiusmodi affectus potiſſimum in oculis. Ἀγαθὸς autem h. l. eſt *benignus*, *beneficus.*

16. οὕτως) Variae ſunt interpretum de ſcopo huius parabolae ſententiae. Secundum *Wetſtenium* Paterfamilias eſt Deus; diſpenſator, Chriſtus, uinea, natio Iudaica Ieſ. V, 1.

Pſ.

Pſ. LXXIX, 9. 15. operarii, Apoſtoli murmurantes, illi ex Apoſtolis, qui tum ſupra alios ſeſe efferebant quod primi uocati eſſent; poſtremi, qui poſt alios uocati erant, praecipue Paulus, qui ſolus plus quam omnes laborauit. Euangelium gratis praedicauit, plurimasque regiones adiuit. Sed huic ſententiae repugnare uidentur ſequentia: πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ, quae in Apoſtolos uix quadrant. Ex *Grotii* ſententia (ad c. XIX, 30.) οἱ πρῶτοι ſunt Iudaei, οἱ ἔσχατοι autem publicani, peccatores et gentiles; et Chriſtus futurum indicat, ut Gentiles, Iudaeis foederis ſecum initi antiquitate ſuperbientibus atque inter Iudaeos hi, qui ob prioris uitae peccata erant contemtiſſimi, aliis poenitentiae remedium contemnentibus, aequiſſimo Dei iudicio praeferantur. Alii aliter. Ego malim *operarios* eſſe in genere omnes eos qui profitentur Chriſtianismum; murmurantes autem eos, qui exteriori iuſtitiae confidunt, nec uera fide et pietate ſunt praediti, ita ut ſit ſenſus: Deum in remunerando non reſpicere ad hominum Phariſaicam ſuperbiam, et peruerſas de ſuis meritis opiniones, ſed ad ueram animi pietatem, et ſingularem in exercendis bonis operibus diligentiam. Reliqua, de temporis quo quisque laborauit, diuerſitate, ſunt acceſſio comparationis, quae ſigillatim applicari ad ἀνταπόδοσιν nihil refert. Hanc explicationem ſequentia uerba ſuadent. πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ) *Multi enim religionem profitentur, ſed pauci eximia mentis indole praediti ſunt.* Κλητοὶ ſunt ii, qui et inuitati ſunt ad regnum coeleſte, et in coetum Chriſtianorum recepti; omnes externe Chriſtiani. Ἐκλεκτὸν eſt, quod in re quaque eſt eximium. Helleniſtae ita ſolent interpretari Hebraeum בחור et בחיר, et alias ſaepe ἐκλεκτοὶ ſunt qui

 aliis

aliis praeſtant, in militia praecipue. Ἐκλεκτοὶ itaque h. l. ſunt uere Chriſtiani, quorum fides et obedientia Deo grata eſt, qui aliis praeſtant.

17. καὶ ἀναβαίνων — εἶπεν αὐτοῖς) Referuntur nunc ultima Ieſu in his terris dicta, fata et facta. Notatu digniſſimum erat, quod Ieſus iam in ultimo in urbem itinere praedixit, quae ſibi eſſent euentura. Ex hoc enim apparebat, non inuitum eum ſuſcepiſſe tot ac tantas moleſtias, ipſumque mortis ignominioſae ſupplicium. Erat etiam haec praedictio inſigne praeſcientiae documentum. κατ' ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ) Seorſim a reliqua ſequentium turba, cui haec non indicauit, ne praedicendo irritaſſe in ſe Iudaeorum odia uideretur. Apoſtolis autem ſaepius eadem dixit, et in dies expreſſius, ut in poſterum teſtes eſſent praeſcientiae ipſius.

18. παραδοθήσεται) Non dicit, ſibi hoc euenturum ab uno Apoſtolorum, ne rixas inter ipſos concitaret. κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ) Non ſententiam iudiciali poteſtate pronunciando, ſed praeiudicio auctoritatis ſuae. Marc. XIV, 64.

19. τοῖς ἔθνεσιν) i. e. τοῖς ἐθνικοῖς, more Hebraeorum, qui גוים uocant non tantum nationes integras, ſed et ſingulos alienigenas. Apertum autem eſt, *Pilatum* intelligi, cum omni ſatellitio ſuo. Actor. IV, 27.

20. αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ) Videtur *Salome* hanc fiduciam concepiſſe ex eo, quod nulla aliorum Apoſtolorum mater Chriſtum ita perpetuo ſectaretur, eique tam ſedulo inſeruiret. Illud τί ipſam petitionis praefationem indicare uidetur;

detur; ſolent enim, qui aliquid ſunt poſtulaturi, praefari, non multa a ſe, ſed unam rem peti, ne inuerecundi uideantur. Haec eſt *Salome*, cuius colloquia quaedam cum Chriſto apud Aegyptios ferebantur.

21. εἰπὲ — βασιλεία σου) *Iube hos duos filios meos tibi eſſe dignitate proximos in regno tuo.* Cf. c. XIX, 28. *Dextrae* Regis aſſidere, ſignificat locum a Rege principem habere. 1 Reg. II, 19. Tertius autem in regno locus conſequenter deſcribitur ſeſſione ad *ſiniſtrum* Regis latus. Nam ut quisque in regno maior; ita Regi in publicis conuentibus propior ſedebat.

22. οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε) *Non intelligitis, quid id ſit, quod petitis.* Exiſtimatis, uos rem poſtulare multis humanis commodis plenam. At longe aliter ſe res habet. δύνασθε — μέλλω πίνειν;) i. e. *Poteſtisne mecum res aduerſas tolerare?* Per כוס hebraeum, cui reſpondet Helleniſtarum ποτήριον, ſignificatur ſors proſpera aut improſpera, quae Deo inſpectante et moderante cuique obtingit. Sed Latini etiam ita loquuntur. *TIBULL. Triſtia cum multo pocula felle bibit. PLAUTUS* Aulul. II, 3. 12. *Nam ecaſtor malum moerorem metuo ne miſtum bibam. Bibere poculum* itaque h. l. ſignificat, *res aduerſas tolerare.* καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι;) Haec uerba et in hoc et in ſequenti commate uideri poſſunt interpretamenti cauſſa ex *Marco* adiecta. Τὸ βάπτισμα, ut ποτήριον, *acerbam ſortem* metaphorice ſignificat; cuius uocis notio e proprio uerbi βαπτίζειν ſignificatu, qui eſt *adſpergere, immergere*, deriuanda eſt.

23. ὐκ ἐςὶν ἐμὸν δῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτόιμαςαι ὑπὸ τῦ πατρὸς μυ) ἐμὸν, sc. ἔργον. Non decet, non licet, non conuenit. Ἀλλ' hic est εἰ μὴ, quemadmodum LXX. saepe uertunt כי אם. Hunc honorem, Christus ait, a se non aliis datum iri, quam quibus a Patre is esset destinatus: gloriam scilicet totius dispensationis ad Patrem referens.

25. ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριέυυσιν ἀυτῶν) *Apud gentes, qui principes sunt dominantur.* Ἄρχοντες quos βασιλεῖς *Lucas* uocat, non reges tantum sunt, sed et praesides, quibus se aequandos sperabant discipuli. καὶ οἱ μεγάλοι κατεξυσιάζυσιν ἀυτῶν) *At potentiores subigunt minores.* Μεγάλοι, ad discrimen *minorum dominorum.* Ἀυτῶν non incommode referas ad ἄρχοντας, non ad ἔθνη, ut sensus sit: quomodo populi tractantur a regibus, ita reges ipsi ab his, qui inter ipsos plurimum uiribus pollent; sic e. g. Romanorum imperatores habebant instrumenta seruitutis et reges.

26. ὐχ' ὕτως δὲ ἔςαι ἐν ὑμῖν) *Vos non decet illos imitari.* Qui uestrum, inquit Christus, in regno meo excellendi desiderio tenetur, is sciat, sibi maius quam ceteris onus ministerii ac seruitutis imponi. Hoc maxime ad tollendam aemulationem pertinebat; nam sortem contrariam regum et principum terrenorum sorti ostendebat.

28. ὥσπερ — διακονηθῆναι) Me potius imitari debetis. Διακονηθῆναι pro ὥςε διακονηθῆναι, ut ei ministrando inseruiatur. Ego exemplum uobis dedi, inquit Christus: neque enim feci quicquam ex meae utilitatis rationibus, neque splendore aut deliciis delector. καὶ δῦναι τὴν ψυχὴν ἀυτῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν) *et uitam suam profundat pro multis;* i. e. *morte sua redimat multorum felicitatem.* Λύτρον proprie est

eſt pecunia quae datur pro captiuuo ab hoſtibus redimendo. Latius uero accipitur, ubi neque de pecunia, neque de captiuis, neque de hoſtibus, quibus pretium ſoluatur, ſermo eſt. Ita ſacrificium piaculare, quod Hebraei uocant אשם, Helleniſtae περὶ ἁμαρτίας, aut ἱλαςικὸν, recte λύτρον dicitur. ἀντὶ πολλῶν) Codex Cantabrig. et quidam Codd. lat. apud Wetſtenium poſt haec uerba habent additamentum, quod etiam *Griesbachius* in editionis ſuae margine exhibet.

29. ἀπὸ Ἱεριχῶ) Chriſtus per Peraeam iter fecerat, c. XIX, 1. iam traiecto Iordane per Ierichuntem pergit Hieroſolyma.

30. δύο τυφλοὶ) Lucas dicit, quod Ieſus unum coecum ſanauerit priusquam Ierichuntem ueniret, et Marcus ait, quod unum ſanauerit, Ierichunte exiens; Matthaeus uero compendii ſtudioſus, ambos illos hoc loco comprehendit, ut uult *Theophylactus*. Alii exiſtimant, ideo unius meminiſſe Marcum et Lucam, quod alter altero fuerit nobilior. υἱὸς δαβὶδ) *Meſſia!*

31. ὁ δὲ ὄχλος — σιωπήσωσιν) Metuebat populus, ne ad aures Phariſaeorum perueniret, Ieſum publice nomine Meſſiae appellari, quod omnibus eum comitantibus crimini dare potuiſſent. μεῖζον,) aduerbialiter: *magis*.

32. ςὰς) quum ſtetiſſet, i. e. *ſubſtitiſſet*. Quum Ieſus iam morti eſſet proximus, non recuſauit titulum Meſſiae. τί θέλετε ποιήσω ὑμῖν;) Vt fides poſcentium manifeſta fieret.

33. ἀνοιχθῶσιν) ut ſupra c. IX, 30.

CAP. XXI.

Inter praecipua Iesu Christi facta notandus est ultimus ille, isque maxime solennis in urbem Hierosolymitanam ingressus, quem omnes quatuor Euangelistae commemorandum esse iudicauerunt. Ab hoc Iesu introitu in urbem usque ad uesperam, qua a Iudaeis captus est, spatium est quinque dierum. Sunt nostra hac aetate, qui calumnientur, fecisse Iesum spem externi et ciuilis regni a se instituendi, res nouas molitum esse, adeoque seditionibus dedisse occasionem. Sed hanc calumniam res ipsa refellit. Nam per hos quinque dies nihil aliud fecit Iesus, quam quod per triennium fecerat; nihil noui spectauit, sed se sui prorsus similem gessit. Declarauit quidem liberius et luculentius quam unquam antea, se esse Messiam; ingressus est urbem inter publicas acclamationes; singulari usus est auctoritate, regiique aliquid prae se ferre coepit; sed a seditione excitanda, et rebus nouis moliendis adeo alienus fuit, ut potius omnem affectati regni politici suspicionem quam longissime a se amoueret. Nam, ut legimus Luc. XXI, 37. interdiu in templo docuit per hos quinque dies, sed noctu, egressus urbe, pernoctauit circa montem, qui mons olearum dicitur, in solitudine, remotus a turba hominum. Quum uero per triennium multa fecisset, quae fidem facerent, se esse Messiam a Deo promissum, iam tandem publice etiam profiteri uoluit ac debuit id, quod Iudaei ex dictis et factis colligere potuissent, si mens fuisset recta. Sed in omnibus ita se gessit, ut facile pateret, se non affectare regnum ciuile, nec talem esse Messiam, qualem Iudaei sibi fingebant.

1. καὶ ὅτε — Βηθφαγῆ) Infima pars olìueti, proxime ad urbem procurrens cum parte Hierofolymorum proxime adiacente uocata eſt Bethphage a *groſſis*; a בית et פג, *groſſus*. Quamuis enim praecipue ab oliuis nomen deſumeret mons *oliuetus*, produxit tamen et ficus et palmas, et pro harum uarietate in diuerſis montis tractibus enaſcentium, uaria etiam iſtis tractibus indita ſunt nomina. *Gem. Sota.* 9. inuenerunt ſenem rebellem in Bethphage ter. *Gloſſa*: quicquid eſt in ambitu exteriore Hierofolymorum, uocatur Bethphage.

2. καὶ εὐθέως — ἀγάγετέ μοι) Aſinis uehi non ſolum ignobiliores, ſed et honeſtiores, ipſique Principes ſolebant; quia terra Canaan non adeo ferax erat equorum, quam uicinae regiones et praecipue Aegyptus. Equis in bello maxime utebantur. Hodie adhuc frequentem eſſe uſum aſinorum in oriente, notum eſt.

3. ἀποστελεῖ) ἀποστέλλει habent Codd. tantum non omnes. Notum fuiſſe Ieſum iis, ad quos miſſi fuerunt diſcipuli, per ſe patet.

5. τῇ θυγατρὶ σιών) i. e. *ciuitati Sion*. Nam familiare eſt Hebraeis filiarum nomen urbibus ipſis accommodare. ἰδȢ, ὁ βασιλεύς σȢ ἔρχεται) Zachar. IX. 9. quod dictum Iudaei magno conſenſu de Meſſia interpretantur. Vide loca a Wetſtenio citata. ἐπὶ — υἱὸν ὑποζυγίȢ) Πῶλος, ὄνος et υἱὸς ὑποζυγίȢ ſunt Synonyma. Υἱὸς ab Helleniſtis etiam uſurpatur de *animalibus*, ex Hebraiſmo frequentiſſimo, et ὑποζύγιον eſt animal, ſub iugo incedere ſolitum, ſ. geſtandis oneribus aſſuetum.

7. ἐπέθηκαν ἐπάνω ἀυτῶν τὰ ἱμάτια ἀυτῶν) *Vni illarum bestiarum imposuerunt uestimenta sua.* Sic Iudic. XII, 7. Iephta sepultus dicitur *in urbibus* Gilead, h. e. *in una illarum.* Similia loca ex *Iosepho* apud Krebsium inuenies. ἐπεκάθισαν) Multi Codd. Verss. et Patr. habent ἐπεκάθισεν, *insedit.*

8. ἔστρωσαν ἀυτῶν τὰ ἱμάτια) Lightfootus putat, eos iuxta uiam tentoriola et tabernacilla ex uestibus et ramis confinxisse, ad morem festi Scenopegiae. Sed substrauisse uidentur ipsi uestes, tanquam *tapetes,* ut 2 Reg. IX, 13.

9. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ) *Opitulare Messiae.* Hebr. הוֹשִׁיעָה—נָּא *serua,* uel opitulare quaeso. Fuit autem haec solennis formula acclamationis, ideoque hebraice expressa ab Euangelistis, qua utebantur Iudaei in festo tabernaculorum, quum ramos gestarent ex Domini mandato, Leuit. XXIII, 40. Tunc etiam recitabant Psal. CXVIII, 24. 25. Quumque festum summa laetitia peragerent, eodem modo laetitiam ob aduentum Messiae, cuius tempora omnibus festis repraesentari credebant, iam exprimunt. ἐυλογημένος) ברוך, laudandus et extollendus. ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου) *Qui uenturus erat diuino mandato ac potestate.* ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις) sc. μέρεσι, uel οὐρανοῖς. *O qui es in coelis altissimis,* ut *Beza* uertit. Erant igitur gratulationes publicae et maxime solennes, quibus excipiebat populus dominum. Permisit autem Iesus, ut haec fierent, quia iam tempus aderat, quo declarandum et profitendum erat publice, se esse illum Messiam a Deo promissum, omniumque Iudaeorum uotis diu expetitum.

10. καὶ εἰσελθόντος — ἡ πόλις) Tota ciuitas Hieroſolymitana ad hos motus erecta fuit, uariis haud dubie pro ingeniorum diuerſitate motibus excitatis, trepidantibus Phariſaeis, inueterato odio atque inuidia actis, exultantibus iis, qui ſpem patrum mox implendam ſperarent.

11. ὁ προφήτης) Quem hactenus ut prophetam agnouimus, nunc ut uerum Meſſiam ueneramur.

12. εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ θεοῦ) Chriſtus hic ſe geſſit pro domino templi, et filio Dei, egitque pro auctoritate, omnibus circumſpectis, Marc. XI, 11. ut qui in domo ſua uerſaretur. τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ) Conſtans et perpetuum erat emporium in templo, in loco iſto, qui uocabatur חניות, *tabernae*, in quibus indies uendebantur uinum, ſal, oleum, aliaque requiſita ad ſacrificia; itemque boues et pecora, in ſpatioſa area atrii gentium. Auxerat emporium appropinquans *Paſcha*, ad quod quum requirerentur innumera pecora, diuendenda illuc adducebantur. τῶν κολλυβιστῶν) Quinam fuerint iſti *collybiſtae*, optime diſcas ex *Talmude* et *Maimonide* in tractatu Shekalim. Cap. I. *Praeceptum affirmatiuum eſt de Lege, ut det unusquisque ex Iſraele dimidium Sicli annuatim; etiam pauper qui ex eleemoſyna ſuſtentatur, ad hoc tenetur, ab aliis nummum emendicans* etc. Trapezitae uendebant peregre aduenientibus hemiſiclum, non ſine lucro. Idem c. 3. *Opus eſt, ut habeat unusquisque hemiſiclum, quem pro ſe perſoluat. Quum ergo accedit ad Trapezitam, ad Siclum mutandum duobus hemiſiclis, lucrum ei aliquod reddere tenetur, quod uocatur* קולבון (κόλλυβος.) τῶν πωλούντων τὰς περιστεράς) Columbis defungebantur pauperes uice maiorum uictimarum,

ctimarum, ut passim in *Mose* uidere est. Has autem solebat, accepto pretio, dare offerentibus praefectus oblationum, ut notat *Maimonides* de *Instrumentis sanctis* cap. VII. cui consentit liber *Shekalim* cap. V. sect. 1.

13. γέγραπται — κληθήσεται) Ies. LVI, 7. *Aedes mea precibus destinata est.* Marcus ex Iesaia addit πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν. Recte. Nam atrium gentium Proselytis etiam et omnibus uerum Deum colentibus ex aliis nationibus patebat. Sed strepitus negotiatorum impediebat cultum Dei. σπήλαιον λῃστῶν) Latro est, et templum Dei in latronum conuertit specum, qui lucra de religione sectatur; cultusque eius non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. Mercatores e templo eiecit Iesus bis, semel primo muneris anno, quo uenit Hierosolyma, (Io. II, 14.) iterum nunc paullo ante mortem. Iudaei in hoc, quod emporia habuerunt in templo, imitati sunt Graecos et Romanos, qui in porticibus templorum habebant eiusmodi fora. Hanc templi profanationem tolerare Iesus noluit. Ceterum nulla hic esse uestigia seditionis, facile intelligitur. Nam Iesus pro auctoritate sua solus hoc fecit, nec turba hominum nec discipulis adiuuantibus.

15. παῖδας κράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ λέγοντας, ὡσαννὰ) Pueri uel a primis annis edocti sunt fasciculos tractare, atque agitare, atque agitantes *Hosanna* canere. *Succah*, cap. 3. Repetebant itaque uerba, quae ex parentibus uel aliis maioribus natu audiuerant, ut puerilis aetas adultorum facta imitari solet.

16. ὀδί-

16. οὐδέποτε ἀνέγνωτε) Pſ. VIII, 3. θηλαζόντων) θηλάζον hic pro eo cui lac praebetur; alibi pro ea quae lac praebet. ἆινον) ἆινος, ὁ ἔπαινος, *collaudatio*, *laus*.

17. ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως) Non pernoctauit Ieſus in urbe ſed potius in uillis prope urbem, praecipue in latere montis olueti ſitis. Luc. XXI, 37. Hoc autem fecit non tantum propter inſidias uitae ſuae ſtructas, ſed etiam, ut omnem affectati regni terreſtris ſuſpicionem quam longiſſime a ſe amoueret, quam fouere poterat urbs per ſe populoſa, concurſus aliunde ad feſtos dies, et nocturnum tempus eiusmodi conatibus opportunum. Cf. Io. VI, 15. εἰς Βηθανίαν) *Hieronymus* de loc. Heb. Villula in ſecundo ab Aelia milliario in latere montis olueti. ηὐλίσθη) Vtuntur hac uoce Graeci ſaepe, ut uertant לון, quod eſt *pernoctare*. Sed poteſt hic proprie ſumi haec uox, ut ſignificet *ſub dio agere*. Luc. XXII, 38.

19. καὶ ἐξηράνθη παραχρῆμα ἡ συκῆ) Solebat Chriſtus per ſigna et ſymbola doctrinam ſuam adumbrare. Hic ficum, arborem in Iudaea uiliſſimam, et quidem nulli propriam, ſed in uia publica ſtantem, arborem quae neque fructus ferebat neque promittebat, elegit, in qua demonſtraret, tantam ſuam eſſe potentiam ad puniendos nocentes, quantam demonſtrauerat in beneficiis conferendis; et ſimul praefiguraret imminens Iudaeorum contumacium exitium, quod tempore fructuum nullos tuliſſent, ut clarius indicatur a comm. 33. ad 41.

21. τὸ τῆς συκῆς) ſc. γενόμενον, *hoc quod factum eſt ficui*. τῷ ὄρει τούτῳ) Vide ſupra c. XVII, 20.

22. πάν-

22. πάντα) Vide ſupra c. XVIII, 91.

23. οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ) καὶ οἱ γραμματεῖς, quod addit *Marcus*. His tribus hominum generibus deſcribitur ſynedrium magnum, cuius erat, ueros falſosque prophetas diſcernere. Cf. Marc. XI, 28. Diſputabant autem cum Ieſu, magna populi multitudine praeſente; quod innuunt uerba: προσῆλθον αὐτῷ διδάσκοντι. ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ;) *Qua auctoritate?* Vnde tibi ius iſtud? Nam ſynedrii erat, ius docendi in templo concedere, ab iis autem nullum ius Chriſtus acceperat. Supererat igitur, ut Dei mandato ſe tueretur, cuius in templum ius ſummum erat. ταῦτα ποιεῖς) nempe, quod publice doces, et nuper propria auctoritate negotiatores e templo eieciſti.

24. λόγον ἕνα) *rem quandam*, דבר. Non aperte reſpondit Chriſtus ad eorum interrogationem, ſed aliam iis quaeſtionem propoſuit, qua affirmata, prono nexu ſequebatur, Ieſum eſſe Meſſiam.

25. τὸ βάπτισμα — ἀνθρώπων;) Senſus eſt: *A quo Ioannes poteſtatem accepit docendi et baptizandi? An a Deo, uel ab hominibus?* Τὸ βάπτισμα eſt ſynecdochice Ioannis praedicatio totumque adeo eius miniſterium. Marci I, 4. Οὐρανὸς, coelum, apud Thalmudicos frequenter ſignificat Deum, et ſolet opponi coelum hominibus. διελογίζοντο) Rationes conferebant in utramque partem, ut conſtat ex ſequente dilemmate. οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ) Tum in ceteris, tum in teſtimonio, quod de me perhibuit. Nam Ioannes non ſemel declarauit, Ieſum eſſe uerum Meſſiam.

27. ὐδὲ — ποιῶ) Errant, qui effugia et latebras Christum quaesiuisse, et quaestionem quaestione elusisse, sibi persuadent. Expectabat potius responsionem, ex qua argumenta demonstrandae rei, de qua agebatur, peti potuissent. Postquam uero inimicos ita deprehendit animo peruersos, ut fateri, quod res erat, nollent, se quoque dicturum negauit, ex qua potestate faciat ista. Et sane frustra fuisset eius oratio, dissimulantibus illis ex malitia factum, in totius populi sensus incurrens, in quo manifesta auctoritatis suae argumenta posita essent. Contentus igitur erat, malitiosae calliditatis eos conuicisse, paratus interea, si ingenue fuisset responsum, ex ipsa responsione auctoritatem suam eiusque origines demonstrare. Ne autem aliquid intentatum relinqueret, quod ad eos reuincendos pertineret, parabolas addidit u. 28. sqq. quibus peruersos eorum mores, contumaciam, malitiam et secuturas iustas poenas graphice depingit.

29. εἶπεν. ὐ θέλω) Imago publicanorum et meretricum, qui diu ita uixerant, quasi iura negarent sibi nata.

30. ἐγὼ Κύριε) sc. ὑπάγω, quod etiam Codd. nonnulli addunt. *Praesto adsum.* Filius hic imago est principum Iudaeorum, qui oratione ac uultu pietatem profitebantur, reuera homines superbi, inuidi, crudeles.

31. προάγυσιν ὑμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν) Duces uobis monstratoresque sunt itineris ad regnum coelorum, poenitentiae scilicet. Non sequuti estis illos recte ducentes, quorum uos duces esse oportuit.

32. ἐν

32. ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης) Continuari uidetur translatio coepta in uoce προάγουσι. Nam ὁδὸν δικαιοσύνης appellat doctrinam Ioannis, ut ſit ſenſus: *docens, quomodo ad ueram* uirtutem peruenire poſſetis.

33. ἀμπελῶν) eſt imago reipublicae et religionis iudaicae, Deo auctore conſtitutae. φραγμὸν αὐτῷ περιέθηκε) Vineam ſepe circumdedit, ne beſtiae uaſtarent. ᾠκοδόμησε πύργον) turrim extruxit, unde tanquam e ſpecula fures obſeruarentur a cuſtodibus. Sepem, turrim, torcular nihil neceſſe eſt ſigillatim explicare, quum in uniuerſum iis omnia ſignificentur, quae aut ad tutelam aut ad ornatum pertinent: omnia denique beneficia, quibus ad bonam frugem a Deo prouocamur. ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς) Ἐξέδοτο, *elocauit*, certa fructuum pactione, quod genus colonos Romani partiarios uocant. Sequitur enim: ἀπέστειλε λαβεῖν τοὺς καρποὺς αὐτοῦ. Γεωργοὶ in applicatione parabolae ſunt doctores et primores populi.

35. ἔδειραν) Ponitur δέρω pro δαίρω, uirgis et fuſtibus caedo, ut Actor. XXII, 19. Alias δέρειν eſt pellem detrahere. Sic Iudaei Prophetas uexarunt et trucidarunt.

37. ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου) Oſtendunt haec uerba, non quid futurum eſſet, ſed quid iure ac merito expectaretur.

38. κατάσχωμεν τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ) His uerbis oſtenditur, ſacerdotes ac principes Iudaici populi hoc egiſſe ſummo ſtudio, ut diuinam legem cogerent ambitioni ſuae et quaeſtui inſeruire; quod idem eſt, ac ſi colonus domino poſſeſſionem interuertat.

41. κα-

41. κακὺς κακῶς ἀπολέσει) *malos male perdet.* Loquutio petita ex puriſſimo ſermone Graeco. Ex collatione aliorum ſcriptorum apparet, primum hoc ſimpliciter dixiſſe ſenatores, ignaros quo ſenſus dicti euaderet; quum uero Chriſtus apertius ſignificaſſet, ad ipſos haec pertinere, auertiſſe a ſe omen.

42. ὐδέποτε ἀνέγνωτε) Pſ. CXVIII, 22. Quod minime in ſe quadrare poſſe arbitrabantur, id ad ipſos potiſſimum, ad plebem autem conſequenter pertinere *Ieſus* oſtendit Pſalmi teſtimonio. λίθον — γωνίας) *Lapis, inutilis uiſus architectis, lapis angularis eſt factus.* Ego, quem ne dignum quidem ueſtrae ſocietatis membrum iudicatis, ſum caput eccleſiae ſummum, uerus Meſſias. λίθον, pro λίθος, ut in illis *Petronii* uerbis: Hunc adoleſcentem, quem uides, malo aſtro natus eſt. *Virgil*: Vrbem, quam ſtatuo, ueſtra eſt. Οἱ οἰκοδομῦντες, i. e. οἱ ἀρχιτέκτονες, more hebraeo, Participium pro nomine. Εἰς κεφαλὴν γωνίας, eſt genus dicendi hebraicum, pro: κεφαλὴ γωνίας, hebr. ראש פנה. Caput autem h. l. eſt *extremitas, die Ecke. Lapis angularis* totius aedificii iuncturam ſuſtinet, et primus in oculos incurrit; ergo eſt Symbolum hominis, qui omnibus eſt conſpicuus, et magna praeditus auctoritate, ſicuti contra lapis repudiatus ab aedificantibus eſt Symbolum hominis contemti. Senſus igitur huius dicti eſt: Is, qui ab omnibus contemtus erat, a Deo in luce collocatus, et magno honore affectus eſt. Chriſtum intelligi, dubio caret. Is enim, quem Iudaei ne in uiuis quidem uidere uoluerunt, et interfecerunt, a Deo omnium dominus eſt declaratus. Sententia haec, a Chriſto ad exprobrandam Iudaeis coecitatem

ſuam et in ipſo repudiando peruicaciam ex V. T. oraculis allegata, identidem in N. T. repetitur, e. g. Act. IV, 11. Rom. IX, 33. 1 Petr. II, 6. παρὰ — ὀφθαλμοῖς ἡμῶν) Αὕτη, ſc. κεφαλὴ γωνίας. *Is ipſe lapis angularis a Domino nobis obtigit, et eſt mirabilis in oculis noſtris.* Retinuit Matthaeus uerſionem Alexandrinam, tanquam uſu tritam, quae hic plane et tantum non moroſe Hebraeum textum expreſſit. Alii foemininum poſitum eſſe exiſtimant pro neutro, τοῦτο uel ταῦτα, hebraico more, uel *haec res*, זאת. Quicquid ſit, ſenſus omnino eſſe uidetur: Deo ita uolente, is qui contemtus erat ab hominibus, Dominus omnium conſtitutus eſt; quae res omni admiratione eſt digna.

43. διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν) *Propterea*, quia hunc lapidem reieciſtis, ampliusque reiecturi eſtis, *confirmo uobis.* ὅτι ἀρθήσεται — καρποὺς αὐτῆς) *Regnum Dei uobis eripietur et alii nationi tradetur, quae fructus ſuos edet*, accommodate illi doctrinae uiuet. Senſus eſt: Iudaica natio non amplius erit populus Dei; alia natio habebitur pro populo Dei, dignior hoc nomine.

44. καὶ ὁ πεσὼν — λικμήσει αὐτὸν) Alludit Ieſus ad uerba Ieſ. VIII, 14. 15. et XXVIII, 16. ubi lapis offenſionis commemoratur. Quoad rem idem bis dicitur, nempe *lapidem illum nocere labendo.* Ex loco ſimili 1 Petr. II, 8. patet, *labi* hic eſſe repudiare doctrinam chriſtianam, adeoque Meſſiam. Qui in illo lapide offendunt et labuntur, ii oſſa frangunt, in partes comminuuntur. In allegoria igitur ineſt hoc: Qui Meſſiam eiusque doctrinam repudiant, ii miſeri ſunt et erunt.

CAP.

CAP. XXII.

Similis parabola extat Luc. XIV, 16. ſqq. alio tempore propoſita. Iterum Ieſus Iudaeis exprobrat contumaciam, beneficiorum diuinorum contemtum ac animi leuitatem, iisque iuſtas poenas comminatur.

2. γάμυς) γάμοι hic non ſunt *ipſum matrimonium*, ſed *conuiuium*, ut uertit Syrus. Cf. *Eſther*. I, 5. ubi τοῖς LXX. משתה eſt γάμος. Regnum coelorum h. l. eſt regnum Meſſiae in hoc ſaeculo; conuiuio autem dona Chriſtianorum coetui deſtinata, ſignificantur.

3. καὶ — δύλυς — κεκλημένυς) Serui in applicatione parabolae ſecundum alios ſunt Prophetae V. T. ſecundum alios Apoſtoli, a Chriſto in his terris uerſante miſſi ad inuitandos Iudaeos ad regnum coelorum. Κεκλημένοι ſunt *conuiuae*, ſiue ſemel ſint, ſiue bis inuitati. Quod nonnulli putant, ita tuliſſe Veterum mores, ut futuri conuiuae bis inuitarentur, primum iuſto tempore ante conuiuium nuptiale, ut conuiuae rite ſe praeparare poſſent; deinde breui ante epulas ipſas, ut opportune adeſſent, id uix Veterum auctoritate confirmari poterit. Hi autem κεκλημένοι ſunt Iudaei.

4. πάλιν ἀπέςειλεν ἄλλυς) Significatur inuitatio apertior, facta per apoſtolos eorumque adiutores, poſtquam, Chriſto reſuſcitato, in coelum euecto, et *ſpiritu* deſuper miſſo, nihil ultra diuinae liberalitatis requiri poterat. ἰδὺ — ἕτοιμα) Opes regiae his uerbis deſcribuntur, quae ſunt imago beneficiorum per Chriſtum et doctrinam eius oblatorum. Verbum θύειν, quum de ſacrificiis proprie dicatur, poſtea ad alias etiam epulas tractum eſt.

5. ἀπῆλθον, ὁ μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν) Caducarum rerum ſtudio beneficia aeterna poſthabuerunt.

7. τὰ στρατεύματα αὐτοῦ) *Copias ſuas.* Significantur Romani, qui licet inſcii diuinorum decretorum, Hieroſolyma deuaſtarunt.

8. οὐκ ἦσαν ἄξιοι) nimirum celebritate iſta nuptiarum; ſeu non merebantur, ut huic nuptiarum celebritati intereſſent.

9. εἰς τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν) *in compita uiarum*, i. e. laxiora in urbibus ſpatia, in quae plures uici deſinunt, aut potius in *exitus* uiarum ruſticarum. Vid. Fiſcheri Prolus. 28. Ὁδοὶ intelliguntur non urbicae, ſed ruſticae, quae ſint imagines agrorum gentium exterarum, ad quas Deus poſt reditum Chriſti in coelum Apoſtolos miſſurus erat.

10. ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων) *completum eſt nuptiale conuiuium conuiuis.* In uno exemplari legitur νυμφὼν thalamus, ſine dubio ex interpretamento.

11. εἶδεν ἐκεῖ ἄνθρωπον οὐκ ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου) i. e. hominem haud praeparatum ad conuiuium, ſed ſordidis ueſtibus indutum. Similis parabola reperitur in *Koheleth* R. IX. 8. et *Midraſch Miſchle* XVI, 11. ubi illi qui curarunt et unxerunt ſe, poliuerunt ueſtimenta ſua, et praepararunt ſe ad conuiuium, opponuntur illis, qui dederunt operam negotiis ſuis, et in regium palatium intrarunt *in turpitudine ſua.* Homo ſordidis ueſtibus indutus h. l. eſt, qui externe quidem profitetur religionem, ſed turpiter uiuit.

12. ἑταῖρε — γάμου;) Quum inhumani et iniuſti domini uideatur, hominem ex triuiis in conuiuium adactum, atque adeo

adeo ſine ſua culpa male ueſtitum, ex conuiuio hanc ob rem praecipitem dare; hanc difficultatem ita tolli poſſe poſt b. Wolfium nonnulli putant, ut dicant, ipſos conuiuii dominos eiusmodi ueſtes nuptiales exhibere conuiuis ſolitos fuiſſe. Sed hunc ritum apud Veteres uiguiſſe, facilius dicitur, quam probatur. Nam Iudic. XIV, 12. ne ueſtigium quidem iſtius ritus animaduertitur. Homo iſte non eiectus eſſe uidetur eo quod pretioſa ueſte non eſſet indutus, ſed quod haud praeparatus, ex leuitate animi, ſordida, et illota ueſte intraſſet. ἐφιμώθη) *obmutuit*, *ſeu conticuit*, quia excuſare ſe non poterat.

13. διακόνοις) *miniſtris*, i. e. iis, qui conuiuis miniſtrabant. εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον) Vide ſupra c. VIII, 12.

14. πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ) Vide ſupra c. XX, 16.

15. οἱ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον) Synedrium Chriſtum interrogauerat, qua auctoritate munus docendi et abuſus templi reformandi ſuſcepiſſet, c. XXI, 23. ſqq. Quum autem publica auctoritate nihil profeciſſent homines callidi, iam Phariſaei priuatas molitiones adhibent, et captioſis quaeſtionibus eum tentant. ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ) i. e. ut aliquid ab ipſo elicerent, cuius obtentu accuſari poſſet rerum nouatarum apud Romanum Praeſidem. Nam alioqui nulla ſpes erat, illum interficiendi.

16. μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν) Huius uocis terminatio *latina* eſt, (ut Ciceroniani, Pompeiani, Caeſariani,) Euangelium hebraicum, quod Mercerus edidit, *cum ſeruis Herodis*, i. e. aulicis. Hi itaque ſtabant a partibus Herodis. Is autem neque Caeſaris dominationi neque Iudaeorum libertati fauebat; ſiue ergo cum illo, ſiue cum his feciſſet Chriſtus,

aeque Herodianos offendiſſet. Nam Herodes ipſe ſibi quaerebat imperium ſummum. ἀληθὴς εἶ) ueritatis es amans. τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ) Hebr. דרך qua uia hominibus ſit incedendum ut ad Deum et felicitatem aeternam perueniant, i. e. *legem diuinam, praecepta uitae Deo placentia, religionem.* ἐν ἀληθείᾳ) באמת, uere et ſincere. οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενὸς) Nempe quo minus ea praecepta fideliter tradas. οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων) πρόσωπον, Heb. פנים, *perſona*, uel externa perſonae conditio. Senſus eſt: Nullius hominis, qualicunque ſit dignitate, aut uitae ſorte, reſpectum habes.

17. ἔξεστι δοῦναι κῆνσον καίσαρι) *Licetne?* ſc. per ciuitatis et religionis noſtrae inſtituta. Haec enim praeſcribebant, ut Iudaei Deo ſoluerent tributum, Exod. XXX, 12. quod deſtinatum erat uſibus templi Hieroſolymitani. Ex quo autem *Pompeius* Syriam fecerat prouinciam Romanam, et ſimul Palaeſtinam Syriae finitimam ſubiecerat imperio Romano, tributum ſoluendum erat etiam Romanis. Erat itaque tum temporis Iudaea prouincia tributaria, et Κῆνσος h. l. nihil aliud eſſe uidetur quam *tributum prouinciis impoſitum.* Iudaei impatienter tulerunt hoc onus, et quaerere coeperunt, an cum officio, quod ſibi ipſis, quod ciuibus, patriae et poſteris, imo quod Deo ipſi deberent, conſiſtere poſſet obedientia Romanis praeſtita? Negabat hoc *Iudas Galilaeus*, cum Zelotis, ad ſeditiones pronis, quorum partibus etiam Phariſaei fauebant. Ioſeph. XVIII, 1, 1. Aliis contra, qui pacem ſuadebant, rebellio non tam iniuſta, quam inutilis et intempeſtiua uidebatur. Ioſeph. de B. I. II, 16. 4. Vicit tandem ſententia eorum, qui defectionem agitabant,

agitabant, tanta animorum conſpiratione, ut tota natio ad arma concurreret, omnesque communi exitio inuoluerentur. Ergo ualde captioſa erat quaeſtio Ieſu propoſita.

18. τὴν πονηρίαν αὐτῶν) Exiſtimabant Phariſaei, ſe ita callide Chriſto laqueos tetendiſſe, ut, quocunque ſe uerteret, illos effugere non poſſet. Si pro Romanis diſerte pronuntiaſſet, ciuium ſuorum et diſcipulorum animos a ſe alienaſſet. Si uero contra Romanos pronuntiaſſet, imo ſi uel uerbum dixiſſet, quod eo ſpectare poterat uideri, ipſum tanquam ſeditionis auctorem poteſtati praeſidis tradidiſſent. Luc. XX, 20. XXIII, 2.

19. τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου) Date mihi nummum aliquem eius monetae, in qua tributum exigi ſolet. In eo autem nummorum genere uſitatiſſimus erat denarius.

20. τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή;) Nummos imperantium uultu ac nomine ſignari, Perſicum creditur eſſe inſtitutum.

21. ἀπόδοτε — τῷ Θεῷ) *Soluite igitur Caeſari, quod debetis Caeſari, et Deo quod debetis Deo.* Si uos eſtis uicti a Romanis, et ualet inter uos moneta Romana, ſequitur, uos ſoluere debere tributum Romanis. Sed ſoluendum eſt etiam tributum in uſus templi, ob legem diuinam. Videtur tunc temporis mos obtinuiſſe, ut, ubicunque numiſma alicuius regis obtineret, illic incolae regem iſtum pro Domino agnoſcerent. *Maimon.* in Gezelah c. 5. *Hieroſ. Sanhed.* quod a moribus noſtris alienum eſt. Videtur ergo reſpondiſſe Chriſtus, pecuniam Caeſari reddendam eſſe, quoquo modo ſe res haberet, ſiue dominus Iudaeorum eſſet,

ſiue non eſſet. Vide tamen *Michaelis* Moſaiſches Recht. P. III. p. 216. ſqq. Ceterum ſi quid Caeſar, aut alia poteſtas praecipiat aduerſum legi diuinae, Deo potius quam hominibus parendum eſt. Ita Chriſtus ſapientiſſimo reſponſo et ſeditionis motae et uiolatae religionis calumniam in quaeſtione inſidioſiſſima effugit.

23. σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν) Non tantum reſurrectionem corporum, ſed et animorum immortalitatem, et praemia futurae uitae negabant Sadducaei. Fundamentum huius opinionis fuit, nullam ſubſtantiam eſſe extra Deum praeter res ſenſibiles. Act. XXIII, 8.

24. μὴ ἔχων τέκνα) *Sine liberis.* Prudenter Matthaeus hic poſuit τέκνα, et ſtatim μὴ ἔχων σπέρμα, quomodo זרע ponitur Gen. XXXVIII, 8. quod ad utrumque ſexum pertinet. Luc. XX, 28. ἄτεκνος. Extat lex, de qua h. l. agitur, Deut. XXV, 5. ſqq. ἐπιγαμβρεύσει — τὴν γυναῖκα αὐτοῦ) Vocabulum ἐπιγαμβρεύειν reſpondet hebraico יבם, quod ſignificat *iure affinitatis aliquam ducere*, quomodo et LXX. τὸ ἐπιγαμβρεύειν uſurpant Gen. XXXVIII, 8. Ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, uel, eo recuſante, proximus agnatus, ſaltim ex poſteriorum temporum conſuetudine, ut ex Ruthae hiſtoria liquet. Hoc autem intelligitur de eo, qui maritus non eſſet. σπέρμα) *ſobolem*, hebr. זרע, *poſteritatem*; in Ruthae hiſtoria τὸ ὄνομα, quia nimirum lex illum poſtnatum filium defuncti nuncupabat. Ergo τῷ ἀδελφῷ eſt *in memoriam atque honorem fratris.*

25. ἀφῆκε) Quomodo haereditas relinqui dicitur.

28. τίνος τῶν ἑπτὰ ἔϛαι γυνή) Pharifaei ftatim poft inchoatum uifibile regnum Meffiae, quale fibi animo fingebant, refurrectionem futuram effe putabant; unde *Iofephus* Pharifaica de futurae felicitatis ratione commenta comparat iis, quae apud Graecos de fortunatis infulis canebantur. Sadducaei autem a Chrifto putabant refurrectionem doceri fecundum easdem opiniones, quibus utebantur Pharifaei, qui talia futura corpora fibi animo fingebant, qualia funt in his terris.

29. μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς) nimirum *uerum fenfum fcripturae.* μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ) Putabant enim, non poffe fuftentari animas fine corpore carneo.

30. ἀλλ᾽ ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσι) Senfum explicat Lucas: οὐ γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται. *Nam angelorum funt fimiles.* Atqui hi funt fpiritus, nullo corpore carneo inftructi. Si igitur nos in futura illa uita angelorum fimiles erimus, non habebimus corpus carneum, e fuccis, carnibus et offibus conftans, aptum propagationi. Ergo ne locus quidem erit matrimonio. Natura futurorum illorum corporum defcribitur. 1 Cor. XV, 42. feq. Ex hac igitur comparatione hominum in uitam reftituendorum cum angelis non fequitur, nos carituros effe corporibus. Id enim, quod Iefus dicit, non eft referendum ad animum. Profecto non cohaereret difputatio, fi fenfus effet: Non erimus in altera illa uita apti matrimonio, quoniam animus nofter in aeternum durabit. Nexus potius eft: Non erimus apti matrimonio, quoniam futura illa corpora noftra non habebunt carnem et fanguinem, fed immortalia erunt, quemadmodum angeli funt immortales; nec opus

erit ſexuum commercio, cuius ope, ſingulis pereuntibus, uniuerſitas conſeruatur.

31. περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν) i. e. quod rem ipſam attinet. Nam hactenus obiectioni tantum reſpondit. Ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν h. l. alterius uitae ſtatum denotat, non reſurrectionem corporum, ſaltim eam non ſolam. Diſputat nimirum Ieſus contra Sadducaeos, qui animos et ſpiritus ullos eſſe plane negabant, et morte omnia finita eſſe dicebant. Act. XXIII, 8. ὐκ ἀνέγνωτε — Ἰακώβ) Exod. III, 6. cf. Luc. XX, 38. Hebr. XI, 16. Vox Dei, ubi poſſeſſiuum caſum poſt ſe habet, ſignificat *benefactorem optimum* atque *potentiſſimum*, ἐυεργέτην. Ergo ſenſus uerborum: *Ego ſum Deus Abrahami* etc. eſt hic: Ego ſum Deus is, qui Abrahamo, Iſaaco et Iacobo benefeci, benefacio et ſemper benefacturus ſum, ἐυεργέτης et Patronus eorum perpetuus. Hunc ſenſum ineſſe uerbis, ex ſequentibus patet, ubi Ieſus infert: ὐκ ἔστιν ὁ θεὸς — ζώντων) *Deus non eſt* ἐυεργέτης *et Patronus mortuorum, ſed uiuentium.* Ergo recte concluditur: Si Deus nunc adhuc eſt Deus (Patronus et ἐυεργέτης) Abrahami, ſequitur Abrahamum uiuere et exiſtere. Nam non exiſtenti beneficia tribui haud poſſunt. *Corpus* etiam rediturum eſſe in uitam in ſe ex his uerbis non ſequitur, niſi ſumas animum ſine corpore aliquo exiſtere non poſſe, adeoque Abrahamum mortuum, ſtatim indutum eſſe corpore ſubtiliori alio. Sed non opus eſt. Nam Ieſus aduerſus Sadducaeos diſputabat, qui plane negabant eſſe animos, et morte omnia finita eſſe dicebant.

35. νομικὸς) *Gloſſar.* Iureconſultus; iurisperitus. Erat autem ſecta Phariſaeus. πειράζων) quemadmodum regina Sabae dicitur ueniſſe πειράσαι *Salomonem* 1 Reg. X, 1.

36. μεγάλη) i. e. μεγίστη, *digniſſima quae memoriae commendetur, et prae ceteris obſeruetur.* Dubium non eſt, quin agitata fuerit haec quaeſtio, et alii praecipua praecepta eſſe putauerint ea, quae de ſacrificiis erant; alii, ut credibile eſt, legem circumciſionis etc.

37. ἀγαπήσεις — σου) Deut. VI, 5. Ἀγαπήσεις, *ama.* Fut. pro Imperat. ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου) *Hebraiſmus: toto corde.* Superuacanea eſt illorum diligentia, qui καρδίαν, ψυχὴν, διάνοιαν, nimium ſubtiliter hic diſtinguunt, quum uocum multarum cumulatio nihil quam intenſius ſtudium deſignet; ſicut et Latini dicunt: corde, animo, atque uiribus. καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου) *Marcus* et *Lucas* ἐξ ὅλης δυνάμεως σου, qui tamen explicationis cauſſa addunt etiam διανοίας uocabulum: cuius hic is eſt ſenſus, qui apud *Thucydidem* διάνοιαν ἔχω πρὸς τὸ καλὸν τῆς πράξεως, i. e. *in id intentus ſum.* Idem autem ualet, ſiue dicas pro *uiribus*, ſiue *omni ſtudio atque contentione.*

39. ὁμοία αὐτῇ) Ita tamen, ut priori dignitate concedat, unde δευτέρα dicitur apud Marcum. Similis autem dicitur, quia actus itidem non externos tantum, ſed et internos praecipit, et uim ſuam quam latiſſime extendit; adde et quod priori neceſſario nexu cohaeret, 1 Io. IV, 20. ἀγαπήσεις — σεαυτὸν) Tam ſincere bene cupias omnibus, quam tibi ipſi; tam prodeſſe ſtudeas cuiuis, *cui prodeſſe ullo modo potes, quam tibi aliorum opem exoptas.* Quod hic eſt τὸν πλησίον, Paulus dixit etiam τὸν ἕτερον. Rom. XIII, 8.

Ὡς ut et Hebraeum כ, ſaepe comparat res ſimiles, ſed inaequales, Io. XVII, 21. Act. III, 22. Eſt ergo ὡς σεαυτὸν *ſincere diligere*, quomodo nosmetipſos diligere ſolemus. Ita amicus dicitur alter ipſe. Cf. Matth. VII, 12.

40. ἐν ταύταις — ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται) *In his duobus praeceptis continetur ſumma omnium eorum, quae in lege Moſis et Prophetarum libris uobis praeſcripta ſunt.* Κρέμανται, *pendent*, uidetur eſſe latina locutio, quales in his libris ſatis multae ſunt. Paulus dixit, in eodem praecepto omnem ἐντολὴν ἀνακεφαλαιοῦσθαι, i. e. *contineri*, ut uertit Syrus. Hebraei magiſtri iſtud ipſum dilectionis praeceptum uocant τὸ καθ' ὅλου legis.

41. συνηγμένων — Ἰησοῦς) In templo haec eſſe geſta, patet ex Marc. XII, 41. Luc. XXI, 1. Matth. XXIV, 1.

42. περὶ τοῦ Χριστοῦ) De illo promiſſo Meſſia. Hanc quaeſtionem Ieſus propoſuit Phariſaeis, ut eos conuinceret, quam parum cognita ipſis eſſet uera dignitas ac prouincia Meſſiae. τίνος υἱός ἐστι;) i. e. ex cuius gente et familia illum oriri oportet? Ex Hebraeorum idiomate, qui poſteros omnes uocant filios.

43. ἐν πνεύματι) Spiritu prophetico. Erat enim Dauid προφήτης Act. II, 30. et per ipſum loquebatur Spiritus S. 2 Sam. XXIII, 2. Act. I, 16. κύριον αὐτὸν καλεῖ) Pſ. CX, 1. Dauides, tantus rex, Meſſiam non modo tanquam ſe maiorem, ſed et ut ſuum Dominum ſuſpicit ac colit. At quomodo Meſſias e Dauide natus, Dominus Dauidis poterat appellari, niſi ipſe Meſſias ius atque imperium erat habiturus

in ipſum Dauidem, et Meſſiae beneficia ad Dauidem erant peruentura? Ad Meſſiam pertinere hunc Pſalmum, agnouerunt Hebraei ueteres.

44. κάθȣ ἐκ δεξιῶν μȣ) *a me ſecundus eſto.* A regibus ſumta eſt tralatio, quibus haeres proximus, aut alioqui a rege princeps, dexter aſſidebat; is, qui deinde ſequebatur, ſiniſter. ἕως — ποδῶν σȣ) Vsque dum inimicos tuos tibi ſubiecero. Τȣ̃ς ἐχθρȣ́ς σȣ, omnem uim eccleſiae aduerſam, ac poſtremo mortem ipſam. Ὑποπόδιον τῶν ποδῶν, eſt ſeruitutis, et quidem abiectae circumſcriptio.

45. εἰ ȣ̓ν Δαβὶδ καλεῖ ἀυτὸν κύριον, πῶς ὑιὸς ἀυτȣ̃ ἐςι;) Inuerſa locutio; nam directa locutio fuerat: εἰ ὑιὸς ἀυτȣ̃ ἐςι, πῶς ἀυτὸν κύριον καλεῖ; ſed utro modo pronunties, uis argumenti eodem recidit. Dauides, Meſſiam, unum ex poſteris ſuis *Dominum* appellans, diuinius aliquid ei ineſſe agnouit.

46. ȣ̓δὲ ἐτολμησέ τις) Sadducaeorum, Phariſaeorum, aut legisperitorum, quibus omnibus os obſtruxerat. ἐπερωτῆσαι) Nempe πειράζων, quod ex ſuperioribus repetendum eſt. Nemo amplius illum tentare quaeſtiunculis audebat.

CAP. XXIII.

2. Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν ὁι γραμματεῖς καὶ ὁι Φαρισαῖοι) *Explicant uobis legem Moſis.* Καθέδρα Μωσέως, מושב משה, eſt *cathedra, in qua ſedentes magiſtri* legem aut populo publice, aut diſcipulis priuatim interpretabantur, quomodo cathedrae uox Graecis quoque et Latinis uſurpatur, unde philoſophos *cathedrarios* dixit Seneca. Archiſynagogi

nagogi aut alii publico magiſtri munere fungentes, in cathedra ſtantes legebant ipſa uerba legis; deinde ſedentes legem interpretabantur. Luc. IV, 17. ſqq. Ἐκάθισαν, *ſedent*, aor. pro praeſenti.

3. ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε) Quicquid, nimirum ut legis interpretes uobis faciendum dictauerint. In lege Moſis multa erant praecepta, de quorum ſenſu ambigi poterat. In iis explicandis operam non malam nauabant οἱ νομικοὶ, gnari linguae et hiſtoriae ueteris, ſine quarum cognitione legis pleraque recte intelligi nequibant. In his ergo eos Chriſtus uult audiri a plebe, et eorum interpretationes, quamquam forte in duriorem partem nimium inclinantes, recipi. Id uero non eo pertinebat, ut ſi quid docerent, manifeſtis praeceptis diuinis ipſique pietati contrarium, ut de Corbona parentibus praeferenda, ſequendi eſſent duces coeci.

4. Δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων) *Onera* hic uocantur innumerae iſtae praeceptiones de ritibus. Interpretes dicuntur homines onerare, quum docent, hoc aut illud faciendum. Lex ipſa per ſe erat onus ſatis δυσβάστακτον, ſed Iudaici doctores praecepta eius quam latiſſime extendebant, neque admittebant probabiles exceptiones. τῷ δακτύλῳ δὲ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά) Ipſi in talibus ſunt negligentiſſimi. Prouerbialis locutio, qua Romani utentes, dicunt etiam: *extremo* digito attingere.

5. πάντα δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν ποιοῦσι πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις) Si quid ad legis praeſcriptum faciunt, id dant

aurae

aurae populari. *πλατύνουσι γὰρ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν*) Phylacteria ſunt membranulae, quibus hae quatuor legis Moſaicae Periochae inſcriptae ſunt: Exod. XIII, 3 - 10. Exod. XIII, 11 - 17. Deut. VI, 5 - 9. Deut. XI, 13 - 21. Has thecis inſertas Iudaei fronte et brachio ſiniſtro alligant. Ipſi uocant תפלין a תפלה, preces, graece autem uocantur *φυλακτήρια*, i. e. *obſeruatoria*, eo quod ſint memoratiua legis; ac *conſeruatoria* etiam fortaſſis, eo quod uim quandam habere exiſtimentur ad fugandos Daemonas. Quomodo conficiantur prolixe deſcribunt *Buxtorf.* Synagog. Iudaica IX. et *Wagenſeil* Sota p. 397 - 416. Lata et admodum conſpicua fecerunt ſibi *Scribae et Phariſaei*, ut proportionatam inde apud populum reportarent deuotionis famam atque aeſtimationem, quum haec pro indiciis ſtudii legis, ac ſignis deuotionis aeſtimarentur. *καὶ μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν*) Magnas faciunt *fimbrias ueſtimentorum.* Fimbriae in ueſtium limbis, quibus fila hyacinthina addita erant, in mentem reuocare debebant Iſraelitis praecepta Dei. Vide Num. XV, 38. 39. Has fimbrias, ציצית, magnas ſibi faciebant Phariſaei ut populo pietatem ſuam probarent.

6. *φιλοῦσι δὲ τὴν πρωτοκλισίαν*) Votis expetunt, ambiunt primos accubitus, tanquam ingens bonum, atque etiam data occaſione uelut iure ſuo ſibi uindicant. *καὶ τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς*) Vetuſtiſſimo Iudaeorum more, qui nullo in ſynagoga munere fungebantur, ſedebant aetatis ordine diſtincti. Sed multis in locis irrepſit conſuetudo, ut eruditionis famam aliquam conſecuti honoratius ſederent, quo pertinet hic locus. Extant in Hebraeorum

libris

libris decreta de hac re, quo loco legisperiti, quo Pharisaei sedere debeant.

7. ῥαββὶ) Vox Syriaca indeclinabilis, רב et רבא, *magnus*, item *magister* cum affixo primae personae est רבי, magister mi. Solebat autem in salutationibus uox Rabbi bis exprimi, ut apparet ex Marci c. XIV, 45. R. *Nathan* in Aruch obseruat, ante Hillelem neminem Rabbinum fuisse uocatum: *Maimonides* nec Hillelem ipsum, sed Simeonem eius filium.

8. ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββὶ· εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς) pro καθηγητὴς Codd. quidam habent διδάσκαλος, quod *Beza*, *Grotius*, *Seldenus*, praeferunt, nam uocem Rabbi et Rabboni a scriptoribus nostris ubique reddi διδάσκαλε, nusquam καθηγητὰ, *Grotius* contendit. Sed uidetur διδάσκαλος alterius interpretamentum esse, saltem utraque uox nihil differt. *Glossar.* καθηγητὴς, *Doctor.* Plura loca uid. ap. Wetsten. Vetat Christus istas appellationes expetere eo sensu, quo a Iudaeis expetebantur. Nam qui eruditi erant inter Iudaeos, cum nomine doctoris auctoritatem etiam sibi uindicabant, quod uisum esset docendi, et credi sibi uolebant. Verba Rabbini esse uerba Dei dicebant. At Christi sectatores non debebant populum ea docere, tanquam obseruatu necessaria, quae ipsis talia uidebantur, sed ea tantum, quae Christus ipse necessaria pronunciasset. Iudaeorum alii alios sectabantur magistros, et ab eorum pendebant auctoritate: sed inter Christianos eo modo dici, ego sum *Cephae*, ego *Pauli*, *Apollo*, nefas est. Cf. 2 Tim. IV, 3. ὁ χριστὸς) omittunt permulti Codd. Verss. et Patres. ἀδελφοὶ ἐστε) Vnius illius doctoris discipuli.

9. πατέρα

9. πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς) *Doctorum neminem uocate Patrem.* Nam de doctoribus h. l. eſt ſermo. Qui nempe ſapientem aliquem tanquam ſcholae principem ſectabantur, et uelut in nomen eius iurauerant, eius ſapientis filii uocabantur, ipſi illum uocabant אבי, uel אבא. Sed quia אבא maior erat titulus quam רבי, ideo Chriſtus hunc ſibi, illum patri uindicat. εἷς γὰρ ἐςιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς ὐρανοῖς) Vnus eſt ueſtrae familiae princeps ac dogmatum auctor, Deus qui per filium uobis ipſe omnia ſcitu neceſſaria reuelauit. Io. VI, 45. 1 Theſſ. IV, 9. Itaque illo ſenſu, quo Iudaei ſapientes patres ſuos uocabant, Chriſtiani patrem neminem debent agnoſcere. Sed alio ſenſu patres recte uocantur, qui nos in Chriſto per Euangelium genuerunt, 1 Cor. IV, 15.

10. μηδὲ — χριςὸς) Vid. comm. 8.

11. ὁ δὲ μείζων ὑμῶν ἔςαι ὑμῶν διάκονος) *Qui antecellere aliis uult, miniſtret illis.* Μείζον, comparat. pro ſuperlatiuo; ἔςαι futur. pro imperat. Quo quis inter uos maiorem in eccleſia dignitatem obtinebit, eo ſciet ſibi, non plus imperii conceſſum, ſed plus oneris iniunctum: unde ſequitur, non eſſe, cur uos delectent tituli, maioris ſeruitutis indices.

12. ὅςις δὲ ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται) Sententia Chriſto ſaepius uſurpata, celebris haud dubie apud Hebraeos, quod docent loca ap. Wetſtenium. Dicitur ὑψȣν ἑαυτὸν is, qui magnifice de ſe ſentit, nimium ſibi tribuit, aliis ſe praefert, eosque ſuperciliosſe ſpernit; tum uero etiam honores ambit, primos accubitus ſibi uindicat etc. Talis igitur ταπεινωθήσεται, *contemnetur*, indignus erit aeſtimatione; nec Deo nec hominibus prudentibus probabitur.

καὶ ὅςις — ὑψωθήσεται) Quisquis uero humiliter de ſe ſuisque rebus ſentit, is honore uere dignus eſt, ac ipſi Deo, mentium inſpectori probatur.

13. κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν ὀυρανῶν) *Impedimento eſtis aliis, ne intrent regnum coelorum*, nempe clauibus ſublatis, ut *Lucas* loquitur, i. e. ſuppreſſa uera interpretatione et quotidiana iuculcatione locorum, in quibus agitur de poenitentia, fide et dilectione non ficta: quibus omiſſis, omnem operam impenditis ritibus urgendis et ampliandis. ὀυδὲ τὸυς ἐισερχομένους) Praeſens pro futuro: eos, qui alioqui intraturi erant, ſi uiam recte panderetis. At nunc non modo non panditis, ſed obſtruitis etiam rituum ſeptis, quibus occupati animi, ad meliora nequeunt penetrare.

14. *Graeci*, *Hieronymus* et *Antiqui* non habent hunc uerſum, ſed eſt *Marci* XII. et *Lucae* XX tantummodo. *Albertus Magnus* de Marco et Luca interpoſitum docet. Alii Codd. commati 13. anteponunt. Explicationem uide ad Marc. XII, 40.

15. περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν) Ξηρὰ, ſc. γῆ, ſiue ὁδὸς, hebr. יבשה. Apud Profanos ξηρὸν tantum in Neutro de terra occurrit, e. g. ἐν τῷ ξηρῷ, ἐις τὸ ξηρόν. Tota phraſis eſt prouerbialis, ſimulque hebraica, ſollicitum inquirendi laborem ſignificans. Senſus enim eſt: *Quum terram et mare obeatis, ut faciatis proſelytum, mox eum deprauatis.* προσήλυτον) *Proſelytus* (a πρὸς et ἔρχομαι) qui ſe a gentiliſmo adiunxit Iudaismo. Diſtinguebantur in גרי שער *proſelytos portae*, qui et גרי תושב, ſeu תושבים πάροικοι et παρεπίδημοι dicebantur, et גרי צדק, *Proſelytos iuſtitiae*. Illi repudiata idololatria tantum ſeptem praecepta

Noachi-

Noachidarum obſeruabant, nec ad eccleſiam Iſraeliticam pertinebant, ſed in republica tantum tolerabantur: hi integram legem recipiebant, eamque ob cauſſam in ipſam eccleſiae communionem tranſeuntes, eodem cum reliquis eius membris iure fruebantur. Hoc loco de poſterioris generis proſelytis eſt ſermo. υἱὸν γεέννης) Gehennae debitum, i. e. exitio et interitu dignum, ut בן מות, υἱὸς θανάτου, morti debitus. διπλότερον ὑμῶν) *maiorem uobis hypocritam.* Sicut ἁπλοῦς eſt homo ſimplex, ita διπλοῦς, *homo duplex* eſt hypocrita, qui pietatem ſimulans omnibus uitiis eſt mancipatus.

16. ὃς ἂν — οὐδέν ἐστιν) *Si quis iurauerit per templum, non tenetur;* nullius momenti eſt huiusmodi iuramentum. Magiſtri Hebraeorum alia iuramenta magna, alia parua cenſebant. Magnis iuramenta per Deum ipſum, et κορβᾶν, per templum autem et altare minoribus iuramentis accenſebantur. Horum gratiam facile faciebant Iudaei doctores, ſi quis ſe inconſulto calore iuraſſe diceret: at iuramenti κορβᾶν non item. Οὐδέν ἐστιν, *non tenetur*, uel potius: nullius eſt momenti uel effectus. ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ) i. e. pecunia in gazophylacium miſſa; auro in *Corbonam* oblato. Non igitur aurum templi hic intelligendum eſt illud, quo micabant undique parietes et laquearia. ὀφείλει) *tenetur*, *obſtrictus eſt.* De implenda nimirum promiſſione hic agitur.

17. ὁ ναὸς, ὁ ἁγιάζων τὸν χρυσὸν) Templum ſanctius eſſe pecunia in gazophylacium miſſa Chriſtus dicit; nullam enim aliam ob cauſſam, quam quia templi uſibus ſeruiret, ſacri iuris erat haec pecunia, ut apud Romanos donaria, apud Graecos ἀναθήματα.

 21. καὶ

21. καὶ ἐν τῷ κατοικοῦντι (al. leg. κατοικήσαντι) αὐτὸν) Hic oſtendit Chriſtus, omnia iſta, quae illi uocabant minora iuramenta, maximis eſſe aequiparanda. Nemo enim tam ſtultus cenſeri debet, ut rem inanimem teſtem aduocet ſuae cogitationis et perfidiae uindicem. Quare in iſtis iuramentis cenſeri debet ineſſe metonymia, et per templum intelligi is, cuius eſt templum.

22. ἐν τῷ οὐρανῷ) Illuſtrat Chriſtus quod dixerat exemplo ſimili. Nam inquit, et qui per coelum iurant, cenſendi ſunt teſtem illum inuocare, cui coelum pro ſolio eſt. Cf. c. V, 34.

23. ἀποδεκατοῦτε) Ita δεκάτην ἀποδεκατοῦν pro eo, quod eſt decimam ſoluere, dixerunt LXX, Gen. XXVIII, 22. Deutr. XIV, 21. τὸ ἡδύοσμον καὶ τὸ ἄνηθον καὶ τὸ κύμινον) *Lucas*, omiſſo aneto et cumino, exemplum mentae et rutae poſuit, adiiciens deinde nomen generale καὶ πᾶν λάχανον. Ex mandato diuino omnium frugum decima erat ſoluenda. Quaeſtio autem fuit de oleribus, an lege decimarum comprehenderentur? Phariſaei affirmabant. Addita erat haec decimatio a Rabbinis *Babyl. Ioma* fol. 83. 2. Chriſtus ut τὸ ἀκριβὲς Phariſaeorum in rebus iſtiusmodi oſtenderet, minutiora olera ſpeciatim nominauit. ἀφήκατε — πίστιν) *Negligitis grauiora legis praecepta, iuſtitiam, humanitatis officia, et erga alios homines fidem.* Τὰ βαρύτερα maioris momenti praecepta. Κρίσις, ut hebr. משפט ſumitur modo latius, ut omnia hominum inter ſe officia comprehendat, modo ſtrictius, ut ea denotet, quae iure exigi poſſunt, oppoſita miſericordiae ſiue beneficentiae. Ὁ ἔλεος, humanitatis officia. Deſumta eſſe uidentur haec uerba ex Mich. VI, 7.

ταῦτα

ταῦτα ἔδει ποιῆσαι) Non definit Chriſtus iuris controuerſiam, ſed hoc dicit: quando ita uobis lubet legem interpretari, praeſtandum quidem illud fuerat, ſed ita, ut maiora ac potiora non omitterentur.

24. διυλίζοντες — καταπίνοντες) i. e. *In minutis rebus dubii et anxii haerentes, at res grauiſſimas temere negligentes.* Nam τὸ *percolare culicem et camelum deglutire* prouerbiale eſt, denotatque in rebus minimis ſuperſtitionem, rerum autem grauiorum neglectum. Praeterea etiam κάμηλον καταπίνειν pertinet ad locutiones hyperbolicas. Κώνωψ hic *culicem* ſignificat *uinarium*, qui ex uino aceſcente natus, eodem alitur et nutritur. Iudaei colo aut ſudario uinum percolare ſolebant, ne culex uinarius, aut aliud quoddam animalculum immundum ab incautis deglutiretur. Vid. Buxtorf. ad rad. סנן. Hinc factum eſt, ut Phraſis Rabbinica סנן יבחוסין, διυλίζειν κώνωπα et figurate acciperetur, et quidem ita, ut ſignificaret a peccatis leuioribus cauere, ut interim grauiora admittere non dubites. Ceterum ipſum quoque illud *peccata grauiora admittere* peculiari Phraſi, figurate expreſſum eſt: καταπίνειν τὴν κάμηλον. *Io. Vorſtius* de Adagiis N. T. p. 21. ſqq.

25. καθαρίζετε — ἀκρασίας) *Purgatis externum poculi et patinae, quod autem intus eſt,* (cibus et potus) *plenum eſt rapinae et intemperantiae.* Τὸ ἔσωθεν eſt *cibus ac potus,* qui in paropſide et poculo continetur. Potus et cibus per metonymiam dicitur γέμειν ἐξ ἁρπαγῆς, quando comparatus eſt pro pecunia, maximam partem per rapinam, per oppreſſionem uiduarum et orphanorum parta; idem dicitur γέμειν ἐξ ἀκρασίας, quando intemperanter

 abligu-

abliguritur et abſumitur. Pro ἀκρασίας tamen habent ἀδικίας codices plurimi et optimi; quae lectio etiam in nonnullis uerſionibus et Patribus extat, et omnino praeferenda eſſe uidetur. Alii his uerbis hunc ineſſe ſenſum putant: Quum corpus lauatis, animo non purgato, tantumdem agitis, ac ſi diligenter lauaretis patinas et pocula, quum interim cibus et uinum plena eſſent impurae fecis. Scriptores enim noſtri ſaepe partes comparationis permiſcent, quando alterum ex altero facile poteſt intelligi. Sic etiam h. l. externa et interna poculi immundities cum ea, quae eſt in animo, permiſcetur. Plena oratio fuerat: ἔσωθεν δὲ γέμουσι τὰ ποτήρια καὶ οἱ πίνακες ἀκαθαρσίας. οὕτως καὶ ὑμεῖς τὸ μὲν ἔξωθεν καθαρίζετε ἔσωθεν δὲ γέμετε ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀκαθαρσίας.

26. καθάρισον — καθαρὸν) i. e. *cura inprimis, ut cibus et potus qui in patinis et poculis continetur, legitime ſit acquiſitus; tum enim externum uaſorum purum erit, non tibi nocebit.* Τὸ ἐντὸς τοῦ ποτηρίου eſt id, quod in poculo continetur, *potus.* Καθαρίζειν potum et cibum, nihil aliud eſt, niſi curare ut legitime ac iuſte ſit acquiſitus. Τὸ ἵνα h. l. ſumitur ἐκβατικῶς, et innuitur quid futurum ſit, ſi Phariſaei et legisperiti iuſto et legitimo modo ſibi comparauerint ad uſum uitae neceſſaria ac iucunda; nihil nimirum tum ab externa patinarum et pocularum immunditie eſſe metuendum, ſiquidem animus ſibi bene conſcius nulla re coinquinetur.

27. τάφοις κεκονιαμένοις) Iudaei ſepulcra ſolebant ſignare calce, tum ornamenti cauſſa, tum ne quis imprudens locum calcaret atque pollueret, ut *Wetſtenius* ex Scriptis Iudaeorum

rum oſtendit. Prohibitum nempe erat Iudaeis, loca immunda adire, id quod eo usque Rabbiniſtae extendebant, ut tota ſepulcri longitudo, quae e. g. in ſpelunca uel agro erat, et ſub terra longius protendebatur, immunda quoque iudicaretur. Ne igitur Iudaei polluerentur, tantum ſpatii, quantum ſepulcrum intus complectebatur, exterius quoque in ſuperficie et lateribus calce oblinebatur.

29. ὅτι οἰκοδομεῖτε) Senſus eſt: Vultis quidem uideri magni facere prophetas aliosque Dei ſeruos, quorum monimenta non ſine oſtentatione reficitis, ſed nihilo meliores eſtis, quam illi erant, qui eos interfecerunt. Iam enim animo geritis, quod breui prodituri eſtis reipſa. Idem meditamini, quod illi faciebant.

30. ἐν τῷ αἵματι) *in caede*. Sicut enim Graeci φόνον dicunt ἀντὶ αἵματος, ita Helleniſtae αἷμα ἀντὶ φόνȣ.

31. ὥςε — τȣ̀ς προφήτας) *Igitur ipſi aduerſus uos teſtes eſtis, filii quod ſitis eorum, qui interfecerunt Prophetas.* Genuini parentum ueſtrorum eſtis filii, ut natura, ita ingenio et indole. Elegantiſſime hoc a Saluatore dicitur, aliquam habens aequiuocationem. Nam et eorum ab illis parricidis originem natalesque ducendos, et imitationem operum eorundem, ſimilitudinemque ingenii atque morum ſignificare poteſt.

32. καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν) *Vos maiorum ueſtrorum impietatem et contumaciam, ueſtra ipſorum improbitate augete.* Quando uultis, hoc agite. Ita modum imperatiuum non raro uſurpant Hebraei. Q. d. Pergite uos quoque imitari maiores ueſtros, ut tandem ue-

ſtra improbitas ad ſummum gradum perueniat. Pro πληρώσατε Codices quidam habent ἐπληρώσατε. Sed recepta lectio genuina eſſe uidetur. Nihil tamen impedit, formae Imperatiui ex Hebraismo ſignificationem praeſentis tribuere, ut ſenſus ſit: *Etiam uos impletis menſuram, cui implendae operam iam nauauerant patres ueſtri.* Facitis eadem quae illi faciebant.

33. ὄφεις — τῆς γεέννης) Senſus eſt: *Homines peſſimi, maiorum peſſimorum poſteri, minime effugietes poenam grauiſſimam.* Ὄφεις uocat Ieſus Scribas et Phariſaeos ob nocendi et occidendi libidinem, et falſae doctrinae uenenum. Γεννήματα ἐχιδνῶν, *genimina uiperarum*, peſſimorum hominum progenies. Cf. Matth. III, 7. πῶς — γεέννης;) *Tales quum ſitis, qui fieri poteſt, ut grauiſſimum non huius tantum, ſed et alterius ſeculi ſupplicium euitetis?* Minime effugietis. Κρίσις τῆς γεέννης, poena grauiſſima, inprimis alterius ſeculi. *Iudicium gehennae* frequentiſſima Rabbinis phraſis. Vid. loca, quae *Wetſtenius* e Rabbinis ad h. l. congeſſit.

34. διὰ τοῦτο) Operoſe interpretes in his particulis connectendi laborarunt, hoc ſpectantes, ut ne ex uerbis Chriſti perperam aliquis colligeret, Chriſtum ipſum cauſſam eſſe uelle exitii hominum illorum, mittendo ſeruos ſuos eo fine, ut illos occidendo praecipites in perditionis barathrum ſe coniicerent. Facillime rem expedire uidetur GOTTFR. OLEARIUS in *obſeruatt. ſacr.* ad h. l. Videtur nempe Matthaeus in mente habuiſſe hebraicam particulam כזאת ſignificatu eo, quo idem ſit, quod *poſthoc* uel *interea,* cuius uſus plurima exempla concordantiae Noldianae ſuggerere poſ-
ſint,

ſint, et quam Scriptores N. T. uoculis ἐν τούτῳ, ἐπὶ τούτῳ reddere, inuenias. προφήτας, καὶ σοφοὺς καὶ γραμματεῖς) Hoc dicit Chriſtus, legatos, qui ad ipſos uenturi eſſent, nihilo minores fore iis, quos uocabant prophetas, aut humana ſapientia pollentes, quos appellabant γραμματεῖς, ספרים, et eorum principes, σοφοὺς, החכמים. Hoc autem eo pertinet, ut, ſi eos non audiant, ſint inexcuſabiles, et ex eo iudicio, quod ipſi in parentes ſuos ferebant, ſe ipſos condemnarent.

35. ὅπως ἔλθῃ — γῆς) *Vnde etiam poenas dabitis omnium caedium in iuſtis et probis hominibus unquam perpetratarum.* Ὅπως hic, ut ſaepe ſumitur ἐκβατικῶς, ut innuat *euentum*, et ſenſus ſit: *Vnde eueniet* etc. Αἷμα, hebr. דם et in plurali דמים non tantum *caedem*, ſed etiam, ut hic, *caedis poenam* ſignificat. Αἷμα δίκαιον per hypallagen eſt poena homicidiorum in probis hominibus perpetratorum. Τὸ αἷμα ἔρχεσθαι ἐπὶ τινὰ dicitur ex Hebraismo, ut Leuit. XX, 9. 11. ubi Alexandrina uerſio phraſin דמיו בו reddit: ἔνοχος ἔςαι. Ἐκχυνόμενον h. l. eſt pro praeterito, ut alibi pro futuro. Senſus igitur huius loci eſt: tam horribiles fore Iudaeorum poenas (in excidio Hieroſolymitano) ut ſufficere poſſe uideantur luendis homicidiis omnibus, quae usquam in probis et innocentibus hominibus eſſent perpetrata. Nec immerito. Nam iure aggrauat hoc reum, ſi, longam ſeriem punitorum uidens, ne ſic quidem paſſus eſt ſe a ſimili delicto abſterreri. Id enim animum inemendabilem prodit, atque ſeueriori ſupplicio dignum eſt. Ζαχαρίου) Hiſtoria narratur 2 Paral. XXIV, 19-25. υἱοῦ Βαραχίου) In libris Chronico-

rum dicitur filius *Ioiadae.* Sunt qui Barachiam binomium fuiſſe putent. *Hieronymus* notat, in Euangelio Nazaraeorum pro filio Barachiae filium Ioiadae fuiſſe ſcriptum. Alii υἱὸν h. l. interpretantur *nepotem.* Alii aliter. De Zacharia eo, cuius hiſtoria 2 Paral. XXIV, 19-25. narratur, ſermonem eſſe, uix dubitari poteſt. μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου) Facta eſt caedes in ſubdiali, quod חצר uocant Hebraei, αὐλὴν Graeci, Ioſephus ὕπαιτρον, in quo erat altare holocauſtorum, ita ut ſubdialis pars aliqua inter altare et aedem templi, quae hic ναὸς ſtricte dicitur, Hebraeis היכל, intercederet. Inter aedem et altare fuerunt XI cubiti, pro ambulacro ſacerdotum.

36. ἐπὶ τὴν γενεὰν ταύτην) γενεὰ, hebr. דור. Dicit Chriſtus, fore, ut eius ipſius aetatis plerique hoc horrendum Dei iudicium experirentur.

37. Ἱερουσαλὴμ) i. e. Ἱεροσολομίται. ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας) Vt *Ieſaiam*; ſed et alios, quorum non extant nomina. τοὺς ἀπεσταλμένους) Ita uocat eos, qui prophetae ordinarii non erant, ſed ad tempus diuino ſpiritu induebantur, qualis ille *Zacharias.* πρὸς αὐτὴν) Locutio Orientalium populorum, qui primae et ſecundae perſonae poſt pronomen relatiuum aut participium ſubiungunt uerba aut pronomina perſonae tertiae. ποσάκις — πτέρυγας;) *Quoties beneuolentiam meam atque tutelam tibi obtuli!* Protegere te uolui ut gallina pullos ſuos alis tegere ſolet. Filii Hieroſolymorum uocantur Iudaei omnes, quorum metropolis erat Hieroſolyma, quo conueniebant omnes ſacrorum iudiciorumque cauſſa, quo et belli tempore receptum habebant. Hos Chriſtus iam toto triennio multis miraculis, multis adhor-

adhortationibus ac comminationibus ad ueram poenitentiam et fidem perducere ſtuduerat, ut eos hac ratione ab imminenti ira diuina liberaret. Nam hoc eſt ſub alas congregare.

38. Ἰδὲ, ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος) Οἶκος explicari poteſt de *republica Iudaica.* Tota nimirum gens Iſraelitica conſideratur ut domus ſeu familia, e qua paterfamilias ſublatus eſt, uel quae prole maſcula caret, cui certiſſimus interitus imminet, cuiusmodi domus apud Graecos paſſim ἔρημος uocatur. Loca ad illuſtrandam hanc ſententiam laudarunt *Wetſtenius* et *Loeſnerus.* Aliis ὁ οἶκος h. l. eſt *templum Hieroſolymitanum,* ut ſenſus ſit: *Ecce, haec ipſa domus inanis iam uobis et deſerta relinquitur.* Ἔρημος fit domus, ubi ab habitatoribus ſuis deſeritur, quam deſertionem denique eius ἐρημία, quum nemo ſit, qui curam eius habeat, ruinae atque omnimoda deſtructio ſequantur neceſſe eſt. Vaniſſimam nempe illam Iudaeorum fiduciam eſſe Ieſus oſtendit, qua fieri non poſſe putabant, ut hancce gloriae ſuae ſedem deſereret Deus, nominisque ſui hoſtibus proculcandam permitteret.

39. λέγω — κυρίε) *Scitote enim, ab hoc temporis momento uos non amplius uiſuros eſſe me* (in hoc ueſtro templo) *donec me pro Meſſia agnoueritis;* i. e. *nunquam* me poſthac in templo uidebitis. Sic interpretandum difficilem hunc locum eſſe putarem. Per particulam γὰρ uerba haec cum u. 38. connectuntur, ubi Chriſtus dixerat, domum hanc (templum) mox relinquendam eſſe deſertam. Haec praedictio per gradus impleta eſt; et primus gradus erat, quod ipſe Ieſus templo praeſentiam ſuam ſubtraxit. Verba

igitur:

igitur: ὐ μή με ἴδητε ἀπ' ἄρτι, ita restringenda sunt, ut sensus sit, Pharisaeos eum non amplius uisuros esse in domo, in qua tum una erant, nempe in templo. Verbis ἕως ἂν — κυρίου alludere uidetur Iesus ad acclamationem populi (c. XXI, 9.) publice eum declarantis pro Messia. *Non uidebitis me*, inquit, donec mihi acclamaueritis: *Benedictus* etc. i. e. *nunquam* me hic conspicietis. Nam accurate sciebat, Pharisaeos eum nunquam agnituros esse pro Messia. Simili sensu usurpatur. ἕως ἂν Matth. V, 26. Est ergo hoc acute dictum. Innuit autem Iesus simul uerbis his (comm. 38. 39.) fore, ut Deus locum illum plane deleret, iusti iudicii daturus exemplum. Grotius uerba ἕως ἂν εἴπητε, explicat: *donec libenter admodum dicturi sitis*, et Iesum dicere existimat, uenturum tempus, quum libenter ipsi ea usuri sint acclamatione, qua nuper pueri usi fuerant, si ea ratione ipsius gratiam possent eblandiri. *Moldenhawerus* coniunctionem γὰρ urgens, ita interpretatur: *Dico enim uobis, uos ex hoc tempore non experturos esse auxilium meum*, (uel *gratiam meam*) *nisi dixeritis: Benedictus etc.* i. e. nisi me agnoueritis pro uero Messia.

CAP. XXIV.

1. Καὶ ἐξελθὼν — τοῦ ἱεροῦ) Audiuerant discipuli Dominum dicentem (c. XXIII, 38. 39) ad ruinas suas spectare templum mox praesidio diuino nudandum. Quare unus ex iis (Marc. XIII, 1.) nomine omnium, operis magnificentia et firmitate oculos habens praestrictos, monstrandum Saluatori existimauit, quantum opus sit, quod oraculis suis destruat. Monstrauit ei aedificia templi magnifica, ut solent, qui

qui operis alicuius magnitudinem et firmitatem admirantur. Cf. Luc. XXI, 5.

2. ἀμὴν — καταλυθήσεται) Phrasis est hebraica, (2 Sam. XVII, 13.) in qua aliquid est ὑπερβολῆς. Hoc dicitur, templum penitus destructum iri.

3. πότε ταῦτα — τῦ αἰῶνος;) Interrogant discipuli primum de *tempore*, quo Christi praedictio excidium templi concernens euentum esset habitura. Porro quaerunt, *quodnam praesentiae Christi futurum esset signum?* Intellexerant nempe, templi fata Christi iudicio deberi, atque adeo supponere παρυσίαν, praesentiam eius gloriosam, ex qua mutata illa rerum facies existat. Quum autem praeiudiciis occupati, putarent, fore, ut cum pompa quadam, et signis, per quae sensibus pateret, regnum Iesu Christi ueniret, cognoscere antea haec signa, et laetitiam inde aliquam animo praecipere gestiebant. Denique etiam συντέλειαν τῦ αἰῶνος commemorant. Hanc uocem in N. T. de fine mundi accipi Matth. XIII, 39. 40. 49. c. XXVIII, 20. aliisque locis, certum est. Hoc uero loco per συντέλειαν τῦ αἰῶνος intelligi finem seu consummationem illius aeui, quo status Reipublicae, sacrorumque Iudaicorum persistere debebat, interpretes haud pauci cum *HAMMONDO* et *CLERICO* uolunt. Hoc sensu sumitur Hebr. IX, 26. coll. 1 Cor. X, 11.

4. καὶ ἀποκριθεὶς — πλανήσῃ) Primo respondet Iesus ad id, quod a discipulis in quaestione (u. 3.) secundo loco propositum fuerat: τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρυσίας; Vt intelligatur, quam apte Saluator discipulorum de *praesentia* sua quaestioni satisfaciat, uidendum ante omnia, qualem illi

παρυσίαν

παρουσίαν eius ex praeiudiciis Iudaicis exſpectauerint. Communi igitur Iudaeorum occupati errore arbitrabantur, Meſſiam praeſentem Gentium uictorem extiturum, atque triumphorum ſuorum celebritate uniuerſum, qua patet, orbem eſſe impleturum; porro ex eius uictoriis profundiſſimam pacem regni eius eſſe extituram, in qua feliciſſima futura eſſet eorum, qui in partes regni eius uenirent, Apoſtolorum et diſcipulorum, conditio; tum denique unam ueram religionem, ſublato omni diſſenſu, idololatria et falſa prophetia omni ſubmota, orbem terrarum eſſe occupaturam. Hanc uero παρουσίαν illuſtratura eſſe ſigna quaedam luculenta, uel extraordinarios quosdam euentus, quibus adeſſe iam eum ad regnum eiusmodi capeſſendum conſtet, recepta tum fuit, et hodie adhuc eſt Iudaeorum opinio, quam maioris illuſtrationis cauſſa ex recentiorum Iudaeorum ſcriptis propoſuit, et in retro elapſorum ſeculorum hiſtoria et in monimentis Scripturarum accurate inueſtigauit *GOTTFR. OLEARIUS* in obſeruatt. ſacr. ad Matthaeum, p. 671. ſqq. Chriſtus igitur oſtendit diſcipulis, talem, qualem illi exſpectarent παρουσίαν eius fruſtra iam tum ſperari, atque ſerio hortatur, ne imponi ſibi a quopiam patiantur: Βλέπετε, μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ.

5. πολλοὶ — ὁ χριστὸς) *Multi ſibi meam dignitatem arrogabunt, ſe uenditantes pro Meſſia.* Ὄνομα, שם, h. l. eſt *dignitas. Meſſiae* nomine populus iudaicus intelligebat uindicem libertatis. Luc. XXIV, 21. Quare quicunque ſe miſſos diuinitus liberatores populi Iudaici dicebant, eo ipſo *Chriſtos* ſe profitebantur, et erant ψευδόχριστοι. Tales erant ii, quorum fit mentio Act. V, 36. 37. VIII, 9. 10.

XXI,

XXI, 38. *Ioſeph.* B. I. II. 13. 4. Antiq. XX, 5. 1. καὶ πολλὺς πλανήσουσι) Multos ſpe falſa illectos in exitium abripient, ut ex citatis locis apparet. Praedicit igitur Chriſtus, futuros quidem eſſe, qui pro ipſo gerere ſe audeant, ſe uero nuspiam ſenſibus ſuorum fore deprehendendum.

6. μελλήσετε — πολέμων) Iam oſtendit Ieſus, talem, qualem diſcipuli exſpectarent παρουσίαν eius fruſtra ſperari. Expectabant nempe *pacem* profundam, ex *uictoriis* eius contra hoſtes quoscunque, atque Romanos inprimis, ſtabiliendam. Sed longe aliter euenturum eſſe, docet Ieſus; bella ſcilicet et famam de bellis inaudienda eſſe. ἀκούειν πολέμους) Wetſtenius intelligit bellum Aſinaei et Alinaei fratrum Iudaeorum cum Parthis in Meſopotamia et Babylonia geſtum, quo ter praelio dimicatum eſt, narrante *Ioſepho Ant.* XVIII. 9. 1. ἀκοὰς πολέμων), *Rumores bellorum.* Bardanes et poſt eum Vologeſes Izati Adiabenorum regi Iudaeo bellum indicunt, irrito conatu. *Ioſeph. Ant.* XX. 3. 3. Iſti rumores ſuſpendebant animos Iudaeorum in Palaeſtina. Ioſ. B. I. II. 16. Poteſt etiam huc referri *metus belli a Caio*, quum imaginem ſuam templo inferre pararet. ὁρᾶτε, μὴ θροεῖσθε) Conſiderate iſta diligenter; ſed ne ita mouemini iſtis, quaſi extrema eſſent malorum quae Iudaeos manent. δεῖ γὰρ πάντα γενέσθαι) Δεῖ ſpectat Dei conſilium, ſapienter permittentis ea mala, ad quae Iudaei ſua ſponte ferebantur, quo magis iuſtitia ipſius pateſceret. οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος) i. e. nondum ad ſummum peruenit poena Iudaeorum. Nam τὸ τέλος explicari poteſt (et fortaſſis etiam debet,) de fine Hieroſolymorum et ciuitatis Iudaicae. Haec bella, et rumores de bellis non eſſe

ſigna

ſigna (inquit Ieſus) totalis exitii reipublicae Iudaicae imminentis; nondum tunc fugiendum eſſe e Palaeſtina. Alii τὸ τέλος explicant de *conſummatione rerum*.

7. ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος) Significat, Iudaeos, et qui aliarum erant gentium iisdem in ciuitatibus morantes, mutuis inter ſe caedibus collidendos; quod contigit Caeſareae primum, deinde Scythopoli, Ptolemaide, Tyri, Gadaris, rurſum Alexandriae, deinde et Damaſci. βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν) Significat *tetrarcharum aut prouinciarum aperta inter ſe bella.* Nam βασιλεία ex more hebraici ſermonis interdum eſt *praefectura quaeuis.* Huc referri debet Iudaeorum in Peraea habitantium bellum aduerſus Philadelphenos ob finium controuerſiam, *Cuſpio Fado* procuratore; Iudaeorum et Galilaeorum bellum aduerſus Samaritas, procuratore *Cumano* etc. καὶ ἔσονται λιμοὶ) *Claudii* tempore Act. XI, 28. καὶ λοιμοὶ) prouerbio dicitur: μετὰ λιμὸν λοιμός. σεισμοὶ κατὰ τόπους) Σεισμὸς h. l. eſt motus terrae, omiſſo τῆς γῆς. Κατὰ τόπους, non ubique terrarum, et ſingulis locis; ſed uariis, diuerſis locis. Hi autem terrae motus a Chriſto praedicti partim in Claudii, partim in Neronis tempora inciderunt.

8. ἀρχὴ ὠδίνων) *Initium calamitatum.* Saepiſſime in Pſalmis et Prophetis maximi dolores doloribus parturientis comparantur. Sed plus hic dicit Chriſtus: ea nempe, quae iam memorauit mala, adeo ſuprema non fore, ut primis demum doloribus pariturae mulieris conferri debeant, poſt quos dolor multo grauior in partu ipſo ſequitur.

9. τότε) i. e. *circa iſta tempora;* ita enim ſolet τότε laxius accipi. Nam quae ſequuntur, partim ante iam narra-

tas

tas Iudaeorum calamitates (quod Lucas hoc loco aperte ſignificat,) partim inter eas acciderunt. Nunc igitur docet Ieſus, non tam iucundam fore eorum, qui in partes regni eius uenturi eſſent, Apoſtolorum et diſcipulorum conditionem, ut ipſi tum ſperabant, ſed multis uexationibus et calamitatibus eos fore obnoxios. παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλίψιν) θλίψις ſunt *flagra, carcer, aliaeque id genus uexationes.* καὶ ἀποκτενοῦσιν ὑμᾶς) efficient, ut quidam ueſtrum, ἐξ ὑμῶν, ut *Lucas* inquit, etiam interficiantur, ſiue populari tumultu, ut *Stephanus*, ſiue iudicii ſpecie, ut *Iacobi* duo. ὑπὸ πάντων ἐθνῶν) Non in Iudaeorum tantum uenietis odium, ſed et aliarum per orbem gentium. Quod coepit maxime ſub Nerone, qui incenſae a ſe urbis rumori Chriſtianos, ut Tacitus narrat, reos ſubdidit, et quaeſitiſſimis poenis affecit. διὰ τὸ ὄνομά μου) Ob nudam Chriſtianismi profeſſionem, 1 Petr. IV, 16.

10. σκανδαλισθήσονται πολλοὶ) Conſpecto iſto omnium gentium aduerſus Chriſtianos odio, multi a Chriſtianismi profeſſione deficient. De ſignificatione uerbi σκανδαλίζεσθαι uide notata ſupra ad c. XVIII, 6. V, 29. καὶ ἀλλήλους παραδώσουσι, καὶ μισήσουσιν ἀλλήλους) Vox ἀλλήλων hic latius ponitur, pro eo quod diceremus, *alter alterum odio habebit, ac tradet.* Senſus eſt, futurum, ut Chriſtianorum alii alios tradant, nimirum hi, qui a Chriſtianismo deficiunt, eos, qui perſeuerant.

11. ψευδοπροφῆται) *Falſi magiſtri*; ſicut προφῆται dicebantur Hebraeis non hi tantum, qui praedicebant futura, ſed et qui legem interpretabantur.

12. ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν) Quum uidebunt, se ab illis, quos sanctissimos et coniunctissimos habebant, prodi, nemini amplius fident, et sibi solis consulere studebunt; ne beneficia in ingratos collocantes, aut sibi hostem statim emant, aut ipsi tandem egeant.

13. ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, ὗτος σωθήσεται) τέλος h. l. *de fine reipublicae Iudaicae, et destructione Hierosolymorum* capiendum esse uidetur, (ut u. 6. 14.) ita ut sensus sit: qui ad excidium usque Hierosolymorum, atque adeo ad finem reipublicae Iudaicae, in fide, sanctitateque uitae permanserit, is seruabitur, s. singulari Dei prouidentia incolumis saluusque euadet: quam Christi praedictionem euentum suum habuisse, docet historia de Pella, urbe Decapoleos, et locis montanis, quo homines pii, in ipso illo funestissimo bello Hierosolymitano, se contulerunt, stragemque communem euitarunt, auctore Eusebio H. E. Lib. III. c. 5. Posset uero εἰς τέλος uerti *perpetuo, constanter*, et σώζεσθαι intelligi de omni illa salute et felicitate, quam religio praestat fidelibus suis cultoribus et in hac et in futura illa uita. Sensus tum esset: *Qui constans perseuerauerit* (in tolerandis malis ob religionis meae professionem) *is salutem et felicitatem consequetur* cultoribus meis paratam.

14. ἐν ὅλῃ τῇ οἰκυμένῃ) οἰκυμένη (sc. γῆ) non semper est uniuersus orbis terrarum, sed interdum imperium Romanum, ut Luc. II, 1. interdum autem magna imperii Romani pars, et inprimis Iudaea, ut Act. XI, 28. Hoc loco magna pars Romani imperii intelligitur; nam ante excidium Hierosolymitanum aliis etiam populis extra Iudaeam non paucis annunciatum est Euangelium, teste historia ecclesiastica. εἰς

μαρτυ-

μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι) *Vt omnibus nationibus innotescat.* Exemplo gentium etiam barbararum Deus Iudaeos inuitare uoluit ad obedientiam Euangelii, et non obedientes contumacis incredulitatis apud omnes populos conuincere, antequam in eos irae suae thesauros effunderet. καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος) finis iudiciorum Dei aduersus gentem Iudaeorum.

15. ὅταν ὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τῦ προφήτυ) *Quum autem conspicietis profanum omnia deuastaturum exercitum.* Nunc docet Iesus, quo signo cognoscere possent discipuli eius et sectatores, adesse iam interitum urbis et reipublicae Iudaicae, τί τὸ σημεῖον τῆς ἑαυτῦ παρυσίας, καὶ τῆς συντελείας τῦ αἰῶνος; comm. 3. *Quando*, inquit, *Hierosolymam exercitibus Romanorum uideritis obsessam, tum eius appropinquasse desolationem, et fugiendum esse ex Iudaea cognoscite.* Cf. Luc. XXI, 20. βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως est *abominatio uastatrix, uel desolans*, שקץ שמם Dan. XII, 11. Illa autem *abominatio* est exercitus Romanus, cum signis et imaginibus, duce Cestio, in solo circa urbem castramentatus, cf. Luc. XXI, 20. et uocatur *desolatio*, s. *desolator*, quia uenit ad desolanda et destruenda cum Hierosolyma, tum templum. Iosephus disertis uerbis docet, hoc Danielis uaticinium de Romanis Hierosolyma deuastantibus exponendum esse, Lib. X. Antiq. c. XI. §. 7. ἑςὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ) Quidam Codd. habent ἑςὸς. Sed potest etiam ἑςὼς esse Neutrum, contractum ex ἑςαὸς, pro ἑςηκὸς, adeoque ad βδέλυγμα referri. Vid. *Bowyeri coniect.* ad h. l. Ἐν τόπῳ ἁγίῳ. Ὅπυ ὐ δεῖ, secundum *Marcum*, non in ipso templo, (id enim non erat nota futurae cladis, sed ipsa clades praesentissima) uerum in templi

conſpectu, in ſolo circa urbem, quod ſolum Deo uni, non gentium Diis, ſacrum eſſe oportebat. ὁ ἀναγινώσκων νοείτω) Verba ſunt Matthaei, non Chriſti, parentheſi includenda, ex Dan. IX, 25. deſumta.

16. τότε οἱ ἐν τῇ Ἰϐδάιᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη) Τότε, i. e. ſi non ante fugeritis, tunc ſaltem fugite, quum primum aduentare expanſis ſignis exercitum conſpicietis, quum poni primum caſtra incipient; nam ad id usque tempus patebat fuga, nondum occluſis egreſſibus. Illud autem ἐπὶ τὰ ὄρη, ſicut alludere ad *Lothi* hiſtoriam uidetur, ita reipſa quoque eſt impletum. Sic ante obſidium Hieroſolymorum Hierichuntinos fugiſſe εἰς τὴν ὀρεινὴν narrat *Ioſephus*. Sed et Chriſtiani Scriptores prodiderunt, multis perfugium fuiſſe non Pellam tantum, ſed et in alia loca regni *Agrippae* et *Syriae*.

17. ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος μὴ καταβαινέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτϐ) Tecta plana Iudaeorum ita erant comparata, ut non tantum in iis ambulare, ſed et ex uno ad alterum progredi liceret. Vid. b. *Fabri Archaeologie der Hebraeer* p. 418. 419. Senſus igitur eſt: ſi ſuper tecto ſpeculatus uides exercitum hoſtilem urbi appropinquantem, noli tempus terere conuaſando omnia quae domi habes, aut ſarcinulam colligendo, ſed omni mora abiecta coniice te in pedes, et fuge per tecta, uia breuiſſima, non per domum. Repentinam fugam ſuadet Chriſtus, ob praeſentiſſimum periculum.

18. τὰ ἱμάτια) τὸ ἱμάτιον habent multi Codd. Verſſ. et Patr. Sed eſt haec uox earum in numero, quae plurali ſono ſignificationem habent interdum ſingularem. τὸ ἱμάτιον autem, ut uidetur, eſt *pallium*, uel ueſtis exterior. Chriſtus

his

his etiam uerbis summam festinationem in fuga suadet. Solebant enim Orientales, sicut Romani, dum opus rusticum facerent, uestem exteriorem humi, uel in casa deponere. *Hesiod.* Oper. II. 9. Γυμνὸν σπείρειν. *Georg.* I. 299. Nudus ara, sere nudus; i. e. sine toga et pallio.

19. οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις) *Grauidis et nutrientibus.* Nam grauidae in fuga parturient forsan, et parui liberi magna fugae sunt impedimenta.

20. μηδὲ ἐν σαββάτῳ) Iudaei statuerunt, non licere die Sabbati ultra bis mille cubitorum spatium ambulando emetiri. Optandum igitur, dicit Christus, ne in Sabbatum incidat fugae necessitas, ostendens, longe ultra bis mille cubitos fugiendum. Legimus quidem apud Iudaeorum magistros, uitae periculo cessare legem Sabbati; sed ea exceptio non omnibus erat probata. Quanquam autem erat cessatura ante excidium Hierosolymitanum stricta illa obligatio sabbati, paucissimi tamen fuere ante excidium templi, qui libertatem suam intelligerent. Quamdiu autem manebat persuasio, Christianos etiam teneri lege sabbati, contra quicquam facere graue fuisset delictum.

21. ἔσται γὰρ τότε θλίψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν) Post elapsam fugae occasionem, mala imminebunt omnibus malis humanis grauiora, intus latrocinia, fames, pestis, extra ferrum et flamma. *Ioseph.* de B. I. V. c. 10. §. 5. μήτε πόλιν ἄλλην τοιαῦτα πεπονθέναι, μήτε γενεὰν ἐξ αἰῶνος γεγονέναι κακίας γονιμωτέραν. οὐδ' οὐ μὴ γένηται) Tribus negatiuis particulis non ter negatur, sed ut simplex negatio certior ac magis fixa appareat, interseruntur illa οὐ μή, quae ualent

πώποτε,

πώποτε, ut Marc. XIV, 25. ὐκέτι ὐ μὴ πίω, Cf. etiam Luc. X, 19.

22. καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, ὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ.) *Nisi contraherentur et breuiores redderentur dies (excidii sc. Hierosol.) nemo (Iudaeorum) superstes maneret.* Σάρξ, ut hebr. בשר h. l. est *homo*, et per synecdochen gen. *Iudaeus.* Multa erant, quae Hierosolymorum expugnationi moram allatura uidebantur, hinc rebellio trium principum, et Vespasiani ex Iudaea discessus ad capessendum imperium, inde Iudaicae gentis obstinatio, odio Romanorum, prospera cum Cestio pugna et spe auxilii tum diuini tum Iudaeorum transeuphratensium aucta, Hierosolyma urbs munitissima, omnibus rebus necessariis ad tolerandam longam obsidionem instructa. Accesserunt consilia ducum in exercitu Titi, suadentium, ut famem hostium operiretur, Ioseph. L. V. c. 12. §. 1. quae iuncta Iudaeae internecionem minabantur. διὰ δὲ τὐς ἐκλεκτὐς) i. e. Christianorum caussa, qui sparsi per Iudaeam et Galilaeam pecudum ritu caesi fuissent a sicariis, Zelotis et tyrannis, utpote auersi a belli consiliis. Ἐκλεκτοὶ quasi proprio nomine dicuntur Christiani, utpote charissima Dei pignora. κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι) Obsidio omnium exspectatione celerius finem habuit, dum tyranni Iudaici mutuis uulneribus conciderent, frumenta amburerent, et loca munitissima amentes sponte desererent.

23. Τότε) Circa tempus obsidionis, et post urbis deuastationem. ὧδε ὁ Χριςὸς) Libertatis uindex, et Iudaeorum liberator, ut supra u. 5.

24. ἐγερ-

24. ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριςοι) *excitabuntur*, i. e. *exorientur*; multi ſe gerent pro Meſſia. Statim poſt excidium *Ionathas* multos in Cyrenaicam ſolitudinem perduxit, quem conatum *Catullus* prouinciae praeſes armis disiecit. *Adriani* temporibus *Barchochebas* palam omnibus dixit, ſe eſſe Meſſiam. καὶ ψευδοπροφῆται) Παραςάται τῶν ψευδοχρίςων, qui ſacrarum litterarum teſtimoniis abutebantur, ut populo perſuaderent, hunc aut illum impoſtorem eſſe uerum Meſſiam. καὶ δώσȣσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα) Διδόναι, ut hebr. נָתַן h. l. denotat ἀποδεικνύειν, palam aliquid deſignare inſigne, quod omnibus ſpectandum proponatur. Sic flammas euomere putatum Barchochebam narrat Hieronymus. Eiusmodi impoſtores iam ante excidium Hieroſolymitanum in Iudaea extitiſſe, docet *Ioſephus*, Antiquitt. L. XX, c. 8. ὥςε πλανῆσαι εἰ δυνατὸν, καὶ τȣ̀ς ἐκλεκτȣ̀ς) Marcus: πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν. Senſus eſt, illos impoſtores omnem operam daturos, ut non tantum Iudaeos incredulos, ſed et eos, qui Chriſto ſerio nomen dederant, in ſuas pertrahant partes. Illud εἰ δυνατὸν rei denotat difficultatem.

26. ἰδȣ̀, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐςὶ) Meſſias ſcilicet, quod *Marcus* addit. Solebant id genus impoſtores abducere homines in ſolitudinem, ut tuto ibi manum colligerent, quod apud *Ioſephum* paſſim uidere eſt. μὴ ἐξέλθητε) *Ne ite*, ut illorum ductum ſequamini. ἐν τοῖς ταμείοις) *in conclaui domus*, ut ſupra c. VI. 6. Nam quidam haud ſatis fidentes uiribus clam colligebant ſectatores.

27. ὥσπερ γὰρ — ἀνθρώπȣ) i. e. *Inopinatus et repentinus erit aduentus meus.* Nihil enim uelocius fulgure. Τὴν παρȣσίαν autem Meſſiae eſſe aduentum eius ad iudicandos

dos puniendosque Iudaeos, per ſe patet. Simul uero innuere uidetur Ieſus, Meſſiam non amplius eo modo conſpiciendum fore, ut dici poſſit, eum hoc uel illo loco eſſe, ſed inuiſibili modo declaraturum ſuam uim et maieſtatem.

28. ὅπȣ γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί) Prouerbialiter haec dicta eſſe, facile patet. Sicut cadaueribus aquilae aduolare, iisque paſci ſolent; ita, quum urbs et gens impia internecioni matura fuerit, aduolabunt illico milites Romani, aquilarum inſtar cum aquilis ſuis, atque eam dilacerabunt et exedent. Promiſcue dici, nunc πτῶμα ſimpliciter, nunc addito νεκρȣ̃, ab optimis graecis ſcriptoribus, docuit *Sallierius* ad Thom. Mag. Ecl. Att. p. 765. Vid. etiam *Loeſn.* ad h. l. Finem hic eſſe uaticinii de excidio Hieroſolymitano, et reſponſionis ad primam et ſecundam quaeſtionem diſcipulorum, plurimorum interpretum eſt ſententia, propter Marc. XIII, 24. et Luc. XXI, 25. Alii uero eam etiam orationis Chriſti partem, quae u. 29. incipit, de Hieroſolymorum euerſione adiunctisque rebus unice interpretantur, non inficiantur tamen, ab iſto reipublicae Iudaicae exitio Chriſtianorumque liberatione poſthaec Chriſti ſermonem ad diem hominibus uniuerſis fatalem conuerti.

29. εὐθέως δὲ — σαλευθήσονται) Qui haec et quae ſequuntur de extremo iudicio et ultimo Chriſti aduentu explicanda eſſe cenſent, ii uim uerborum urgent, et omnes a Saluatore allegatas circumſtantias. Ex horum ſententia particula εὐθέως h. l. denotat *ſubito*, ut alias ſaepius, e. g. infra c. XXVI, 49. Marc. XIV, 45. Marc. V, 2.

c. IX,

c. IX, 24. et accipiunt non de breui interuallo, ſed de ſubito poſt longa interualla euentu. *Sol* et *luna* obſcurabuntur proprie, ſiue graui tempeſtate, futuram deuaſtationem telluris noſtrae anteceſſura id fiat, ſiue aliis ex cauſſis. Quod dicitur: οἱ ἀςέρες πεσȣ̃νται ἀπὸ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, id intelligunt *optice*; ſtellas fore quaſi non eſſent, ſine luce; Chriſtum enim non ſectari ἀκρίβειαν aſtronomicam, ſed captui uulgi acommodare ſermonem. Ἀι δυνάμεις τῶν ȣ̓ρανῶν, צבא השמים eſt *multitudo ſtellarum*, alias ἡ ςρατεία τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, ut 2 Paralip. XXXIII, 5. Ierem. XXXIII, 22. Verba καὶ ἀι δυν. τ. ȣ̓ρ. σαλευθήσονται epexegeſin eſſe putant phraſeos: οἱ ἀςέρες πεσȣ̃νται ἀπὸ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, et ſenſum eſſe: *coelum ipſum quaſi concutietur horrenda illa rerum conuerſione.* Qui locum de Hieroſolymorum euerſione adiunctisque rebus unice interpretantur, illi multa habent, quibus cauſſam ſuam tueantur. Verba nempe Matthaei: ἐυθέως μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, lucem accipiunt ex Marc. XIII, 24. ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, et Luc. XXI, 25. quibus confirmari uidetur, ſermonem eſſe de his, quae ſtatim poſt ea quae ante dicta erant ſigna inſtantis aduentus Chriſti euentura eſſent. Docuerat Ieſus ſupra u. 15. ſqq. quo ſigno cognoſcere poſſent diſcipuli adeſſe iam interitum urbis et templi. Nunc uero u. 29. ſeqq. ipſam euerſionem atque totalem Iudaeorum cladem imagine prophetica ob oculos quaſi ponit. Accedit, quod Chriſtus, narrantibus omnibus Euangeliſtis, perituram negat ταύτην τὴν γενεὰν, ante quam *haec omnia* contigerint, infra u. 34. Marc. XIII, 30. Luc. XXI, 32. Ergo quae hic de obſcuratione ſolis, lunae et ſtellarum etc. dicuntur, improprie intelligenda eſſe uidentur. Prophetae nempe

 his

his ipſis uerbis praedicunt tempora calamitoſiſſima ac triſtiſſima, e. g. Ieſ. XIII, 10. Ezech. XXXII, 7. 8. Ioel II, 3. 4. Si quis obiiciat, Ieſum ſtilo iſto poetico, et ſubliniori dicendi genere, quo prophetae V. T. uſi ſunt, *nunquam* uti potuiſſe, reſponderi poteſt, Ieſum hic, ubi futura praedicit, prophetae agere perſonam, et ſaepe uſum eſſe imaginibus. Deſcribere igitur uidetur Ieſus his phraſibus, more et ſtilo prophetico fata Iudaeorum triſtiſſima. Nimirum poſt euerſionem urbis multa Iudaeorum millia uendita et in ſeruitutem redacta ſunt. Confugerant multi Iudaei in Galilaeam; ſed Romani eos perſecuti, ſeueriſſime eos conquiſiuerunt, et caſtella in quibus maxime latebant, incendio deleuerunt, ut propemodum uniuerſa Galilaea flagrare uideretur. Haec ſtatim poſt excidium euenerunt. Commentarii loco eſſe poteſt *IOSEPHUS* de B. Iud. inprimis Lib. III, c. 4. et V, c. 13. *Grotius* exiſtimat, Chriſto propoſitum fuiſſe ſignificare diſcipulis, ſicut excidium Hieroſolymitanum habuit ſuas praeuias calamitates, ita habiturum et uniuerſalis iudicii diem. Excidium Hieroſolymitanum figuram et quaſi pignus fuiſſe uniuerſalis iudicii. — Vno uaticinio haud raro plures ſignificari euentus ſimiles, negari uix poteſt. Vid. not. ad c. I, 22.

30. καὶ τότε — ȣρανῷ) *Tum uidebunt documentum, quo conſtet, Meſſiam in coelo eſſe*, i. e. regnare, hoſtesque ſibi ſubiicere. Ita uerba haec interpretanda eſſe monet Ven. *MORUS*, in diſſertatt. theolog. et philolog. p. 145. Apud Marcum et Lucam de σημείῳ nihil eſt. Sed plane idem ſenſus eſt phraſium: *Videbunt, Meſſiam uenire, gerere ſe Regem*; et: *uidebunt documentum Meſſiae regnantis.* Nam haec

haec ipſa fata triſtiſſima Iudaeorum, et latior propagatio religionis chriſtianae, quae ſecuta eſt poſtquam illud impedimentum Iudaicae ciuitatis legisque ritualis ſublatum erat, documento eſſe poterant, Ieſum eſſe Meſſiam, et regnare in coelis. Σημεῖον eſt *documentum*, monumentum, unde aliquid cognoſcatur, concludatur, aut quo aliquid confirmetur. καὶ τότε — — δόξης πολλῆς) πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, *omnes tribus terrae*, ſunt Iudaei qui non crediderunt in Chriſtum. Videntur haec uerba deſumta eſſe ex Zachar. XII, 12. et referuntur ad planctum, exſtiturum ob iudicia illa ſeueriſſima quae tum exercebuntur a Chriſto. Quae ſequuntur uerba: καὶ ὄψονται — νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, non accipienda ſunt proprie de adſpectabili aduentu, ſed de luculenta operatione Meſſiae, qua ſuam declarat maieſtatem, ut ſupra c. XVI, 27. Declarauit autem maieſtatem ſuam, partim per abolitionem oeconomiae Moſaicae, partim per propagationem ſuae religionis, quae facilior erat, impedimento illo Iudaicae ciuitatis legisque ritualis ſublato. Alii haec et ſequentia uerba comm. 31. proprie de aduentu Chriſti ultimo ad iudicium illud uniuerſale interpretantur.

31. καὶ ἀποστελεῖ — ἕως ἄκρων αὐτῶν) Qui totum hunc locum de luculenta operatione Meſſiae interpretantur, ii haec omnia improprio ſenſu accipiunt, ut ſupra c. XVI, 27. Quicquid nempe per prouidentiam Dei ſingularem fit, id miniſterio angelorum interdum tribuitur, quia angeli ſunt miniſtri prouidentiae diuinae. Μετὰ σάλπιγγος μεγάλης, *cum tuba canora*, ἓν διὰ δυοῖν. Improprie angelis tubam tribui, nemo non uidet. καὶ ἐπισυνάξουσι) Alluſio ad morem

morem Iudaeorum, apud quos ἡ ἐπισύναξις fieri ſolebat ſono tubae Num. X. τὲς ἐκλεκτὲς ἀυτὲ) i. e. Chriſtianos, ueros ſcilicet atque conſtantes, ut ſupra. ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων) i. e. ex omnibus mundi regionibus. ἀπ᾽ ἄκρων ὐρανῶν, ἕως ἄκρον ἀυτῶν) Explicatio eius, quod praeceſſerat. Ab uno extremo coelorum ad alterum, i. e. a toto terrarum orbe, qui coelo tegitur. Diſcipuli mei, inquit Ieſus, per totum orbem diſperſi, in tantis motibus ſeruabuntur illaeſi, tanquam ſub alis prouidentiae abſconditi et congregati. Sic Wetſtenius exprimit ſenſum.

32. ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς μάθετε τὴν παραβολὴν) Hanc parabolam a ficu (deſumtam) diſcite. ἁπαλὸς) *tener*, uel potius *laeuis*. Nam corticis et libri laeuor indicat, ſuccum illum uitalem e radice ad librum euaſiſſe.

33. ὕτω καὶ — ἐπὶ θύραις) Sc. ἡ βασιλεία τὲ θεὲ, quod Lucas addit c. XXI, 31. *Ita et uos, quum haec omnia uideritis, exinde colligere poteritis, prope adeſſe regnum Meſſiae,* i. e. auguſtius appariturum eſſe. Nam poſt euerſam rempublicam Iudaicam latius propagata eſt religio chriſtiana. Illi etiam, qui praecedentia de ultimo Chriſti aduentu interpretantur, fatentur, ea, quae nunc ſequuntur ad comma usque 36. ad fata reipublicae Iudaicae pertinere. Dicendum igitur eſſet, Euangeliſtas in recenſendis ſermonibus Chriſti ordinis rationem non habuiſſe; in quo facile excuſari poſſent, ſi Chriſtus, quod uerisimile eſt, non continua orationis ſerie, ſed ut in mutuis colloquiis fieri ſolet, ſaepe interrupto ſermone de his rebus collocutus eſſet cum diſcipulis. Collocanda igitur haec eſſent poſt comma 25. huius capitis.

34. ἡ

34. ἡ γενεὰ αὕτη) γενεὰ, hebraeo דור respondens hic ſignificat eius aetatis homines. Certe multi eorum, qui tum uiuebant, potuerunt non excidium tantum Hieroſolymorum, ſed et multa eo excidio poſteriora conſpicere, quod uel unius *Ioannis* exemplo manifeſtum eſt. πάντα ταῦτα) de quibus ſcilicet initio dixerat, u. 7 — 31. huius capitis.

35. ὁ ὐρανὸς — παρέλθωσι) *Citius coelum et terra pereant, quam ut ſermones mei irriti reperiantur.* Certiſſime euenient quae praedixi. Παρελεύσονται, pro παρέλθωσιν ἄν. Comparatione enim rei, quae uideatur maxime impoſſibilis, utitur Chriſtus, ut oſtendat, multo minus fieri poſſe, ut oracula ſua non impleantur. Οἱ δὲ λόγοι μȣ ȣ̓ μὴ παρέλθωσι, pro: πρὶν ἢ παρελθεῖν τȣ̀ς λόγȣς μȣ. Vid. ſupra c. V, 18.

36. περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης) nimirum τῆς παρȣσίας τȣ͂ υἱȣ͂ τȣ͂ ἀνθρώπȣ, u. 28. uel etiam τῆς συντελείας τȣ͂ αἰῶνος. Nam ad utrumque euentum referri poſſunt, haec uerba. ἄγγελοι ȣ̓ρανῶν) ſc. *incolae*, i. e. angeli in coelis. ȣ̓δὲ ὁ υἱὸς) Aberat a codicibus Adamantii et Pierii teſte Hieronymo, et a codd. gr. ueteribus ap. Ambroſium. Sed non multum refert, an hic legatur, nec ne, quum apud Marcum nemo deleat. Chriſtus, qua Meſſias illum diem ignorauit.

37. ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τȣ͂ Νῶε) ſc. ἦσαν. Metonymice dicitur, fore ut eadem accidant tempore aduentus Chriſti, quae Noae tempore acciderint. Quae ſequuntur et ad tempora excidii Hieroſolymitani et ad tempora extremum iudicium antecedentia referri poſſunt, ad haec tamen magis quam ad illa. Videtur Chriſtus haec diuerſis tem-

temporibus et occaſionibus dixiſſe. Cf. Luc. XII, 35. ſqq. Luc. XVII, 34.

38. τρώγοντες καὶ πίνοντες) Non ſecuri tantum, ſed et uoluptatibus ſuis mancipati omne ſtudium ponentes in rebus caducis. γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες) contrahentes coniugia, et elocantes nuptum aliquas, i. e. nuptias iungentes — nominis ſcilicet generisque propagandi deſiderio flagrantes, quaſi in eo ſita eſſet tota ſpes immortalitatis. εἰς τὴν κιβωτὸν) Ita LXX. transferunt hebraeum תבה, quos et Petrus ſequitur, ſed et *Philo*. Ioſephus λάρνακα dixit.

39. οὐκ ἔγνωσαν) ידע Hebraeis ſaepe eſt προσέχειν, ut Eccleſ. IV, 17. Ieſ. I, 3. Ita ſumitur γινώσκειν hic, aliisque multis in locis. *Non intendebant animum.* καὶ ἦρεν ἅπαντας) ἦρεν eſt מחה Gen. VII, 23. ἅπαντας, omne humanum genus, τὸν ἀρχαῖον κόσμον, ut Petrus loquitur, octo duntaxat hominibus exceptis. οὕτως ἔσται) i. e. ita ſe res habebit, ſeu eadem fient in aduentu filii hominis.

40. ἐν τῷ ἀγρῷ) In quo rudes ſunt homines, quos per contemtum populum terrae uocabant legisperiti. At Chriſtus oſtendit, neque rude ingenium, neque deſpectam conditionem cuiquam obſtare, quo minus ad coeli gloriam aditus ei pateat. ὁ εἷς παραλαμβάνεται) i. e. uelut apprehenſa manu educetur e communi periculo. Alluſio enim eſt ad *Lothi* hiſtoriam, quam breuitatis cauſſa omiſit *Matthaeus*, *Lucas* autem expreſſit. Alii: *Vnus aſſumitur*, (παραλαμβάνεται) nempe ab hoſtibus, et captiuus abducitur; *alter relinquitur*; (ἀφίεται) hoſtes eum aufugere patientur.

41. δύο

41. δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι) Erat hoc ancillarum, ut docemur Exod. XI, 5. et Ies. XLVII, 2.

42. γρηγορεῖτε οὖν) *Vigilate*, nempe mente; intento animo estote, et corpore Luc. XXI, 36. Haec omnibus Christianis dicuntur. Illud autem, quod sequitur comm. 45. generalem admonitionem peculiariter apostolis aliisque ecclesiae pastoribus accommodat, cf. Luc. XII, 41.

43. ποίᾳ φυλακῇ) qua custodia seu uigilia, i. e. quo tempore seu temporis momento, noctu. ἐγρηγόρησεν ἂν) Facile est, inquit Christus, praecauere periculum unius ac praefiniti temporis. Sed quia haec, quae dixi pericula tempus habent incertum, ideo semper metuenda, semperque cauenda sunt.

44. γίνεσθε ἕτοιμοι) parati et praesto sitis. Sic animati estote, sic uiuite, quemadmodum uixisse in aduentu Messiae optabitis. ἔρχεται) i. e. uenire potest inexspectatus, nisi eum semper exspectetis. ἔρχεται pro ἔρχοιτο ἄν.

45. τὶς ἄρα ἐστιν) Non est hic τὶς interrogatiuum, sed ὑποθετικόν. *Si quis est* etc. ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ) Θεραπεία de *seruis* aliquoties cum apud alios scriptores, tum apud Philonem dicitur, ut obseruat *Loesnerus*. Eodem modo *ministerium seruile* dixit Iustinus XXIII, 1. *Legationes* pro legatis Liuius XXVI, 19. 51. Describit munus οἰκονόμου, i. e. dispensatoris, cui munus pastorum in ecclesia respondet. 1 Cor. IV, 1.

47. ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτὸν) Ex dispensatore procuratorem faciet, qui maior honos. Signi-

Significatur hac ſimilitudine honos ſummus, qui illi habebitur.

51. διχοτομήσει αὐτὸν) *diſſecabit eum*, i. e. morte crudeli interficiet. Species ponitur pro genere, ad imitationem hebraici גזר. καὶ τὸ μέρος αὐτȣ̃ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει) *Eum hypocritis annumerabit; conditionem eius parem faciet cum ſimulatorum conditione.* Nam θέσθαι τὶ μετὰ τινος, ſiue ἔν τινι eſt, *referre, annumerare aliquid alicui.* τὸ μέρος αὐτȣ̃ autem eſt pro: τὴν τάξιν αὐτȣ̃.

CAP. XXV.

1. Scopus huius ſimilitudinis ab ipſo Chriſto indicatur uerbis γρηγορεῖτε ȣ̃ν. Oſtendit nimirum Saluator, quid nobis ſit agendum, tantiſper dum aduentantem expectamus. Debemus ſemper ſolliciti eſſe de uita recte inſtituenda. Τότε — — τȣ̃ νυμφίȣ) Non tantum apud Iudaeos, ſed apud Graecos quoque et Romanos more erat receptum, ut ſponſus poſt deſponſationem et ante conſummationem matrimonii ſponſam noctu cum magna pompa in domum ſuam deduceret, uirgines autem, familiares uel conſanguineae ſponſae ad ſolemnia nuptiarum inuitatae, non procul a domo ſponſi expectarent, ut ſponſum et ſponſam praetereuntes comitarentur in domum, ubi conuiuium nuptiale celebratur. Vide *Harwood neue Einleitung in das Studium und die Kenntnis des N. T.* Pars III. Sect. 10. Supponit haec parabola ſic deducendam ſponſam in domum mariti, quae tamen, uel petita e longinquo, uel mora aliqua intercurrente, detenta, non adducta eſt ante mediam noctem. Praeſentia uirginum pompam rei ac feſtiuitatem ornauit.

4. ἐν

4. ἐν τοῖς ἀγγείοις) Latiſſime patet haec uox, ut et altera σκεῦος, per quam redditur Hebraeum כְּלִי.

5. ἐνύσταξαν) νυστάζειν factum ex uerbo νευστάζειν, ut perhibet Euſtathius, ſignificat procliuem eſſe ad ſomnum, quod Latini *dormitare* dixerunt.

6. μέσης δὲ νυκτὸς) Serius quam pro more; ideo praeceſſit χρονίζοντος δὲ τοῦ νυμφίου. Alioqui ut nocte duceretur ſponſa a nouo marito moris fuiſſe antiquiſſimi, atque ex eo manſiſſe in nuptiis faces, notatum *Seruio* ad Ecl. VIII.

7. ἐκόσμησαν) Hebraeum הֵטִיב Exodi XXX, 7. ubi de lychnis, ut hic, agitur, Graeci ἐπισκευάζειν uertunt; alibi κοσμεῖν, ut 2 Reg. IX, 30.

9. μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν) Particula μήποτε ponitur in dubitationibus, et intellecto ὅρα, σκόπει, reddi poteſt *ne*, uel ſimpliciter ſine illa ellipſi *fortaſſe*, ut ſaepiſſime apud Philonem occurrit, obſeruante Loesnero.

10 — 12. ἀπερχομένων — οὐκ οἶδα ὑμᾶς) In parabolis non eſſe premendas partes ſingulas, ſed intuendum ſcopum comparationis, recte praecipiunt bonae notae interpretes. Sic e. g. fruſtra quaeritur, quid ſignificent lampades, oleum etc. Summa totius parabolae eſt haec: Aeque fatuos ac ſtultos eſſe eos, qui ſalutem aeternam ſine uera fide et bonorum operum ſtudio ſperant, et opus conuerſionis procraſtinant, ac uirgines illae fatuae, quae in parabola deſcribuntur; ſapienter uero illos tantum agere, qui cum fide ſtudium bonorum operum coniungunt, et ita uitam inſtituunt, ut ſemper ad bene moriendum ſint parati.

14. ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος) Ellipticus ſermo. Hoc enim dicitur: Id futurum eſſe; uel fore ut idem aut ſimile quippiam accidat in regno Meſſiae, quale narratur in parabola. ἐκάλεσε τοὺς ἰδίους δούλους) quos maxime ad hoc idoneos iudicabat u. 15. et quos accuratius et maiore fide quam menſarios negotium geſturos eſſe ſperabat. *Seine eigenen Knechte.* καὶ παρέδωκεν — αὐτοῦ) Sic Apoſtolis, ſic omnibus Chriſtianis animi et corporis bona concredidit Chriſtus, aliis maiora, aliis minora, ut quisque pro ſua facultate ad communem utilitatem ſuum conferat; quod expreſſius dicitur comm. ſequenti.

15. ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν) Pro cuiusque *facultate*, ſiue, prout quemque norat ingenii ſolertia, induſtria in agendo, et felicitate in tuto collocanda pecunia ad foenus exaggerandum ualere ,ita grandius aes foenebre ei committebat. Δύναμις enim ſaepe *ingenii ſolertiam, rerumque tractandarum peritiam* deſignat. καὶ ἀπεδήμησεν εὐθέως) Sic Chriſtus peracto opere ſuo in his terris abiit ad patrem.

16. εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς) ἐργάζεσθαι, *negotiari*, ſatis Graecum eſt; ſed illud ἐν eſt Helleniſticum. Graeci enim dicerent: ἐργάζεσθαι αὐτοῖς. ἐποίησεν) *acquiſiuit.* Ita ποιεῖσθαι ἀργύριον apud Pollucem. Ita multi bene utuntur donis a Deo ſibi conceſſis.

18 ἀπελθὼν) redundat ex hebr. idiotismo. ὤρυξεν ἐν τῇ γῇ) Ita Latinis defoſſo auro incubare dicitur, qui inutilem pecuniam detinet. Imago hominum, qui non recte utuntur donis acceptis.

19. μετὰ

19. μετὰ — λόγον) Sic Chriſto aliquando redituro rationem reddent homines.

20. ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς) *ex iis*, uel *per ea.*

21. εὖ) Laudantis, ut et εὖγε, quod quia Latini quoque eodem ſenſu uſurpant, prudenter hic poſuit latinus Interpres. Alioqui *Macte*, aut *Bonum factum*, aut *Bene habet*, potuerat uertere. ἐπὶ πολλῶν σε καταςήσω) *Plura tibi committam.* Nam, ut recte Cicero ad Q. Fratrem: *Quanta eſt in quoque fides, tantum cuique committendum.* εἰς τὴν χαρὰν τῦ κυρίυ συ) *Particeps eſto herilis gaudii.* Ἡ χαρὰ τῦ κυρίυ, *gaudium Domini*, eſt gaudium quo Dominus fruitur, et quidem rex, qui repudiatus a rebellibus ciuibus, nunc regno potitur, ut patet ex Luc. XIX, 12. 15. Εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν χαρὰν eſt *participem eſſe gaudii uel felicitatis.* Eſt hebraica phraſis, cui ſimilis extat Pſ. LXIX, 28. et XCV, 11. Interdum etiam ab Hebraeis gaudium dicitur *conuiuium*, in quo gaudere ſolent. Hinc prouerbium Iudaeorum: non eſt laetitia ſine carne.

22. 23. Non opera ipſa ponderat Chriſtus, (ad quae facienda non omnibus temporis tantundem, non aequa occaſio,) ſed fidele ſtudium. Itaque ſaepe: *In tenui labor, at tenuis non gloria.*

24. ὁ τὸ ἓν τάλαντον) In eo, cui minimum erat concreditum, negligentiae exemplum poſuit Chriſtus, ne quis ſperaret, excuſatum ſe iri ab omni labore ideo, quod non eximia dona accepiſſet. Plus quidem exigetur ab eo, cui plus datum eſt, ut ait Lucas; ſed et is fructum debet, qui

minus accepit. σκληρὸς) Homo durus et aſper. Sequentia oſtendunt, indicari eum, qui non modo ſit ἀκριβοδίκαιος, ſed et πλεονέκτης, *homo auarus*, qui auaritia motus ſimul et auſterus et crudelis eſt, et nullo erga alios miſericordiae ſenſu ducitur. Vid. *Kypke* ad h. l. θερίζων — ὃ διεσκόρπισας) Bis idem exprimit, diuerſis modis, Hebraeorum more, prouerbialiter. Semen enim diſpergendo ſeritur, et metendo cum fructu ueluti rurſum colligitur. Sumtum autem eſt hoc prouerbium ab auarorum moribus, qui duri ſemper ſunt in operis urgendis. Imaginem in pigro in ſeruo habes hominum, qui ſibi tantum uiuunt, et aliorum commodis ſtudere nimis moleſtum exiſtimant.

25. ἔχεις τὸ σὸν) Formula nihil ultra debere ſe profitentis.

26. ᾔδεις) Figura, quam συγχώρησιν uocant. Eſto, ut dicis: noras me aſperum et plus aequo petentem: tanto magis curandum tibi fuit, ne me rei meae fructu fraudares.

27. τοῖς τραπεζίταις) τραπεζίται ſunt Daniſtae, qui menſulis in publico propoſitis, pecuniam foenore elocant, Latinis Argentarii. ἐγὼ ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ) Ἐκομισάμην, hic eſt: ἦλθον κομίζεσθαι, iuiſſem receptum, i. e. exegiſſem. Sic homines pigri et priuatis commodis ſuis intenti nullo modo ſe excuſare poterunt ob neglecta dona diuinitus ſibi data.

29. τῷ γὰρ — περισσευθήσεται) *Nam ei, qui recte utitur acceptis, plura et maiora committi ſolent.* Ἔχειν h. l. eſt *recte habere*, i. e. *bene uti*. ἀπὸ δὲ — ἀρθήσεται

ἀπ'

ἀπ' αὐτοῦ) *Non autem bene administranti rem sibi commissam, id etiam quod habet, auferri solet.* Prouerbium est, quod uarie applicari potest. In alia serie occurrebat supra c. XIII, 12. Quum in toto hoc loco sit sermo de pecunia, sensus erit: Diues facile augere solet diuitias; homo pauper uero plerumque illa paucula, quae habet, amittit. Quod igitur in uita communi fieri solet, id etiam hic locum habebit. Non male Cicero: *Lex ipsa naturae, quae utilitatem hominum conseruat et continet, decernit profecto, ut ab homine inerti et inutili ad sapientem, bonum, fortemque uirum transferantur res ad uiuendum necessariae.* De offic. III.

30. ἀχρεῖον δοῦλον) *Seruum inertem et improbum.* Talis enim omnino hic intelligi uidetur, quippe qui non solum pecunia sibi concredita nihil lucri Domino suo pepererat, sed et hunc magna audacia *iniustitiae* et *auaritiae* accusabat, et inertiae suae culpam in ipsum reiiciebat. Sic ἄχρηστος occurrit etiam in epist. ad Philem. u. 11. Ad sequentia cf. notata ad c. VIII, 12.

31. ὅταν δὲ — δόξῃ αὐτοῦ) De ultimo Christi aduentu ad iudicium extremum haec intelligenda esse, nemo dubitat. ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ) Vulgatus bene: *in maiestate sua*, i. e. ea pompa et solemnitate, quae Messiam et iudicem humani generis decet. 1 Cor. V, 27. ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ) Similitudo a regibus sumta, qui, quum res maximas tractant, insident magnifico ac sublimi solio. Sensus est: tum sententiam iudiciariam feret; praemia et poenas tribuet.

 32. πάντα

32. πάντα τὰ ἔθνη) Omnes uiuentes et mortui totius orbis. Act. X, 42. c. XVII, 31. Qui timent, ne amplum orbis ſpatium non ſufficiat tot hominibus, qui unquam uixerunt et adhuc uicturi ſunt, non cogitant, homines reſuſcitandos ſubtilioribus induendos eſſe corporibus. Vide quae contra horum uanum timorem diſputauit *Sueſſmilch* in libro: *Ordnung des menſchlichen Geſchlechts* etc. T. II. p. 230. ſq. et cf. S. V. *Doederlini* Theologi Ienenſis Theol. dogm. P. II. p. 255. edit. ſecundae. καὶ ἀφοριεῖ — ἐρίφων) Tropice et parabolice multa in tota hac oratione Chriſti dicta eſſe nemo non uidet. Sic Chriſtus, rex et dominus ſe comparat paſtori; homines autem, ex uoluntate Patris ſibi ſubiectos omnes, comparat gregi ouium et haedorum; ac bonos quidem et mites homines ouibus, malos autem, impuros et noxios haedis. *Hircus* enim eſt animal olidum et libidinoſum; quare ipſi mali daemones שְׂעִירִים, *hirci* Hebraeis dicuntur. In die illo extremo ſeparatio fiet bonorum et malorum, ut illi cum bonis et in iucundiſſimo eorum conſortio gaudiis fruantur; hi uero cum malis et in eorum triſti ſocietate poenis afficiantur.

33. καὶ στήσει — εὐωνύμων) Ad dextram iudicis collocari eſt boni ominis, ſicuti ad ſiniſtram, mali ominis. Illud eſt honoris, hoc ignominiae ſignum. Dextrae et ſiniſtrae in iudicio poſt hanc uitam mentio eſt etiam apud Profanos et Iudaeorum magiſtros. *VIRGIL. AENEID.* "Dextera, quae Ditis magni ſub moenia tendit. Hac iter Elyſium nobis: at laeua malorum Exercet poenas, et ad impia tartara mittit." *Schir R.* I. §. *Dextri et ſiniſtri*; in illis praeponderat iuſtitia, in his poena. *Plutarch.*

tarch Apophth. ἐκέλευσε τὲς μὲν ἐπὶ δεξιᾶ τὲ βήματος θεῖναι, τὲς δὲ ἐπ' ἀριςερᾶ — τὲς βελτίονας — τὲς χείρονας.

34. οἱ εὐλογημένοι) i. e. beati et felices, quos pater meus beneficiis ſuis cumulauit. Dicitur enim Deus benedicere hominibus, quum eos beat. κληρονομήσατε) *poſſidete, occupate.* Hebr. ירש. τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν) *regnum uobis diuinitus aſſignatum*, i. e. felicitatem uobis deſtinatam. Κληρονομεῖν τὴν βασιλέιαν, ſiue βασιλεύειν, *regnare*, ſaepe dicuntur ii, qui nemini addicti, omninoque qui beati ſunt et iucundiſſimarum rerum fructu florere uidentur; ut fere in illo *CICERONIS* (Epp. ad diuerſ. VII. 24.) *olim*, *quum regnare exiſtimabamur.* Igitur quod Paulo Apoſtolo 2 Tim. II, 12. eſt συμβασιλεύειν τῷ χριςῷ, id quidem in loco ſimili Rom. VIII, 17. συνδοξασθῆναι. Vid. etiam Rom. V, 17. et 1 Cor. IV, 8. Dicitur autem haec βασιλέια, haec felicitas parata eſſe piis ἀπὸ καταβολῆς κόσμε, *a condito mundo*; quia Deus praeuidit, eos religioni eſſe obſecuturos, et hanc felicitatem deſtinauit piis et probis.

35. ἐπέινασα γὰρ) Amorem erga homines et beneficentiam laudat Chriſtus, quia hac uirtute omnes fere reliquae continentur. Sed non expreſſo genere, ſtatim ad partes tranſit, et beneficiorum exempla aliqua recenſet. ἐδίψησα) In multis Orientis regionibus maxima aquae eſt penuria. Potum igitur praebere ſitientibus, magni beneficii loco habitum. συνηγάγετέ με) συνάγειν h. l. eſt *hoſpitio excipere*, ut 2 Sam. XI, 27. Iud. XIX, 18. Magna uirtus erat illis temporibus hoſpitalitatem exercere, quia diuerſoria publica nondum erant.

36. γυμνὸς) *uestitu leuiore et tenui indutus*, semiamictus, minus bene uestitus.

37. λέγοντες. Κύριε) uel hinc apparet, multa huic descriptioni inferi parabolica. Sensus est, pios admiraturos bonitatem Christi, ipsorum facta exigua tam benigne interpretantis.

40 ἐμοὶ ἐποιήσατε) i. e. perinde id habeo, ac si mihi fecissetis; quomodo uxori facta iniuria marito facta censetur. Vid. supra c. X, 40. Gal. V, 6.

46. εἰς κόλασιν — ζωὴν αἰώνιον) Ζωὴν αἰώνιον esse felicitatem sine fine duraturam, omnes facile largiuntur. Quod autem Christus dicit, κόλασιν etiam malorum hominum fore αἰώνιον, id nonnulli pro Subiecti ratione intelligendum esse existimant de longa duratione, et monent, quicquid fere post huius uitae mundique decursum euenturum est, id communi nomine αἰώνιον uocari. Digna est etiam examine doctorum S. V. *Doederlini*, Theologi Ienensis sententia (in institut. Th. Christ. Parte II. p. 150. 151.) suspicantis, ζωὴν αἰώνιον respondere formulae βασιλεία τῶν ȣρανῶν, et esse ciuitatem, in quam piorum cohors adoptatur; κόλασιν αἰώνιον uero ciuitatem esse, sedemque impiorum, cui nec Deus finem imperabit, nec ciues deerunt unquam; ciuitatis igitur potius quam poenarum describi perennitatem. Sed uel ideo ἡ κόλασις eorum, qui officia pietatis et charitatis neglexerunt, αἰώνιος uocari recte potest, quia carebunt praemiis quae destinata sunt uirtute praestantibus Christianis. Gal. VI, 7. 8. Haec iactura nunquam in totum reparari poterit.

CAP.

CAP. XXVI.

2. Μετὰ δύο ἡμέρας) Praecisum tempus, quando Christus haec loquutus sit, assignare difficile est; probabile tamen est, fine diei Martis in ultima uitae Iesu hebdomade esse dicta.

3. οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι) Synedrii descriptio, quo nomine hunc coetum appellat *Ioannes* c. XI, 47. Eius synedrii munus erat de Pseudo-prophetis cognoscere. εἰς τὴν αὐλὴν) Αὐλὴ, proprie *subdiale*, ut et infra aliquoties, sed synecdochice *palatium*. τοῦ ἀρχιερέως) Hic κατ᾽ ἐξοχὴν haec uox accipitur, pro eo qui dicebatur כהן גדל, eo enim anno maximum pontificatum *Caiaphas* gerebat Io. XI, 51. Et merito addit Ioannes τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, quia uix unquam magis ambulatoria fuit pontificatus dignitas, ut ex *Iosepho* discimus. Instituerat hunc *Valerius Gratus*, destituit *Vitellius*.

4. καὶ συνεβουλεύσαντο — ἀποκτείνωσιν) Dolo et insidiis opus erat, quia Iesus noctes non in urbe, sed in uillis prope urbem, ad montem olearum sitis transigere solebat, (Luc. XXI, 37.) Locum autem, ubi latebat, nemo praeter discipulos et amicos nouerat. Interdiu docebat quidem publice in templo; sed ibi prehendere eum nolebant, metu seditionis, quia plebs tota ab eius ore pendebat. Luc. XXII, 2. Tempus nocturnum his rebus agendis opportunissimum uidebatur. Fortassis etiam clam eum interficere uolebant; sed mutato consilio per praesidem Romanum eum necandum esse decernebant.

5. μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ) ἑορτὴ hic uocatur totum illud tempus a mactatione agni ad finem Azymorum. Solebant alias apud Iudaeos, ut et Thalmudici notant, ſontium inſigniores plecti ἐν ἀυταῖς ταῖς ἑορταῖς, quo ad plures exemplum perueniret. Sed ſupplicium, quod Ieſu deſtinabant, praeter morem differendum cenſebant extra tempus feſti. Magis enim metuebant Galilaeos, tanquam ipſius Ieſu populares, quam Hieroſolymitas. Et erat omne hoc tempus ſeditionibus opportunum, ob maximum populi concurſum. Mutabant autem deinde propoſitum, quum Iudas miniſterium ſuum ad Ieſum iis tradendum promiſiſſet. Ceterum ſingulari Dei prouidentia factum eſt, ut a priori conſilio diſcederet Synedrium. Debuit nempe in ipſum paſchale tempus incidere mors Ieſu, quo plures huius rei eſſent teſtes.

6. ἐν Βηθανίᾳ ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος) Non caret difficultatibus diuerſitas in temporis ordine, quo haec ab Euangeliſtis narrantur. Ioannes enim c. XII, 1. refert, contigiſſe πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα. Noſter comm. 2. biduo ante Paſcha. Nihil eſt certius, quam a ſcriptoribus Euangeliorum multa referri non temporis ordine, ſed ex rerum ductu. Videntur *Matthaeus* et *Marcus* hanc hiſtoriam hoc loco poſuiſſe, ut notarent, quid *Iudam* ad facinus impuliſſet; nam immediate ſubſequitur id, quod ad *Iudam* pertinet. *Ioannes* c. XII. hiſtoriam hanc ſuo tempori reddidit, tum ad confirmandum, quod de Lazaro dixerat, tum ad connectenda, quae ſequebantur. Lucas autem c. VII, 36. plane aliam hiſtoriam narrare uidetur.

7. ἀλά-

7. ἀλάβαςρον) *alabaſtrum*, genus uaſis unguentarii ſine anſis, myrotheca lapidea. Cf. annotanda ad Marc. XIV, 3. κατέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτȣ̃) Vngebantur et conuiuae et mortui; et ditiores quidem unguento ſeu nardo, reliqui oleo; quod et hodie in Oriente fieri ſolet.

8. οἱ μαθηταὶ) aut enallage, aut quod Iudas improbe coeperat, alii imprudenter ſequebantur. ἀπώλεια) *iactura, perditio*, ut Gloſſae ueteres interpretantur.

10. κόπȣς παρέχετε) *moleſti eſtis*. Graeci uſitatius, πράγματα παρέχετε. ἔργον γὰρ καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμὲ) Actiones lege non uetitas finis praecipue diſcriminat: finis autem hic optimus, Chriſtum honore afficere.

11. ἐμὲ δὲ ȣ̓ πάντοτε ἔχετε) Mortem imminentem ſibi ſignificat. Animo quaſi haec mulier praeſagit, me mox eſſe moriturum, ideoque me ungere uoluit.

12. βαλȣ̃σα) Ponitur hic βάλλειν pro ἐκχέειν, *effundere*. ἐνταφιάσαι.) Significat hoc uerbum corpus ad funus componere, et ornamentis ſepulcralibus ornare, quod fit curando, ungendo, condiendo et condendo mortuo.

13. μνημόσυνον) i. e. μνήμην, *memoriam*.

15. τί θέλετε — αὐτὸν) Ad quod facinus nil niſi auri ſacra fames eum impulit. ἔςησαν) *conſtituerunt*, ut optime hic uertit uetus Latinus. Id enim in iure eſt promittere. Sic etiam Helleniſtae loquuntur, ut Sirac. XLIV, 13. 1 Maccab. XIII, 38. τριάκοντα ἀργύρια) ſc. νομίσματα, *triginta nummos argenteos*, ſiue *Siclos* Hebraeorum, quod Ioſephus Antiq. III, 8. 3. cum Graecorum tetradrachmis

mis comparat. Quum Iudas ſacerdotum arbitrio permiſiſſet, quanti *Ieſum* aeſtimarent, illi aeſtimarunt, quanti minimi homo ullus aeſtimari poterat. Nam Exod. XXI, 32. caput ſerui aeſtimatur triginta Siclis.

16. εὐκαιρίαν) opportunitatem, occaſionem, ut *Cicero* hanc uocem explicat.

17. τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων) *quo die moris erat paſcha mactari*, i. e. decima quarta die Niſan. Cf. Marc. XIV, 12. Luc. XXII, 7. Azymorum dies modo ſeptem numerantur, quibus integris nefas erat fermentato ueſci, modo octo, annumerato die paſchali, quia parte eius poſtrema incipiebat azymorum obſeruatio.

18. πρὸς τὸν δεῖνα) Ita Graeci loquuntur, quum non quemuis hominem, ſed unum aliquem deſignatum uolunt, quem nominari nihil attinet. Hebraice פְּלֹנִי. ποιῶ) eſt futurum atticum; a librariis uero quorundam MSStorum haec forma attica mutata eſt in communem ποιήσω.

19. καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα) Id ita accipiendum eſt, ut diſcipuli emerent agnum paſchalem, probarent, aut probari curarent, mactarent, excoriarent et coquerent. Haec omnia inſunt in uerbo ἑτοιμάζειν. Sed mactationem exiſtimandum eſt ab ipſis diſcipulis eſſe factam. Nam *Philo*, qui incolumi urbe Hieroſolyma uixit, auctor eſt, cum aliae omnes uictimae a ſacerdotibus mactarentur, hanc unam ab unoquoque patrefamilias mactatam fuiſſe, ut *Loeſnerus* ad h. l. ex *Philone* de uita Moſis p. 686. E. obſeruat.

21. ἀμὴν — παραδώσει με) Hoc dixit Ieſus, ut Iudae conſcientiam tangeret, eumque a tanto facinore abſterreret.

23. ὁ

23. ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα) Videtur *Iudas* prope Chriſtum accubuiſſe, ita ut, quum plures eſſent in coena catini, ille ex eodem catino ederet, ex quo edebat Chriſtus.

24. ὑπάγει) i. e. *moritur;* ita enim Hebraei הלך uſurpant, ut Gen. XV, 2. ubi LXX. אנכי הולך uertunt: ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι. Sic et Latini mortuum *abiiſſe* dicebant. Sed poteſt etiam ὑπάγειν recte uerti *uadere, abire.* Potuiſſet nempe Ieſus non abire, nempe in hortum, ubi alias pernoctare ſolebat, et ſic irritum facere conſilium proditoris. Sed uolebat ire in locum, quem Iudas nouerat, quia ſciebat, implendum nunc eſſe, quod ſcriptum erat in Prophetis, moriendum nempe ſibi eſſe. Iudas autem poſt tot Ieſu admonitiones nullo modo erat excuſandus. καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ ὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος.) *Omnium mortalium miſerrimus erit.* Non quod eſſe bene ei poſſit, qui non ſit, ſed quod homines ita poſſunt eſſe miſeri, ut merito optent non eſſe.

25. σὺ εἶπας) *recte dixiſti;* ita omnino res ſe habet. Exod. X, 29. כן דברת LXX. uertunt εἴρηκας. Eſt igitur affirmantis et concedentis.

26. ἐσθιόντων — μαθηταῖς) Moris fuit, ut Paterfamilias coena paſchali peracta panem et uinum diſtribueret. Hactenus igitur non poterat nouum uel inſolitum uideri id quod Ieſus faciebat. *Nec gratiarum actio,* et *fractio panis* inuſitata erat. (Nam idem ſignificant εὐλογεῖν et εὐχαριςεῖν, ſc. τῷ θεῷ.) Moris ſemper Iudaeis fuit, ut ex Thalmudicis ſcriptoribus et *Philone* apparet, cibum nullum aut uinum ſumere, niſi prius Deo, tanquam conditori donatorique laudes

des et grates egiſſent, addita precatione. Antequam id fieret, cibus pro profano habebatur; hoc facto, ἅγιος, i. e. quo ueſci fas eſſet. Idem ualet de fractione panis. Et quia panes Hebraeorum erant κλαςοὶ, ideo receptum apud illos erat, ut frangere panem dicerent, pro: *eius participes facere alios*, ut Ieſ. LVIII, 7. Marc. VIII, 19. Erant enim panes Hebraeorum ita magni, ut omnibus conuiuis ſufficerent. Sed noua et inaudita erant uerba, quibus in diſtribuendo pane et uino uſus eſt Chriſtus. Porrigens enim panem, dixit: λάβετε — τὸ σῶμά μȣ) Multi putant, eſſe alluſionem ad formulam illam Iudaeorum, qui in paſchate a liberis rogati: quid hoc eſt? reſpondebant: *Hoc eſt corpus agni, quem patres noſtri comederunt in Aegypto.* De conſilio Seruatoris ſtatim ad u. 28. dicemus.

27. τὸ ποτήριον) Saepius calix circumferebatur in coena; ſed hic de poſtrema potatione agitur. Fuiſſe autem in eo calice uinum aqua temperatum, docet nos liber *Miſchnaiot de benedictione VII.* Et uidetur hoc poſtulaſſe coeli eius ingenium, ut uina, praeſertim paulo largius ſolito, niſi aqua temperata, non biberentur.

28. τȣ̃το — ἁμαρτιῶν) Lucae uerba clariora ſunt: τȣ̃το τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μȣ, *Hoc poculum uobis porrigendo inſtituo nouam religionem ſanguine meo,* (i. e. profuſione ſanguinis mei) *ſanciendam.* Ἡ καινὴ διαθήκη, eſt *noua et melior religio*, oppoſita ueteri. Diſcrimen inter utramque praecipue in eo eſt poſitum, quod illa Moſaica religio habebat formam foederis (ברית) haec autem noua oeconomia, cuius auctor eſt Chriſtus, magis formam

mam habet testamenti. Ad illustrandum hunc locum egregie facit Hebr. IX, 15. sqq. Et αἷμα τῆς διαθήκης est sanguis, quo foedus solenniter sancitur; atque inde recte suppleas, quod apud *Lucam* et *Paulum* est ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, scilicet ἐγκαινισθεῖσα. Discipuli sine dubio e testamenti ueteris et Mosaico sermone uim horum uerborum tenuerunt. Verba enim haec sunt procul dubio sumta ex Exodi c. XXIV, 8. ubi sacrificio solenni sancitur foedus, siue oeconomia Mosaica, huiusque quasi natales celebrantur. Sicut igitur Moses sanguine populum consperfit, et dixit: *hic est sanguis, quo effuso foedus sancitur, quod Ioua uobiscum pepigit*; ita nunc Christus hac actione facit auspicia nouae religionis. Ἐκχυνόμενον, *qui iamiam effundetur*; praesens pro proxime futuro, ut supra c. III, 10. c. V, 23. c. VI, 6. aliisque locis. Verbis autem εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν indicat Christus, se morte sua, et sanguinis profusione promeriturum esse humano generi beneficia longe maiora ac praestantiora iis, quae religio Mosaica olim praestiterat Israelitis, nempe remissionem peccatorum, et maxima bona aeterna.

29. ὅτι οὐ μὴ πίω — τοῦ πατρός μου) *Non bibam ab hoc inde tempore de fructu uineae ad eum usque diem, quo illum bibam uobiscum denuo in regno patris mei.* Referunt haec interpretes ad conuersationem Christi cum Apostolis post resurrectionem Act. I, 3. c. X, 41. Sed ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς h. l. uidetur esse regnum illud coeleste, ipsum coelum, ubi Deus peculiari modo praesens esse creditur. *Celebrare epulum coeleste* est phrasis usitatissima, qua exprimitur felicitas aeterna et gaudium coeleste. Ergo sensus erit:

erit: Non amplius in his terris uobiscum bibam et edam; desinet ab hoc tempore haec uitae meae ratio, et consuetudo quam uobiscum hactenus habui, donec in coelo denuo uobiscum laetus ero, et coelestibus gaudiis fruor. Verum quidem est, Iesum post reditum in uitam rursus edisse et bibisse cum Apostolis, sed consuetudinem non diu cum ipsis habuit. Edit et bibit cum iis tantummodo, ut crederent se uere uiuum esse.

30. ὑμνήσαντες) Psalmos nimirum CXVI — CXVIII, tanquam alteram partem magni Hallel. Priorem partem ante esum Paschatos cantare solebant, Psalmos nempe CXIII et CXIV. εἰς τὸ ὄρος) i. e. *uersus montem.* Nam Gethsemane erat inter torrentem Cedron et montem ipsum.

31. σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ) σκανδαλίζεσθαι hic est, ab officio discipuli atque amici deficere, minusque digne de magistro sentire. Ἐν ἐμοὶ, occasione eorum, quae mihi euenient. γέγραπται γὰρ πατάξω τὸν ποιμένα κ. τ. λ.) Videtur hoc dicto prouerbii in modum uti Christus; ut sensus sit: *Fiet, quod dici solet, quodque alicubi scriptum meministis; Pastore percusso, oues disperguntur.* Atque ideo imperatiuum modum in indicatiuum mutauit, quia prouerbiali locutioni magis id congruebat.

32. προάξω ὑμᾶς) Translationem Christus continuat. Rursum pastoris more uos praeibo in Galilaeam, ibique dispersos colligam. Cf. c. XXVIII, 7.

34. πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι) *Marcus* c. XIV, 30. πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι. Nam gallus bis canit, primum medinoctio, deinde sub aduentum lucis. *Matthaeus, Lucas, Ioan-*

Ioannes cantum galli ſimpliciter nominare contenti fuerunt, gnari ubi nihil additur, matutinum intelligi. τρὶς ἀπαρνήσῃ με) ἀπαρνεῖσθαι h. l. eſt, negare ſe Ieſum, quis eſſet, noſſe, ut Lucas παραφράζει.

36. χωρίον) *Praedium.* Vid. *Loeſner.* ad h. l. αὐτȣ̃) *ibi, iſthic:* proprie eſt genit. pronominis αὐτὸς, et uox τόπȣ cum praepoſ. ſubauditur, ut ſit: ἐπ' αὐτȣ̃ τόπȣ, in iſthoc loco.

37. ἀδημονεῖν) Habet hoc uerbum ſignificationem ingentis doloris, et maximae atque mortiferae triſtitiae. Apud Hippocratem in morbo mortifero ſunt ἀδήμονες, ſupra modum triſtes.

38. περίλυπος) *Valde triſtis.* Sic περιχαρὴς, *admodum laetus*; περιχάρεια, *abundans laetitia.*

39. ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον ἀυτȣ̃) Mos cum ſumma demiſſione precantium. εἰ δυνατόν ἐςι,) Diſtinguendum eſt inter ἀδύνατον per ſe, et inter ἀδύνατον hoc uel illo poſito. Senſus eſt: ſi tua decreta ferunt, ut alio modo tuae gloriae et hominum ſaluti aeque conſulatur. παρελθέτω ἀπ' ἐμȣ̃ τὸ ποτήριον τοῦτο) *Calamitatem imminentem a me auerte.* Cf. ſupra c. XX, 22. Quod hic et apud Lucam eſt ποτήριον, Marco ποτήριον et ὥρα dicitur. Loquitur Chriſtus de iſto horrore, quem tum animus ſentiebat, ut nonnulli putant. Alii exiſtimant, Chriſtum uno eodemque tempore exprimere uoluiſſe, tum quid uellet in ſe, ſi ſpectetur mors ſola, cum tanta ignominia et cruciatu coniuncta, tum quid uellet Patris uoluntatem reſpiciens. Hoc certum eſt, Ieſum non ſimpliciter metuiſſe dolores et mortem ut nos eam metui-

mus, ex amore uitae. Videtur potius tremuisse, quia dubitauerit, an etiam hoc opus omne per tot dolores ad finem usque superaturus esset. Cf. infra c. XXVII, 46. Nec mirum! Maximi enim momenti erat opus ab ipso peragendum, a quo pependit salus generis humani, peccatorum remissio, futura religionis propagatio, institutio nouae cuiusdam oeconomiae etc. Voluit praeterea Deus, ut Iesus omnibus animi et corporis uiribus praesentibus animam exhalaret, quo nos disceremus, eum sponte mortuum esse. πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ) sc. γενέσθω, quod addit *Lucas*. Πλὴν, *ueruntamen*. Hic more Hebraeorum, qui neque potentialem neque optatiuum modum habent, θέλω est pro θέλοιμι, uel, ut Graeci loquuntur, ἤθελον.

40. τῷ Πέτρῳ) ei praecipue, et per eum ceteris. οὕτως οὐκ ἰσχύσατε) Solet οὕτως, *usque adeo*, *siccine*, *adeone*, connecti cum oratione interrogatiua, aut admiratiua potius.

41. γρηγορεῖτε) Voce una duo significat: neque enim hoc tantum uult, tempus esse somno temperandi, sed et quam maxime se parandi ad periculum imminens. ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν) *Ne succumbatis periculo*; nam εἰσέρχεσθαι hic est, quod 1 Tim. VI, 9. ἐμπίπτειν, immergi scilicet, et succumbere. Ὁ πειρασμὸς autem, cui discipuli succumbere poterant, erat periculum Messiae deserendi, dubitandi, an is, qui tantis miseriis affligeretur, esset Messias. τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής) *Animus est quidem promtus*, *sed natura est infirma* sc. tanto oneri sustinendo. Bonam uoluntatem uobis adesse scio, sed affectus imperio rationis non obsequuntur. Σὰρξ significat desideria illa naturalia, quae in corporis constitutione habent ratio-

rationem, e. c. uitae curam, dolorum fugam. Animus nimirum, utpote doctrina Christi imbutus, habebat in se πρόθυμον, sed nondum usque eo profecerat, ut instante periculo posset edomare affectus illos, quos anima sensitiua, uitae tutatrix, et incommodorum inimica suggerebat.

42. γενηθήτω τὸ θέλημά σου) Voces sunt non ferentis tantum, quod uitari nequeat, sed toto animo acquiescentis, ut Act. XXI, 14.

45. καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε) *Per me iam uobis licet dormire et requiescere, quantum lubet.* Ostendit Christus, nulli amplius usui sibi esse posse ipsorum peruigilium, quum iamiam ab ipsis auellendus esset. ἤγγικεν ἡ ὥρα, — ἁμαρτωλῶν) Hebraico more coniunctio copulatiua uim habet relatiui; sensus enim est: *prope adesse tempus, quo tradendus sit Christus* potestati ἁμαρτωλῶν, i. e. militum Romanorum; nam profanos uocabant Iudaei ἁμαρτωλούς. Hic autem intelligitur cohors, quam Romani praesides diebus festis, quia tum magnus erat populi conuentus, ad templi custodiam, ne quid ibi contra mores Iudaeorum tentaretur, mittere solebant.

47. ξύλων) Designantur arma tumultuaria, fustes, sudes. *Glossar.* fustes, ξύλα. ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων) Periphrasis synedrii, cuius decreto fiebat prehensio.

48. αὐτοῖς) Nempe τῷ ὄχλῳ, de quo dixerat, i. e. praecipue militibus Romanis, qui Iesum non nouerant.

49. κατεφίλησεν) uehementer et arcte deosculatus est. *Xenoph.* de dict. et fact. Socratis II. ὡς τοὺς μὲν καλοὺς φιλήσοντος μου, τοὺς δ' αγαθοὺς καταφιλήσαντος.

50. ἐφ᾽ ᾧ πάρει;) *qua de caussa, quo animo* me osculatum uenis? Paucis uerbis et conscientiam perfidi hominis uerberat, et se καρδιογνώστην ostendit.

51. εἷς τῶν μετὰ Ἰησοῦ) Petrus nempe. Io. XVIII, 10. Erat ingenio feruido, (cap. XVI, 18.) et re ipsa ostendere uolebat, se memorem esse eorum quae promiserat u. 33. Nondum sibi persuadere poterat Petrus, Iesum se tradi potestati hostium suorum esse passurum. Putabat igitur dimicandum esse pro magistro, quem superiorem hostibus euasurum esse non dubitabat.

52. εἰς τὸν τόπον αὐτῆς) εἰς τὴν θήκην αὐτῆς, ut hic *Ioannes*. Genus pro specie. οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται) λαμβάνειν h. l. est *usurpare*. Sententia haec, prouerbio trita inter Iudaeos h. l. uel ad discipulos, uel ad inimicos referri potest. Si ad discipulos refertur, sensus est: *Qui se defendere uolunt gladio, facile maiori periculo implicantur*. Si ad Pontifices et primores populi, sensus est: Crudeles isti et sanguinarii, etiam te quiescente grauissimas Deo daturi sunt poenas suo sanguine. Cuius non fuit unquam manifestior ueritas, quam quum Romanus ensis Iudaicae crudelitatis poenas exigit.

53. καὶ παραστήσει μοι) *Qui huc sistat mihi*; (nisi scilicet decretum illud Patris obstaret, cui nos reniti nefas est.) δώδεκα λεγεῶνας ἀγγέλων) Satis fuerat duodecim angelos duodecim discipulis comparare; sed Christus, ut apertius Patris potentiam ostenderet, totidem legiones nominauit. Non opus est mihi, inquit, uestra ope. Haud inuitus me ipsis trado.

54. πῶς

54. πῶς ὖν) Si prehenſio haec, et quae eam ſecutura ſunt, impediatur quocunque modo. ὅτι ὕτω δεῖ γενέσθαι) Nempe ex decreto diuino, prouidentia grauiſſimis ex cauſſis id permittente.

55. τοῖς ὄχλοις) Sed praecipue ducibus τῶν ὀχλῶν, nimirum ςρατηγοῖς, quibus et alii aderant e ſacerdotum primariorum et e ſenatorum numero, quo res tota maiori ſpecie ageretur. καὶ ὐκ ἐκρατήσατέ με) Diuina ſcilicet prouidentia inhibente, quod nunc eadem ſapientiſſimo conſilio permittit.

56. ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ) Metonymia. Senſus eſt: ut exitum habeat decretum Patris pridem enuntiatum per Prophetas. Τότε — ἔφυγον) Metu perculſi, quod uiderent fieri nunc id, quod hactenus nunquam euenturum eſſe putauerant.

57. ὅπυ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι) Conſederunt autem ſenatores in porticu aliqua, in quam proſpectus dabatur ἐν τῇ αὐλῇ, i. e. ſub dio conſiſtentibus. Ibi συνήχθησαν, congregati erant, ad conſultandum de Ieſu capto.

59. ἐζήτυν ψευδομαρτυρίαν) Quum media nocte haec agerentur, non uacabat conſidentibus conquirere teſtes. Sed falſi teſtes iam erant in promtu, ſubornati ad eam rem, ut nempe accuſarent Ieſum tanquam contemtorem legis diuinae et blaſphemum in Deum.

61. δύναμαι καταλύσαι τὸν ναὸν τῦ θεῦ) Merito appellantur ψευδομάρτυρες, qui hoc teſtabantur, ob deprauata Chriſti uerba. Chriſtus enim dixerat: λύσατε τὸν ναὸν τῦτον, corpus

corpus ſuum digito monſtrans. Io. II, 19. Accuſatores autem pro his uerbis maligno ſatis animo ſubſtituebant: τὸν ναὸν τȣ̃ Θεȣ̃, quaſi Chriſtus de templo Hieroſolymitano contemtim locutus eſſet. διὰ τριῶν ἡμερῶν) Breuis locutio Helleniſtarum pro διαγενομένων τριῶν ἡμερῶν.

63. ὁ δὲ Ἰησȣ̃ς ἐσιώπα) Tacebat Ieſus, quia indignum putabat ad ea, quae manifeſto falſa erant, reſpondere, et quia exploratum habebat, ſiue dilueret obiectum crimen, ſiue ſileret, ſe nil apud eos profecturum, quum ſecum conſtituiſſent eum nullo modo dimittere liberum. ἐξορκίζω σε — τȣ̃ Θεȣ̃) Non putauit pontifex Maximus, Ieſum ſponte ſua profeſſurum eſſe, ſe eſſe Meſſiam; quapropter iureiurando eum ad confeſſionem adigere uoluit. Nam ἐξορκίζειν τινα apud auctores Graecos nihil aliud eſt, quam iureiurando aliquem adigere; iusiurandum ab aliquo exigere. Qua notione ſi hanc loquendi formulam ſumas h. l. ſenſus erit: *Iusiurandum, inuocato nomine Dei concipiendum, a te exigo, ut dicas nobis etc.* *Beza* interpretatur: *Interpoſito iureiurando, et Dei auctoritate, praecipio, ut intelligas, te coram Deo conſiſtere, et uelut a Deo ipſo interrogari.* Huius loquendi formulae ſignificatus apud LXX. ſaepe inuenitur, ut Gen. L, 16. 1 Reg. XXII, 16. ut *Krebſius* ad h. l. oſtendit. Ὁ χριςὸς et ὁ ὑιὸς τȣ̃ Θεȣ̃ ſunt h. l. Synonyma; nam etiam apud Iudaeos expectatus ille Meſſias uocari ſolitus eſt filius Dei.

64. σὺ εἶπας) Vox eſt aſſentientis, ut ſupra oſtendimus, et modeſte reſpondentis. Ita eſt, uti dixiſti. πλὴν λέγω — δυνάμεως) Quin, (tantum abeſt ut hoc negem,) hoc etiam addo: *Mox cognoſcetis, me regnaturum cum Deo.*

Maieſtatis,

Maiestatis, quae mihi cum Deo communis est, clara uobis exhibebo signa. Ἡ δύναμις, sc. θεία, est Deus ipse, 2 Petr. I, 3. ut *uis et natura diuina* pro *Deo* apud Ciceronem. Hebraice גבורה. uid. Buxtorf. Lex. Thalmud. In Philone quoque sunt loci, in quibus uel δύναμις ποιητικὴ, uel δύναμις τοῦ Θεοῦ Deus uocatur. Indicium huius diuinae potestatis erat missio Spiritus sancti Act. II, 33. et propagatio Euangelii inter omnes gentes, frustra renitentibus Iudaeis. καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ) Potest hoc intelligi de poenis, quas Christus infligi curauit populo Iudaico, quia descensus in nube iram ac uindictam solet significare, ut *Maimonides* annotauit; potest etiam referri ad ultimum Christi aduentum, uel ad utrumque. Illo enim uniuersalis iudicii die cogentur eum agnoscere, qui ex signo missi Spiritus agnoscere eius maiestatem noluerunt.

65. διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ) Non una caussa erat apud Veteres uestium scindendarum. Omnium frequentissima fere erat grauis luctus, non raro autem ira et indignatio, cuius rei exempla e Iosepho et Philone Krebsius et Loesnerus ad h. l. afferunt. Ira et indignatione commotus Pontifex M. uestes dilacerauit, quod nefas esse putaret, talem hominem, opibus et copiis militaribus distitutum, sibi uendicare uelle nomen Messiae. Errant, qui putant, Pontifici Maximo non licuisse ullo casu uestem lacerare. Nam interdictum, quod in *Leuitico* bis extat, ad caussam funebrem pertinet, ut antecedentia et consequentia ostendunt. Alioqui in luctu publico etiam Pontifex maximus discindebat uestimenta 1 Macc. XI, 71. ἐβλασφήμησε) Βλασφημίαν uocat, quod Iesus se Messiam profiteretur. Et sane erat, ni Messias fuisset. At

hoc quaesitum oportuit, an non in ipsum uaticinia congruerent; an non doctrina et apertissimis miraculis probasset, se eum esse.

66. τί ὑμῖν δοκεῖ) Vt princeps senatus sententias exquirit. ἔνοχος θανάτου ἐστι) בן מות, ut 2 Sam. XII, 5. Blasphemiae poena erat lapidatio, Leuit. XXIV, 13 - 16. Sed hac non contenti Iudaei, grauius etiam Iesum accusarunt apud Pilatum. c. XXVII, 1. sqq. Ceterum omnia tumultuarie acta esse, nec congregatos fuisse Assessores Synedrii aliam ob caussam, nisi ut sententiam damnatoriam pronunciarent, facile apparet. Pronuntiata sententia, Iesus relictus est militum et lictorum libidini.

67. ἐκολάφισαν) κολαφίζειν, ut Graeci Scholiastae interpretantur, est: παίειν ἐπὶ κόρρης, contracto scilicet pugno. ἐῤῥάπισαν) ῥαπίζειν aliqui interpretantur *porrecta palma ferire*, alii *bacillis caedere*.

68. προφήτευσον) Quum nempe oculos ipsi obuelassent, ut Marcus addit c. XIV, 65. Insultabant ei tanquam falso Prophetae et Messiae.

69. ἦσθα μετὰ) i. e. *fuisti partium istius*, ἦσθα. Attice pro ἦς. τοῦ γαλιλαίου) Discriminis caussa. *Iesu* enim nomen eo tempore erat inter communissima, ut ex *Iosepho* quoque apparet.

70. οὐκ οἶδα τί λέγεις) *Neque ipsum noui*, *neque satis intelligo quid uelis*. Magnam apparet consternationem fuisse, quae Petrum adegit ad tam incredibile mendacium. Videtur eum offendisse, quod ab ancilla interrogaretur, eiusque garrulitate detegeretur, quum se latere posse sperasset.

71. ἐξελ-

71. ἐξελθόντα) *egredi parantem.* Neque enim exiit, ut ſequentia oſtendunt. πυλῶνα) προάυλιον *Marco: Subdiale minus extra fores.*

72. ἡ λαλιά σε) *Idioma tuum.* Nam, ut recte *Hieronymus* monet, unaquaeque prouincia et regio habet proprietates ſuas, et uernaculum loquendi ſonum uitare non poteſt. Cf. *Wetſten.*

74. καταναθεματίζειν) Codd. fere omnes, Chryſ. Theophyl. habent καταθεματίζειν. Petrus ſibi male precatus eſt, diris ſe obligauit. Formula, quae ſaepe in V. T. hiſtoria occurrit, τε ἀναθεματισμε haec eſt: *Haec mihi Deus faciat et haec addat, ſi hoc ita ſe habet.* Eo tum modo Petrus diris ſe obligauit, ſi Ieſum noſſet; ut ſolemus ex malis in peiora labi, niſi matura poenitentia ſuccurrat. ἀλέκτωρ ἐφώνησε) Qui per ἀλέκτορα intelligendum eſſe putant aut *Praefectum templi*, qui ianuam *Beth moked* pulſauerit, et Sacerdotes ibi pernoctantes ad miniſterium ſacrum excitauerit, aut *Vigilem buccinatorem*, qui uigilias buccina uel tuba indicauerit, ii urgent, Iudaeos Hieroſolymis ob ſacra non aluiſſe Gallos, ceu conſtet ex *Baua Kama* c. 7. Verum gallos gallinaceos Hieroſolymis aeque et alibi fuiſſe, *IO. LIGHTFOOT* in *hor. Ebr. et Talmud.* probat ex Hieroſol. Erubhin, *fol.* 26. *v.* 1. Potuerunt etiam Romani Hieroſolymis agentes aluiſſe gallos gallinaceos, uel uictus ergo, uel auſpiciorum, quae inde capere ſolebant, cauſſa.

75. ἔκλαυσε πικρῶς) *Homer. Odyſſ.* δ. 153. πικρὸν ὑπ᾽ ὀφρύσι δάκρυον εἶβει. *Heſych.* πικρῶς, Κατακόρως, ἀκρατῶς.

CAP. XXVII.

1. Πρωίας δὲ γενομένης) sc. ὥρας. Ad uerbum: *matutino autem facto tempore.* Latini plerumque simpliciter dicunt: *mane.* Non credibile est, tantillo temporis spatio discessisse tot Senatores, iterumque ex tot urbis regionibus conuenisse. Quum igitur dicit Matthaeus: πρωΐας γενομένης συμβούλιον ἔλαβον, sensus est: post auditum Iesum seorsim Senatores inter se deliberasse, quid esset faciendum. Optabant, ut Iesus crucis supplicio afficeretur, quod fieri non poterat nisi per Romanum procuratorem. Quare deliberabant, quomodo Procuratori id persuaderetur.

2. δήσαντες) i. e. δεδεμένον, *uinctum.* Ita solent Aoristi significare etiam id, quod ante contigerat; nam uinctus erat Christus statim post prehensionem, ut ex *Ioanne* discimus. παρέδωκαν) παραδοῦναι dicuntur, *qui alterum alteri eo consilio tradunt ut supplicio afficiatur.* Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι) Voces ἡγεμὼν, ἡγεμονία, ἡγεμονεύειν de omni, inprimis autem paulo maiori potestate adhibentur, et ipsi Imperatores Romani interdum ἡγεμόνες dicuntur. Ex ipsa uoce igitur non possumus intelligere, quod munus Pilati, quae potestas fuerit; historia autem magistra edocti, scimus, eum fuisse *Procuratorem.* Ita enim diserte *Tacitus* Annal. L. XV, c. 54. *Christus, Tiberio imperante, per Pontium Pilatum, PROCURATOREM, supplicio affectus est.* Proprium horum *Procuratorum* munus erat, reditus Caesaris colligere, eiusque fiscum curare, minime autem, iurisdictionem exercere, et si quis iuris dicundi potestatem sibi arrogauerat, istius licentiae poenas dabat. Interdum tamen in prouincias missi sunt, ut non solum Caesaris reditus curarent, et exigerent,

sed

ſed iurisdictionem etiam in cauſis capitis exercerent. *Coponium* certe, omnium primum Iudaeae procuratorem, ſatis conſtat in prouinciam cum hac poteſtate fuiſſe miſſum, ut auctor eſt *Ioſephus* Antiquitt. L. XVIII. c. 1. §. 1. et de B. I. Lib. II, c. 7. §. 1. Neque dubium eſt, quin, quae poteſtas ſumma primo Iudaeae Procuratori, Coponio, conceſſa fuerit, ea ſucceſſoribus, et Pilato quoque illaeſa remanſerit, ita tamen, ut Pilatus Vitellii Praeſidis tunc temporis Syriae poteſtati ſubiectus fuiſſe uideatur. *Ioſeph.* Antiquitt. L. XVIII, c. 4. §. 2. Cf. *Krebſium* prolixe de hac re diſputantem. Sedes Procuratorum erat Caeſarea; ſed durantibus feſtis diebus commorabantur Hieroſolymis, ut ſtatim ad manus eſſent, ſi qua ſeditio uel tumultus oriretur.

3. *ὅτι κατεκρίθη*) Omnino referendum hoc ad ſynedrii praedamnationem, de qua ſupra c. XXVI, 66. quam *Iudas* accipiebat ut ſecuturae mortis indicium. *μεταμεληθεὶς*) Differentiam, quam nonnulli inter *μεταμεληθῆναι* et *μετανοεῖν* intercedere contendunt, eſſe nullam, uſus loquendi ſcriptorum cum ſacrorum, tum profanorum docet, ut uiri docti oſtenderunt. Poenituit Iudam facti; ſed poenitentia degenerauit in deſperationem. Putauerat nempe, Ieſum per medios hoſtes euaſurum, ſe autem, proſtratis hoſtibus facile ueniam perpetrati facinoris ab optimo magiſtro eſſe impetraturum. Nunc autem, quum multo aliter, ac ipſe putauerat, rem cecidiſſe cerneret, tanto animi dolore affectus eſt, ut deſperaret. *ἀπέστρεψε*) *reſtituit*; Hebr. השיב.

4. *αἷμα ἀθῷον*) *Hominem innocentem.* Nam *αἷμα* Helleniſtis mortem quamuis uiolentam ſignificat, hic metonymice *ipſum eum, qui morti deſtinatur*, ſicut alias *σὰρξ καὶ* *αἷμα*

αἷμα eſt *homo*. Eſt haec Iudae confeſſio luculentiſſimum innocentiae Ieſu teſtimonium. Si enim diſcipulo, qui teſtis omnium dictorum, factorum et conſiliorum magiſtri fuerat, ulla in re fuiſſet ſuſpecta fides et uirtus eiusdem, certe id arrepturus fuiſſet, ad excuſandum facinus, et ad tranquillandum animum. Sed adeo nihil reperire potuit reprehenſione dignum in uita, moribus et conſiliis optimi magiſtri, ut potius conſcientiae ſtimulis excitatus teſtimonium pro eo dicendum putaret, nihil ueritus hominum Ieſu infenſiſſimorum potentiam et indignationem. σὺ ὄψει) *Tu uideris*. Eſt loquendi genus ex latino ſermone deſumtum, quod Graeci dicerent: σοὶ μελέτω. Tu tibi ipſe conſulas.

5. ἐν τῷ ναῷ) In ea parte templi, in qua conſidebat ſynedrium, qui locus uocabatur לשכת הגזית. ἀνεχώρησε) i. e. abiit ex hominum conſpectu; nam ſecretum aliquem locum quaeſiuiſſe, non eſt dubium, torquente ipſum conſcientia, et adigente ad ſuſpendium. ἀπήγξατο) ἀπάγξασθαι quum *aegritudine angoreque animi confici*, tum *laqueo ſibi ceruicem frangere*, denotat. Tob. III, 10. Ioſeph. Antiqq. L. V, c. 8. §. 5. Vulgata ſententia eſt, Iudam ſuſpendio uitam finiiſſe; alii uero, moerorem animi, et mortem inde ſecutam indigitari credunt. Vtramque interpretationem et uſus loquendi, et res ipſa admittit; ſed prior ſine dubio eſt praeferenda. Ratio autem, Matthaeum cum Luca Act. I, 18. conciliandi commodiſſima, eſt haec, ut dicamus: Iudam ex animi deſperatione et anguſtia, mortem laqueo ſibi quaeſiuiſſe et inueniſſe; laqueo autem infelici, quo ſuſpenſus erat, ſiue fortuito, ſiue Dei uoluntate, rupto, ex loco altiore praecipitem pronumque eſſe delapſum, ita ut,

diffiſſo

diffiſſo corpore, inteſtina effunderentur. De tota hac re copioſe diſputat Krebſius in obſeruatt. Flau. ad h. l.

6. τὸν κορβανᾶν) i. e. templi aerarium. Vocabulum eſt ſyriacum. *Ioſephus* de B. I. Lib. II, c. 9. §. 4. uocat τὸν ἱερὸν θησαυρὸν. Alibi γαζοφυλάκιον idem Ioſephus et Lucas appellant. ἐπεὶ τιμὴ αἵματος ἐςι) pretium uitae, aut caedis. Argumentum a ratione legis deſumtum. Vetat lex Deut. XXIII, 19. ſtupri pretium ſacris inferri. At apud Hebraeos cultus idolorum, ſtuprum, caedes uelut paria cenſentur. Damnant hic ſe impuri pontifices, quum in uenditore id facinus exſecrantur, cuius ipſi emtores erant.

7. τὸν ἀγρὸν τȣ̃ κεραμέως) Cum articulo: *agrum illum figuli.* Loquitur Matthaeus de hoc agro, ut celebri et omnibus noto. *Grotius* per ἀγρὸν κεραμέως intelligit *eum, cuius uber omne ad figlina opera exhauſtum fuerit*, ita ut nullus inde fructus ſperari poſſet. Videntur potius emiſſe hunc agrum a figulo quodam. εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις) Iudaeis, qui ex longinquis regionibus Hieroſolyma aduentabant religionis ergo, ac morte occupati non habebant, ubi ſepelirentur.

8. ἀγρὸς αἵματος) Dialecto Hieroſolymitana חקל דמא Act. I, 19. Dicebat populus praeteriens, hic eſt ager ille, emtus ex pecunia, pro qua *Iudas* magiſtrum ſuum uendidit. Erat hoc perpetuum teſtimonium innocentiae Ieſu.

9. διὰ Ἱερεμίȣ) Variae eruditorum de hoc loco ſunt ſententiae. Multi putant, ſumtum eſſe hoc teſtimonium, non ex *Ieremia*, ſed ex *Zachar.* XI, 12. 13. Alii, nomen Ieremiae corruptum; alii ſuppoſitum; alii, ne apud Zacha-

riam

riam quidem locum qui citatur, extare; alii, de pretio quod dicitur e Zacharia, de agro quod dicitur, e Ieremia (c. XXXII, 7. 14.) desumtum; alii, *Ieremiam* in uolumine Prophetarum olim primum locum obtinuisse; alii hoc oraculum non scripto, sed memoria conseruatum esse uolunt. Videntur uerba haec desumta esse ex libro quodam Ieremiae apocrypho. *HIERONYMUS* in h. l. Matthaei: "Legi nuper in quodam *hebraico* uolumine, quod Nazarenae sectae mihi Hebraeus obtulit, Hieremiae apocryphum, in quo haec ad uerbum scripta reperi." Ipse tamen putat de Zacharia sumtum testimonium. Sed sententiae priori fauet locus insignis Lectionarii coptici, a cel. *Woide* notatus, nostroque simillimus. Vide *Kielische Beytraege etc.* Tom. III. pag. 14. 15. *Michaelis biblioth. orient.* Tom. IV, p. 208. seqq. Arabicae uersionis huius fragmenti apocryphi *Bengelius* etiam meminit, in aparatu critico p. 142. καὶ ἔλαβον) ἔλαβον, et quod sequitur ἔδωκαν, sumenda hic sunt indefinite sine ulla personae aut numeri consideratione. Factum enim notatur, non quis faciat. τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου) *Pretium illius aestimati.* Significatur enim Christus, triginta tantum argenteis aestimatus. ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ) *Quem aestimarunt, qui sunt ex filiis Israel*, i. e. qui aestimatus fuit a filiis Israel; perinde ac si dixisset, τινὲς, uel οἱ ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ. Nam ἀπὸ υἱῶν recte exponitur ἐξ υἱῶν.

10. εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως) *ad (emendum) agrum illum figuli.*

11. καὶ ἐπηρώτησεν — τῶν Ἰουδαίων;) Hoc ideo ex Iesu quaerit Procurator, quia Iudaei accusauerant eum ut rebellem,

lem, qui imbuiſſet nationem peruerſis opinionibus, et quidem opinione ſe eſſe regem, Caeſari praeferendum. Luc. XXIII, 2. Σὺ λέγεις, *omnino res ita ſe habet.* Vid. c. XXVI, 64. Rex ego ſum. Io. XVIII, 37. Hoc confeſſus eſt Ieſus, poſtquam declarauerat, regnum ſuum non eſſe huius generis, cuius ſunt regna huius mundi; i. e. non regnum ciuile et politicum. Io. XVIII, 36. Haec eſt praeclara illa confeſſio, cuius meminit Paulus 1 Tim. VI, 13.

12. ὐδὲν ἀπεκρίνατο) Cauſſa ſilentii, praeter deliberatam mortis patientiam, haec erat, quod apud religioſum iudicem accuſatio illa ſua ſponte euaneſceret; nam plebeiae ſortis hominem, nullas habentem armatorum copias, praeſidia nulla, res ipſa ſatis a ſeditionis ſuſpicione liberabat.

15. κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν) τὸ πάσχα, ut ait *Ioannes;* id enim eminenter ἑορτὴ dicebatur, ut ſupra c. XXVI, 5. εἰώθει ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν ἕνα τῷ ὄχλῳ δέσμιον) Credibile eſt, a Romanis hoc eſſe. Nam in *Liuii* hiſtoria inuenimus, lectiſternii indicti diebus uinctis demta uincula. Ad hoc exemplum forſan ab *Auguſto* haec gratia conceſſa eſt populo Iudaico, idque mandatis procuratorum fuit comprehenſum. Nam alioqui praeſides Romani nullam habebant ignoſcendi libertatem, ut leges nos docent.

16. ἐπίσημον) Famoſum, ut qui inter capita fuiſſet ſeditionis ad caedem usque progreſſae.

17. λεγόμενον χριςὸν) *Qui dicitur Meſſias,* quem nonnulli habent pro Meſſia.

18. ἤδει γὰρ) Tum ex antegreſſa fama, tum ex ipſius Ieſu modeſtia, et quod nulla in eum crimina afferrentur. διὰ φθόνον) *Inuidia impellente.* Inuidebant nempe Pontifices Ieſu ob doctrinam, populi plauſum, auditorum copiam, miracula, Meſſiae honorem ei aliquoties delatum. Videbant Ieſum magni fieri, ſuam contra auctoritatem decreſcere, praetereaque metuebant, ne opibus ſuis et reditibus multum per eum decederet.

19. ἐπὶ τῦ βήματος) βῆμα, *tribunal*, ad quod gradibus quibusdam aſcenditur. Iudicia tunc temporis ſub dio ſunt acta in prouinciis, ſedente magiſtratu in tribunali, quod pro magnificentia illorum temporum ſtabat in loco altiori, eoque ſtrato teſſeris marmoreis. cf. Io. XIX, 13. μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ) Nihil ſit tibi negotii aut rei, cum iſto homine innocente et iuſto. Noli te immiſcere huic liti. πολλὰ — ἀυτὸν) πολλὰ, ſc. παράδοξα. Innuit uiſa ſomniorum triſtitia atque horrenda. Serio conatu deterrere conatur maritum, ne quicquam contra ius in Ieſum ſtatuat durius aut acerbius.

20. τὸν δὲ Ἰησῦν ἀπολέσωσιν) *Ieſum autem perderent*, i. e. occidendum depoſcerent. Facere enim rem interdum dicitur is, qui eam procurat, aut quocunque modo aliquid ad eam confert.

21. τίνα θέλετε ἀπὸ τῶν δύο) τίνα; i. e. πότερον, ut proprie loquuntur Graeci; ἀπὸ autem redundat, ſiue pro ἐκ ponitur. *Vtrum horum duorum uultis a me uobis dimitti?*

22. ςαυ-

22. σαυρωθήτω) Non tantum e uinis eum tollendum eſſe clamant, ſed etiam modum, quo id fieri debeat, praeſcribunt, per ſupplicium crucis, ignominioſiſſimum et atrociſſimum. Hoc enim ſupplicii genus ſeruis duntaxat et uilibus perſonis ob laeſam maieſtatem, ſeditionem, latrocinium et ſimilia facinora infligi ſolebat. Erat uero atrociſſimum etiam ſupplicii genus, quia perforatione clauorum intenſiſſimus et maximus in partibus neruoſis dolor excitabatur.

23. τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν;) Subintelligitur recuſatio poſtulationis. Non poſſum eum, quod poſtulatis, crucis ſupplicio addicere; *quid enim mali commiſit?* Vſitatiſſimum eſſe optimis auctoribus, ut ante τὸ γὰρ eam orationis partem, ab unoquoque facile mente ſupplendam, omittant, cuius rationem ea particula reddat, *Krebſius* ad h. l. oſtendit. περισσῶς ἔκραζον) Valde, uehementer, ſupra modum clamabant.

24. ὅτι οὐδὲν ὠφελεῖ) *ſe nihil proficere;* uel, hoc nihil eum iuuare, ut non ſubaudiatur ἀυτὸς, ſed τοῦτο. θόρυβος γίνεται) Quum omnes ſacrae huius hiſtoriae ſcriptores tradant, magnis clamoribus rem eſſe agitatam, ueroſimile eſt, metum iniectum Pilato, ne populus per tumultum Ieſum ad mortem raperet, et ſi ipſe obſiſteret, defectionem moliretur, tanquam Moſis lege contemta. Qui metus, quanquam indignus uiro conſtante, multum tamen culpam eius in comparatione Iudaicae ſaeuitiae eleuat. cf. Io. XIX, 11. ἀπενίψατο τὰς χεῖρας) Manuum lotio ad teſtandam innocentiam, non Iudaeorum fuit propria, ſed nota aliis quoque gentibus, quia puritatem aquae elemento deſignare admodum naturale

eſt. Vnde, qui ſcelere aliquo erant contaminati, ſolebant, ut *Demoſthenes* loquitur, χερνίβων εἴργεσθαι. Vid. *Grot. et Wetſt.* ἀθῶός εἰμι — τούτου) *Inſons ſum a caede huius innocentis.* Duplex in his uerbis ab eruditis Hebraismus obſeruatur, alter in ſignificatione uocis αἷμα pro *caede*, alter in τῷ ἀπὸ cum uoce ἀθῷος iuncto. Plerumque enim ἀθῷος, *inſons*, Genitiuum habet adiunctum, Praepoſitione ἀπὸ neglecta. Non uult igitur Pilatus ſe teneri culpa interfecti Ieſu.

25. πᾶς ὁ λαὸς) i. e. *pars maxima populi,* per Synecdochen. Multos enim ex populo credendum eſt non clamaſſe. Luc. XXIII, 27. Plurimi autem inſtigati et perſuaſi a ſenioribus, (u. 20.) iisque magis obnoxii Pilatum inſtigarunt in Ieſum, tot eius beneficiorum obliti. Nimirum uarium et mutabile ſemper eſt uulgus. Putabat, eum, qui traditus poteſtati hoſtium, ſeipſum non poſſet tueri, non eſſe in fauore apud Deum, et proinde non eſſe Meſſiam. τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς) i. e. *nos tenebimur*, *in nos periculum recipimus.* Ita LXX. Leuit. XX, 9. et 11. דמיו בו et דמיהם בם bene uertunt ἔνοχος ἔσται, et ἔνοχοι εἰσιν. At 2 Sam. I, 16. ſeruarunt Hebraismum: τὸ αἷμά σου ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου: quomodo et Romani dicebant: *ſit capiti tuo.* καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν) Mos uetus, non ſe modo ſed et liberos deuotandi. Certe magnis ſceleribus etiam poſteritatem obſtringi, non Hebraeorum tantum, ſed et omnium prope gentium fuit opinio. Eſt igitur ſenſus: *Si quid peccabitur in eo occidendo, nos et poſteritas noſtra poenas luamus.* Quod ſibi Iudaei imprecati ſunt, etiam in caput eorum uertit, quum paulo poſt non fame ſolum et gladio

uel

uel ciuili uel Romano perirent, uerum plurimi etiam cruci suffigerentur. *Ioseph.* de B. I. Lib. II, c. 14. §. 9.

26. φραγελλώσας) μαςιγώσας, ut in Euangelio Ioannis. Est uox latina corrupta. Flagellis caesum Pilatus tradidit Iesum ad supplicium, ut cruci affigeretur. De more flagellandi seruos, antequam cruci suffigerentur multa habet *Wetstenius* ad h. l. Solitos ad columnam uerberari, atque alias per uiam ostendit *Lipsius* de cruce Lib. II, c. 4. Crucem autem irrogatam Christo, tanquam seditionis auctori, uerissime a Doctis notatum est. Eam enim poenam ei crimini statuunt Romanae leges, ut notat *Paullus V. Sent. Tit. XXII.*

27. εἰς τὸ πραιτώριον) Non erat tribunal Pilati intra praetorium, sed in stadio, quod erat non longe a praetorio, ut ex *Iosepho* constat.

28. περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην) *Marcus* et *Ioannes* πορφύραν, et πορφυροῦν ἱμάτιον. Coccinae et purpurae uicinus est color, unde saepe confunduntur. Hinc *coccus* et *purpura* promiscue usurpantur, ceu liquet ex Plin. XXII, c. 7. 12. et Scholiaste Iuuenalis *ad Sat.* III. Imo *purpureum* uocabatur, quicquid ruborem prae se ferebat. Hinc tribuitur *rosis*, Horat. L. II. Od. 15. *aurorae*, Ouid. Lib. III. Metam. *labiis*, Virgil. Aen. L. 1. Nec χλαμὺς et ἱμάτιον pugnant inter se; nam χλαμὺς sub uoce ἱματίου comprehenditur, siue ἱμάτιον capias late pro quouis uestimento, siue stricte pro ea ueste, quae tunicae superiniicitur. Pertinuerunt autem haec ludibria ad exprobrationem uelut stulte affectati regni. Eodem modo postea po-

 pulus

pulus Alexandrinus concitatus Herodi Agrippae illusit. Locus est apud Philonem in Flacc. p. 970. cf. *Loesner.*

29. Ita Alexandrini, ut Agrippae regi Iudaeorum illuderent. Omnia per ludibrium. Pro paludamento coccineo imperatoris, induitur uile sagum militis; pro corona ex floribus pulchris et fragrantibus, flectunt coronam spineam; pro sceptro illi dant fragilem calamum, eoque ipsum percutiunt.

31. ἐξέδυσαν ἀυτὸν τὴν χλαμύδα) Exuunt uestes, ut ostendant, talem eum regem esse, quem ipsi pro lubitu potestate exuere possint. ἀπήγαγον ἀυτὸν ἐις τὸ ςαυρῶσαι) Per milites supplicium exactum a Romanis magistratibus etiam extra castra, notatum est a uiris doctissimis.

32. ἐξερχόμενοι δε) Extra urbem, ut narrat *Ioannes,* et obseruat *Paulus* Hebr. XIII, 12. Κυρηναῖον) Ex Lybiae Pentapoli Cyrenaica oriundum, quae plena Iudaeis, ut apertissime docet *Iosephus* de B. I. L. VII, c. 38. ἵνα ἄρῃ τὸν ςαυρὸν ἀυτοῦ) Quum iam ante Christus ipse patibulum tulisset per urbem, ut *Plautus* loquitur, Ioann. XIX, 17. more haud dubie Romano, ut iam omnibus notum. Vnde apparet, Iesum tam duriter tractatum et grauiter antea afflictum, uiribus in itinere ad crucem portandam fuisse destitutum. Videntur autem milites hunc *Simonem* arripuisse, qui in onus Christo succederet, Iudaeorum instigatu, qui eum sciebant Christo fauere, quod *Marcus* confirmat, filios quoque eius, Christi nimirum discipulos, nominans.

33. Γολγοθᾶ) pro γολγολθᾶ, hebraice גלגלת, *cranium;* nam elisio istiusmodi quarundam litterarum in uocibus plurimis

mis Syriacae linguae non fuit aliena. Quare non aliud significat, quam quod Graece ſtatim additur, κρανίȣ τόπος. Nec cauſſa nominis aliunde quaerenda, quam quod ibi decollari homines ſolerent, qualia loca Romae erant Seſtertium et Gemoniae. Alii putant locum hunc traxiſſe nomen a cranii humani forma.

34. ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον) pro ὄξος habent οἶνον, Codd. nonnulli, Verſſ. *Athanaſius* et *Hilarius*. *Marcus* dicit ἐσμυρνισμένον οἶνον. Vtrumque bene. Nam ὄξος Graeci uocant uinum factitii ſaporis, quale ὄξος ἑψητὸν ex palmulis, *Xenophonti* atque aliis memoratum. Tale erat et hoc uinum, ſiue thure, ut Hebraeorum magiſtri tradunt, ſiue myrrha, ut Marcus ait, conditum, quod recepto more ad ſupplicium euntibus dari ſolebat. Χολὴ autem interdum laxius ſumitur pro omni amaritie; quippe quum ea uoce abſinthium ſignificent Graeci interpretes, Prouerb. V, 4. Thren. III, 15. Myrrhatum uinum quaſi pro beneficio ſontibus dabatur, ut inebriarentur, et minus ſentirent dolores. *Babyl. Sanhedr.* fol. 43. 1. *Prodeunti ad ſupplicium capitis, potum dederunt, granumque thuris in poculo uini, ut turbaretur intellectus eius* etc. Talem potum habuerunt etiam milites in caſtris, in uſus quotidianos paratum. *AEL. SPARTIANUS: Peſcennius Niger — iuſſit uinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto uniuerſos eſſe contentos.* γευσάμενος) *Quum leuiter deguſtaſſet*, implendo tantum uaticinio. Noluit autem imbibere Chriſtus, quia menti externandae adhibebatur: in cruce autem pendens poſtea, quia ſitiebat, ἔλαβε τὸ ὄξος, i. e. imbibit, Ioan. XIX, 30.

35. σταυρώσαντες) Modum crucifigendi deſcribit *Lipſius* de cruce L. II, c. 7 — 10. Simul ad crucem uentum, ſpoliabant hominem ueſtibus, et ſic in eam dabant, interdum iam erectam, interdum uero depoſitam. Figendi modus is erat, ut manus primum figerent, inde pedes, clauis aut funibus; ſed plurimum illis. διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, βάλλοντες κλῆρον) id eſt partim diuiſerunt, partim alea addixerunt uictori, ut nos docet *Ioannes.* Veniebat autem hoc ex more Romano. Milites enim, ſupplicii exactores ſontium ſpolia ſibi uindicabant, quod *Adrianus* imperator uetuit fieri, niſi praeſidum iuſſu. ἵνα πληρωθῇ — ἔβαλον κλῆρον) Ex *Ioanne* adiectum uidetur: quia Graeci optimi Codd. Verſſ. et Patres non habent.

36. καὶ καθήμενοι, ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ) Et hoc ex more Romano. *Petronius Arbiter* Satyrico: *miles, qui cruces aſſeruabat, ne quis corpora ad ſepulturam detraheret.* Quidam enim diu in crucibus uixerunt, ut ingenitum ſcilicet robur erat, aut uires. Sic *Timotheus et Maura in cruce nouem diebus uiui pendentes, ac ſeipſos in fide corroborantes, martyrium conſumſerunt.* Martyrolog. III Maii. Quidam etiam petulanter egerunt in cruce pendentes, ut proteruuli apud Senecam (de uita beata c. XIX.) *qui ex patibulo ſpectatores ſuos conſpuunt.* Quidam miſeratione Principis aut Magiſtratuum et cruce ablati, poſt uixerunt. Plerique mortui ſunt languore aut fame, alii a uolucribus, aut feris etiam uiui lacerati, interdum etiam lanceis interfecti ſunt. Vid. *LIPSIUS* de cruce, Lib. II, c. XII. ſeq.

37. τὴν ἀιτίαν) *Crimen eius*; γράμματα τὴν ἀιτίαν τῆς θανατώσεως δηλȣ̃ντα, dixit *Dio Caſſius*; *Titulum*, ut *Ioannes*, *Suetonius* duobus locis et *Tertullianus* Apologetico; πίνακα *Euſebius*, ubi de Attalo agit. Erat nempe crucibus maleficorum infixa alba tabella, inſcripta nigris litteris, quibus cauſſa mortis et culpa indicaretur. ȣ̃τος — τῶν Ἰȣδάιων) Pilatus, hunc titulum cruci imponens, et teſtimonium dare uoluit innocentiae Ieſu, et ſatisfacere Caeſari.

38. ςαυρȣ̃νται σὺν ἀυτῷ δύο λῃςαὶ) Nam crux poena latronum. Vocabantur λῃςῶν et ſicariorum nomine etiam, quia iniuſſu publico arma cepiſſent; hi autem duo aſſeruati erant ad tempus aduentantium azymorum, ut quam maximo populi conuentu punirentur: id enim in Iudaea receptum erat, meritoque a Romanis retentum, quum ab eorum inſtitutis non diſſideret. ἑις — ἐυωνύμων) Medium inter duos latrones ſuſpenderunt Ieſum, tanquam peiorem latronibus. Ipſo comitatu oſtendere uoluerunt, Ieſum hominem eſſe maxime nefarium. Ita nihil in ſupplicio eius ad contumeliam defuit.

39. κινȣ̃ντες τὰς κεφαλὰς ἀυτῶν) Signum inſultationis; quo ſenſu κινεῖν κεφαλὴν reperies Pſ. XXII, 8. 2 Reg. XIX, 21. aliisque locis. Notandum hic, quam facile diuerſa Ieſu fortuna omnia eius beneficia uulgi animis excuſſerit.

40. ἐι ὑιὸς ἐι τȣ̃ Θεȣ̃) *Si dilectus es Dei*, Meſſias. Non enim ad diuinam Chriſti naturam hoc pertinet, de qua plebs nihil inaudiuerat, ſed ad ſpecialem Dei amorem, qualis eſt, quo patres filios ſuos proſequuntur.

 43. ῥυσάσ-

43. ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτὸν) θέλειν h. l. eſt *amare*, hebr. חָפֵץ. Eſt et ubi LXX interpretes hebraicam hanc uocem exprimunt per ἐγκεῖσθαι, αἱρεῖσθαι, et εὐδοκεῖν.

44. τὸ δ᾽ αὐτὸ —— ὠνείδιζον αὐτὸν) τὸ δ᾽ αὐτὸ, elliptice, pro: κατὰ τὸ αὐτὸ, *ſimiliter, ſimili modo*. Οἱ λῃσαὶ, *unus ex latronibus*; nam pluralem numerum uſurpari, ubi unum e multis, ſed indefinite indicatur, ueteres nouique interpretes monuerunt. Pro ὠνείδιζον αὐτῷ alii recte legunt αὐτὸν, ſic enim habent plurimi et uetuſtiſſimi codices. Ὀνειδίζειν cum accuſ. eſt *conuiciis proſcindere*; cum datiuo: *exprobrare*.

45. σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν) πᾶσα ἡ γῆ h. l. eſt Iudaea, uel terra Hieroſolymitana, ut ſaepius. Σκότος non eſt eclipſis ſolis proprie ſic dicta, quae tempore plenilunii uix locum habere poteſt; ſed obſcuratio ſolis extraordinaria, cum terrae motu, forſan etiam grauiſſima tempeſtate coniuncta. Fuiſſe illo tempore terrae motum, ita ut rupes diſſilirent, Matthaeus refert infra u. 51. Sed ante uel poſt terrae motum ſaepe tanta caligo per uapores e terra aſcendentes oritur, ut medio die nox ingruere uideatur. Extenditur uero caligo cum terrae motu coniuncta per quatuor, ſex, et decem milliaria, atque adeo longius. Hac interpretatione rei dignitati nihil detrahitur. Sufficit, multos Iudaeos ortis tenebris medio die, attentos eſſe factos et ad ſe rediiſſe. Orta eſt nempe caligo tempore meridiano, quo ſol maxime lucere ac feruere, diesque clariſſimus eſſe ſolet, atque durauit *ab hora ſexta*, (noſtra duodecima) *usque ad horam nonam*, quae eſt tertia noſtra pomeridiana.

meridiana. Iudaei enim diem in duodecim horas diſpeſcebant, quarum prima ab orto ſole incipiebat. Hinc hora ſexta meridiem conſtituit, eſtque noſtra duodecima. Defectio ſolis, cuius mentionem faciunt *Phlegon Trallianus* L. XIII. Olympiadum, et *Thallus* apud Africanum, diuerſa eſt ab ea, cuius Euangeliſta meminit; tempus enim non congruit. Vid. Moldenh. ad h. l. et Scriptores hiſt. eccleſ.

46. ἠλὶ, ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανὶ;) אלי אלי למה שבקתני. Ex Pſ. XXII, 2. Et hinc et aliunde colligitur, Chriſtum neque ueteri uſum Hebraeorum ſermone, neque Syriaco, ſed mixta dialecto, quae tum in Iudaea uigebat. Ea lingua retinebat quaedam anitae pronuntiationis, ut אלי: quaedam cum Syris habebat communia, ut שבק, pro עזב. ἵνα τὶ) Vox eſt deprecantis. ἐγκατέλιπες) i. e. *auxilio deſtituiſti me.* Putabant Iudaei, qui adſtabant, Ieſum a Deo derelictum, adeoque Meſſiam et Dei Filium non eſſe, ut ſupra u. 39 — 43. huius capitis relatum eſt. Rogat ergo Ieſus Patrem ſuum, ne diutius ipſum patiatur tanta contumelia affici, ſed potius e manibus eorum eripiat, demonſtretque ſuſpicionem illorum iniquam fuiſſe. Haec *Wetſtenius* ad h. l.

47. Ἡλίαν) Alludunt iſti, (ut ſolent irriſores,) ad nomen *Eli*, quod ſignificat Deus mi, non imperitia linguae, ſed quod profanus et crudelis animus huc eos impelleret. Multa apud Iudaeos narrabantur de apparitionibus Eliae, ad homines ex periculo mortis liberandos.

48. πλήσας τε ὄξους) Quia ſitire ſe dixerat Ieſus, ut *Ioannes* docet. περιθεὶς καλάμῳ) Ὑσσώπῳ περιθέντες, inquit

 Ioannes.

Ioannes. Apparet, κάλαμον idem fuiſſe quod ὑσσώπου, i. e. bacillum ex hyſſopo, quae in aliquam magnitudinem arbori conuenientem excreſcit in Iudaea, non minus quam ſinapi.

49. ἄφες) Non eſt uox prohibentis, ſed ſubiunctiuo ſequenti inſeruiens, quaſi dicas: *age*, *uideamus*.

50. κράξας φωνῇ μεγάλῃ) Clamor is fuit: τετέλεσται apud Ioannem, et πάτερ εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου. Ergo non fuit uox dolentis, ſed laetantis et quaſi triumphantis. Quare centurio cruci adſtans hac uoce Ieſu commotus, ſuſpicatus eſt, extraordinarium eum eſſe hominem. Marc. XV, 39.

51. καταπέτασμα τοῦ ναοῦ) Duo uela templi fuerunt; *interius* quidem, quo uelatus fuit aditus ad Sanctum Sanctorum, et *exterius*, quod erat ad introitum templi. Illud Hebraice הפרכת, hoc מסך appellatur. Hoc loco intelligendum illud eſt, quod erat ante aditum Sanctuarii, quod ſimpliciter καταπέτασμα dicitur, ſicut alterum κάλυμμα. Quae res intelligitur e uerbis apud Philonem Lib. II. de uita Moſis: *Ex his ipſis*, (purpura, coccino et byſſo,) *cum uelum* (καταπέτασμα,) *tum uelamen* (κάλυμμα) *confectum fuit: Illud quidem interius ad quatuor columnas, ut adytum occuleretur; alterum autem exterius, ne quis profanus poſſet inſpicere ſacrificantium ſacra. Schekalim* VIII. 5. Veli craſſitudo eſt palmus, et contextus eſt ex LXXII. filis, quorum unumquodque habet XXIV. filamenta. In longitudine habet XL. cubitos, in latitudine uero XX. et ex LXXXII. myriadibus confectum eſt. Duo quotannis conficiuntur. CCC Sacerdotes ipſum lauant. εἰς δύο) ſc. μέρη,

in

in duas partes. Erat hoc uelum ita comparatum, ut nulli tempestatis iniuriae esset obnoxium, nec humana manu scindi posset. Ergo accidisse hoc uidetur, ut appareret, caerimoniis Leuiticis nunc imponi finem. καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη) sc. terra Israelitica, uel etiam Hierosolymitana.

52. 53. καὶ τὰ μνημεῖα — ἐνεφανίσθησαν) Haec duo commata spuria esse censet Anonymus *in Repertorio für bibl. und morgenl. Litteratur, Tom. IX. de interpolationibus in Euangelio Matthaei,* pag. 99. 139. Fieri potuisse, ut quaedam ex Euangelio Nazaraeorum, uel ex traditione in Euangelium Matthaei irrepserint, facile largior. Sed certi aliquid in his rebus statuere non ausim. Ceterum putant quidam, statim mortuo Christo hos mortuos resurrexisse; quare non legunt μετὰ τὴν ἔγερσιν ἀυτȣ̃, sed ἀυτῶν. Alii existimant, fissis petris aperta quidem esse sepulcra; neque tamen ad uitam peruenisse hos mortuos, nisi postquam Christus reuixerat, ut sic appareret, ipsum esse πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν. Verba μετὰ τ. ἐγ. ἀυτ. sequentibus iungunt uersiones Persicae et Syriaca. Venerunt ἐις τὴν ἁγίαν πόλιν. Sepulti enim in suburbanis locis fuerant. Aperiri sepulcra in graui terrae motu, haud est insolens. *ARISTIDES* in Rhodum: ἀνεῤῥιπτȣ̃ντο δὲ οἰκίαι, καὶ μνήματα ἀνεῤῥήγνυντο, πύργοι δὲ πύργοις ἐνέπιπτον. *XIPHILINUS* Nerua: σεισμὸς ἐξαίσιος ἐγένετο, ὥςε καὶ δόκησιν παρασχεῖν, ὅτι ἥτε γῆ πᾶσα διαῤῥήγνυται, καὶ αἵ τῶν πεφονευμένων ὑπ' ἀυτȣ̃ ψυχαὶ πᾶσαι ἅμα ἐπ' ἀυτὸν ἀναθοῤῥȣ̃σι. Quod autem tempore mortis Christi demortui ex sepulcris uiui exiisse dicuntur, id plane extraordinarium esse et inauditum, nemo non uidet. Si caussa quaeritur, cur hoc miraculum factum sit, respondet

det *IO. GEORG. MICHAELIS in Biblioth. Brem.* cl. III. p. 728. excitatos hos ſanctos eſſe, et apparuiſſe aliis ideo, ut uel ſic conuincerentur Iudaei, Ieſum Nazarenum eſſe uerum Meſſiam, quippe cuius tempore mortuorum aliquos reſuſcitatum iri crediderint. Vid. Buxtorfii Synag. Iud. c. 3. Quinam autem fuerint illi Sancti, nemini mortalium conſtat. Ii certe falluntur, qui Adamum, Euam, Noachum, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, Dauidem etc. fuiſſe ſibi perſuadent. Recte ſuſpicantur alii, fuiſſe hos non ita pridem deſunctos et ſepultos, quia alias non agniti fuiſſent ab illis, quibus apparuerunt, nec cognitum fuiſſet eos a morte eſſe rediuiuos. Vid. *LAMPIUS* in Biblioth. Brem. claſſ. III.

54. ἑκατόνταρχος) *Centurio ſupplicio praepoſitus,* ut Seneca loquitur Lib. I. de ira. c. 12. haud dubie Romanus. τηρȣ͂ντες) Etiam poſt mortem manſerunt milites; *ne quis* ſcilicet, ut *Petronius* loquitur, *ad ſepulturam corpora detraheret,* (niſi publico permiſſu.) καὶ τὰ γενόμενα) Caliginem ſolis, et, quod non fruſtra Marcus addit, exſpirationem ſtatim poſt clamorem. ἀληθῶς Θεȣ͂ υἱὸς ἦν ȣ῟τος) Quum Romani fuerint, qui hoc dicebant, clarum eſt, nihil aliud illos ſignificare uoluiſſe, quam, Chriſtum non modo fuiſſe inſontem, ſed etiam plane iuſtum, (Luc. XXIII, 47.) et uelut Heroëm quempiam, quaſi Diis ipſis hoc coelitus teſtantibus; id quod declarat etiam uerbum ἦν, *erat,* quaſi eſſe deſiiſſet. Fortaſſe audiuerant etiam Ieſum coram Synedrio et Pilato confeſſum eſſe, ſe eſſe υἱὸν τȣ͂ Θεȣ͂.

55. ἦσαν — διακονοῦσαι αὐτῷ) Ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ, comitatae fuerant Iesum, in ultimo itinere ex Galilaea. De sensu uerbi διακονεῖν uid. Luc. VIII, 3.

57. Ὀψίας δὲ γενομένης) Statim post nonam. Nam solis occasus erat initium noctis. πλούσιος) εὐσχήμων inquit *Marcus*, i. e. *uir honesti loci*, quippe βουλευτὴς, ut ipse addit, et *Lucas* exprimit. Hic Iosephus, oriundus quidem ab Arimathaea, i. e. *Rama*, in tribu Beniamin sita, Matth. II, 17. domicilium autem, et sedem fortunarum suarum habens Hierosolymis, fuisse uidetur senator senatus urbis Hierosolymitanae. Ideo non uocatur ἄρχων, sed βουλευτὴς, quae duo etiam *Iosephus* in belli Iudaici historia distinguit Lib. II, c. 29. Βουλευτὴς a latino interprete non male uertitur *decurio*; nam qui Romae *senatores*, ii in municipiis *decuriones* dicebantur; unde ipsa uox *Buleuta* pro *Decurione* est apud Plin. Epist. Lib. X, 49. ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ) Veram igitur agnouit Christi doctrinam, sed, quod Ioannes addit, profiteri eam non ausus fuerat hactenus, metu prohibente.

58. ᾐτήσατο τὸ σῶμα) Apud Romanos nefas erat cruci affixos sepelire, nisi fuerit petitum et permissum. Plerumque tabo passi sunt diffluere mortuos in cruce, et a sole ac pluuia corrumpi. Mortui sunt hoc mortis genere interemti, uel a stillante paullatim sanguine, uel a fame, uel etiam ab auium ferarumque laniatu. Interdum et lanceis sunt interfecti. Cf. quae notauimus ad u. 36. Quia uero cum Iudaeorum institutis pugnabat, corpora peremtorum ultra uesperam ostentari, Deut. XXI, 23. credibile est, Praesides Romanos ea in re, ut in multis rebus aliis, sequutos morem regionis.

regionis. Quare non hoc proprie rogatum a Iudaeis, Ioan. XIX, 31. ut ante noctem corpora demerentur, ſed ut paullo maturius, ne milites in eo opere occupatos initium ſabbati deprehenderet. Iudaeis et barbaris mos fuit, ob imminens aliquod feſtum, interfectorum cadauera, quo citius ſepelirentur, cognatis tollenda permittere. *Philonis* de hac re locum habet *Loesnerus*.

59. σινδόνι καθαρᾷ) σινδὼν, linteum pertenue, amictus ex lino Aegyptiaco. Quanquam autem unum nominat Matthaeus, praecipuum uidelicet, quo corpus inuoluebatur, plura tamen fuiſſe certum eſt; quare ὀθόνια recte dixit *Ioannes* c. XIX, 40. et c. XX, 6.

60. ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ) Articulus ἐν τῇ πέτρᾳ oſtendit, ex una rupe ſiue petra exciſum et excauatum fuiſſe monumentum. Erat is mos Iudaeorum e rupe ſpecum excauare condendis corporibus.

62. τῇ δὲ — παρασκευὴν) *Altero autem die, qui conſequebatur Paraſceuen*, i. e. Sabbato, et quidem ineunte Sabbato, ut uidetur. Παρασκευὴ proprie eſt apparatus, praeparatio. In ſpecie autem ſic uocatur dies, qui ſabbatum antecedit, in quo, quae ſabbato, uel diebus feſtis neceſſaria ſunt, praeparantur. συνήχθησαν — πιλάτον) Non uniuerſum Synedrium, non πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρέσβύτεροι τῦ λαῦ, ſed quaedam tantum membra ſenatus, cum duobus Pontificibus Maximis.

63. ὁ πλάνος) Mortuum etiam Ieſum non deſinunt ignominia uerborum afficere. Eſt autem *planus*, quo nomine et Hora-

Horatius utitur, circulator ac uagus, et nugatoria leuitate homines decipiens.

64. καὶ ἔςαι ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης) Locutio prouerbialis, ut ſupra c. XII, 45. Luc. XI, 26. 2 Petr. II, 20. Ne poſthac peius aliquid eueniat, e. g. ſeditio populi, quae omnino metuenda erat, ſi Ieſus *publice* ſe omnibus conſpiciendum praebuiſſet poſt reſurrectionem.

65. ἔχετε κȣςωδίαν) κȣςοδία, *cuſtodia,* uox Latina, milites cuſtodiam agentes. Ἔχετε, *habetis.* Senſus eſt: Habetis cohortem, quae hoc tempore ad omnes tumultus arcendos ueſtro imperio commiſſa eſt; ea utimini pro arbitrio. Nam quanquam proprie ea cohors templo ſeruiebat, tamen etiam alibi eius uſum fuiſſe, docet ipſa prehenſio Chriſti. ὡς οἴδατε) Vt fieri oporteat, pro ſollertia ueſtra iudicabitis.

66. σφραγίσαντες τὸν λίθον) Forſan *Pilati* annulo, diuina prouidentia ita dirigente, ut publica ſigilli fide conſtaret, Chriſti corpus nulla humana manu exemtum ſepulcro. μετὰ τῆς κȣςωδίας) Conſtruendum eſt cum uerbo ἠσφαλίσαντο eo ſenſu, quem *Tertullianus* exprimit: *ſepulcro conditum magna militari manu cuſtodiae diligentia circumſederunt.*

CAP. XXVIII.

Quanquam in narranda hiſtoria reſurrectionis Chriſti quoad ſummam rei optime conſentiunt Euangeliſtae, tamen in commemorandis ſingulis quibusdam περιςάσεσι uariant. Has diſcrepantias ita exaggerauit poſt alios *Anonymus,* cuius fragmenta ex bibliotheca ducali Guelferbytana *Leſſin-*

gius

gius (*in den Beytraegen zur Geſchichte und Litteratur*) edidit, ut totam hanc hiſtoriam reddere incertam dubiamque conaretur. Cui fortiter ſe oppoſuerunt noſtratium haud pauci, quos inter *Doederlein*, *Leſſ*, *Semler*, *Tobler*, palmam reliquis praeripuerunt. Bene obſeruat *Griesbachius* (in Progr. de fontibus, unde Euangeliſtae ſuas de reſurrectione Domini narrationes hauſerint,) difficultatum potiorum originem latere ſaepe in religione ſumma, qua fontes ſuos preſſe ſequi, nec quicquam alieni eis admiſcere ſibi propoſuerant ſacri ſcriptores. Quisque nempe Euangeliſta eodem prorſus modo rem narrauit, quo ipſe primum de ea certior factus fuerat. Quum autem nullus Apoſtolorum mulieres, primas reſurrectionis nuncias, omnes uidiſſet; aliae potius mulieres alios Apoſtolos, per diſſitas urbis Hierosolymae regiones diſperſos adiiſſent, et quae ipſae uiderant his expoſuiſſent, hinc factum eſt, ut unus has, alius alias περιςάσεις reſciſceret, et in litteras referret. Ceterum fides Apoſtolorum de reſurrectione Chriſti non nitebatur illa quidem aſſeuerationibus mulierum, ſed propriorum ſenſuum teſtimonio, (omnibus enim uiuum ſe conſpiciendum praebuit Dominus,) narrationes tamen mulierum, per quas uelut primus ſpei radius in animos eorum illapſus erat, aeterna memoria ipſis uidebantur dignae. Quum itaque poſtea aliis exponenda eſſet reſurrectionis hiſtoria, uix poterant rem aliter narrare, quam ea olim per mulieres primum ipſis innotuerat.

1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων) Vertenda ſunt haec uerba ſic: *Poſt ſabbatum autem, illuceſcente primo hebdomadis die.* Scilicet ὀψὲ σαββάτων reddendum

dendum eſt: *poſt ſabbatum, ſabbato transacto*, ſeu *in fine ſabbati*, quod dilucidiſſime Marcus c. XVI, 1. exprimit uerbis διαγενομένȣ τȣ̃ σαββάτȣ: ubi intelligendus eſt dies ſabbati cum nocte ſequenti. Sic *Thucydides* Lib. IV, c. 93. τῆς ἡμέρας ὀψὲ ἦν, *erat ſerum diei, in fine diei. Plutarch.* ὀψὲ τῶν βασιλέως χρόνων, *poſt tempora regis. Philoſtratus*: ὀψὲ τῶν τρωϊκῶν, *poſt bellum Troianum.* τῇ (ἡμέρᾳ) ἐπιφωσκȣ́σῃ εἰς μίαν σαββάτων, pro: ἐν μιᾷ σαββάτων *die illuceſcente, ſ. oriente primo dies hebdomadis.* Nam μία σαββάτων eſt primus hebdomadis dies; μία uero ex Hebraico אחד dicitur pro πρώτη, et σάββατα pro *tota hebdomade* in ſacris litteris ſumi, tritius eſt, quam ut exemplis ſit confirmandum. Ἐπιφώσκειν, etſi proprie de ſideribus, iubar emittere incipientibus, dicitur, tamen de die quoque illuceſcente ſaepe uſurpatur. Igitur ἡ ἐπιφώσκȣσα (ἡμέρα) eſt *ipſum diluculum*, nuntius diei. Vnde apparet, Matthaeum neque ſecum, neque cum reliquis Euangeliſtis pugnare. ἦλθε — τάφον) Ἡ ἄλλη Μαρία, nempe Cleopae filia, mater Ioſae et Iacobi. Omittit Matthaeus *Salomen*, quam Marcus nominat, et *Ioannam*, uxorem ſcilicet Chuzae, qui Herodis erat procurator, Lucae memoratam. Θεωρῆσαι τὸν τάφον. Marcus addit: ἵνα ἀλείψωσιν ἀυτὸν, quod et Lucas non obſcure indicat. Venerunt igitur, ut uiderent, an ſepulcrum ad unctionem pateret. Solebat id fieri, antequam corpora ſepulcro mandarentur; ſed ſepeliendi feſtinatio id officium anteuerterat. Matthaeo primum de reſurrectione Chriſti nuntium attuliſſe uidetur ἡ ἄλλη Μαρία, quae narrauerat quidem, ſe cum Magdalena, aliisque nonnullis, quarum forte nomina tacuerat (Marc. XVI, 1. Luc. XXIV, 10.) acceſſiſſe ad ſepulcrum; ſed abitum Magdalenae a

ſepulcro ad Ioannem ac Petrum (Io. XX, 2. ſqq.) praetermiſerat, numeroque plurali porro uſa, quae poſt Magdalenae diſceſſum ſibi contigiſſent, exponere perrexerat. Quam narrationem optima fide repetiit Matthaeus, ſuoque Euangelio inſeruit.

2. καὶ ἰδὲ — μέγας) Verte in plusquamperfecto: *Magnus terrae motus fuerat ortus.* Quae enim u. 2 — 4. narrantur, ſine dubio euenerunt ante aduentum mulierum ad ſepulcrum. Non auſae fuiſſent accedere, ſi monumentum obſeptum uidiſſent militibus. ἄγγελος γὰρ — ἐπάνω αὐτῦ) Refert Matthaeus, quod uel ex milite aliquo ad ſacra Chriſtiana poſtea perducto, uel ſenatore iudaico, Chriſtianam religionem poſtea amplexo, audiuerat. Terra contremiſcente, ſaxum occludens aditum ad ſepulcrum, fulmine forte percuſſum, disiectum eſſe uidetur. Quum autem cuſtodes in apice ſaxi formam candidam et coruſcam conſpexiſſent, nulli dubitarunt coeleſtem genium eſſe, atque ab eo deuolutum eſſe ſaxum.

3. ἦν δὲ — χιών) ἰδέα quidem apud probatae auctoritatis ſcriptores interdum de *forma humana* dicitur. Saepius autem uſurpatur de imaginibus phantaſiae obiectis. Perterrefacti milites coruſcam fulguris ſpeciem facile pro coeleſti genio habere poterant. Ceterum adfuiſſe angelos, ex ſequentibus apparet.

5. ἀποκριθεὶς — ζητεῖτε) Ἀποκριθεὶς hebraico more, ut ſaepe, pleonaſtice hic ponitur. Binos angelos commemorat Lucas, c. XXIV, 4. Matthaeus autem unius tantum, quia unus tantum mulieres allocutus fuerat, mentionem facit. Ceterum mulieres in ſpelunca haec ex angelo

audi-

audiuiſſe, patet ex commate 8. Omnibus nempe perterritis ob non repertum corpus, Magdalena, uiros quosdam aduocatura, celeri curſu redit in urbem, (Io. XX, 2. ſqq.) reliquae remanent, et poſtquam ex terrore ſenſim ſe collegiſſent, paullulumque confirmaſſent, in ſpeluncam introgrediuntur, et conſpiciunt binos angelos, quorum alter eas alloquitur, et Ieſum a mortuis ſurrexiſſe confirmat. Magdalenam quidem cum ceteris mulieribus ſummo mane ſepulcrum petiiſſe, reſciuerat Matthaeus; ſed ſeiunxiſſe eam poſtea ſeſe a reliquis, nec interfuiſſe his, quum Ieſus eis appareret, eosque alloqueretur, id uel ignorabat, uel memoratu uix dignum iudicabat.

6. ὅπȣ ἔκειτο) Proprie: *ubi ſitus fuit*. Frequens Graecorum Epitaphiis, ἐνθάδε κεῖται, ut in *Latinis: Hic ſitus eſt*. ὁ κύριος) Abſolute; quaſi dicat angelus, non ueſter tantum, ſed noſter quoque Dominus.

7. προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν) *Praecedet uos in Galilaeam*; nam προάγει per enallagen ponitur pro futuro. In Galilaea facta eſt publica et ſolennis Ieſu apparitio, omnibus non tantum diſcipulis, ſed multis etiam aliis. Cf. 1 Cor. XV, 6. Sed plus praeſtitit Chriſtus quam promiſit. Promiſerat enim, in Galilaea ſe ipſis appariturum: (ſupra c. XXVI, 32.) at cunctantibus eo ire, Hieroſolymis primum apparuit, deinde in Galilaea ſaepius. ἰδȣ̀ εἶπον ὑμῖν, et ille praedixit, et ego nunc iterum praedico.

8. μετὰ φόβȣ καὶ χαρᾶς μεγάλης) Timor gaudio erat mixtus, ut fieri ſolet, quando praeter omnem expectationem laetus nuncius nobis affertur. *TERENT*. Andr. V. 4. 34.

4. 34. *Vix ſum apud me, ita animus commotus eſt metu, ſpe, gaudio, mirando hoc tanto tam repentino bono.*

9. ὡς δὲ — χαίρετε) Hoc factum eſſe uidetur, quum Mariae Magdalenae ſe iam conſpiciendum praebuiſſet Ieſus. Haec enim ſola Petrum et Ioannem acciuerat ex urbe ad ſepulcrum; haec etiam ſola in urbem rediit, ut clare dicit Ioannes c. XX. Dum nempe poſt abitum Petri et Ioannis et ceterarum mulierum ſola aliquantisper ad ſepulcrum moratur Magdalena, primum duos angelos mox etiam ipſum Ieſum conſpicit. Reliquae interim mulieres alia uia pergentes, ut, non Petro et Ioanni, ſed aliis Apoſtolis, in remotioribus urbis regionibus, fortaſſis etiam Bethaniae commorantibus laetum nuncium de reſurrectione Chriſti afferrent, in ipſa uia obuiam habent Ieſum, et ab eo mandata ad diſcipulos accipiunt, u. 10. ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας) Videtur hoc fieri in exoſculatione pedum; nam hoc non inſolitum. Sic 2 Reg. IV, 27.

11. πορευομένων δὲ αὐτῶν) Praeſens pro praeterito: *quum iam abiiſſent.* Neque enim uult hoc factum, dum in itinere erant, ſed poſtquam a ſepulcro diſceſſerant. ἰδοὺ τινὲς τῆς κουστωδίας) Praecipui ceterorum nomine. ἅπαντα τὰ γενόμενα) *quae facta fuerant*; terrae motum, uiſum coeleſte, deuolutum lapidem, corpus non repertum.

12. μετὰ τῶν πρεσβυτέρων) Synedrii deſcriptio; iam enim conuenire poterat, ſabbato exacto.

13. εἶπα-

13. εἴπατε — ἡμῶν κοιμωμένων) Non hoc uolunt Pontifices, ut milites *Pilato* perſuadeant, corpus Ieſu ablatum eſſe ſe dormientibus, (hoc enim ſtultum fuiſſet,) ſed ut inſuſurrent familiaribus ſuis, ſe obdormiuiſſe, et poſthac ab aliis reſciuiſſe, quod corpus Ieſu, ſe dormientibus a diſcipulis ſit furto ablatum.

14. καὶ ἐὰν ἀκουσθῇ τοῦτο) Nimirum, male curatas excubias, et deſertam ſtationem; quae grauiter puniebantur apud Romanos, acres militaris diſciplinae uindices. ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος) apud *Praeſidem*, uel *Procuratorem*; nam Pilatum ipſum deſignant, ut in tota ſuperiore hiſtoria. πείσομεν αὐτὸν) Πείθειν τινα eſt *aliquem in ſuas partes trahere*, *pacare*, *ſibi conciliare*; quod poteſt fieri uel precibus, uel donis. Vide *Krebſium* et *Loeſnerum* ad h. l. ἀμερίμνους ποιήσομεν) Vox iuris. Ita enim Graeci dicunt, quod *Latini indemnem praeſtare*.

15. καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ Ἰουδαίοις) Veteres omnes magno conſenſu intelligunt famam illam mendacem de corpore Chriſti a diſcipulis ſubtracto. *Iuſtinus Martyr* duobus locis memorat legationem, a ſynedrio ad totius orbis Iudaeos ea de re miſſam. Malunt tamen alii ita haec Matthaei uerba accipere, quaſi dicatur, non potuiſſe ita celari ſceleratam iſtam inter ſacerdotes et milites mendacii nundinationem, ut non aliquam rimam inueniret ueritas, per quam in publicum emanaret. Quod ipſum quoque eſſe ueriſſimum potuit, et initium quoddam fuiſſe multorum ad Chriſtum conuerſionis.

16. εἰς τὸ ὄρος, οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς) Praeterit *Matthaeus* multas apparitiones Chriſti, factas *Petro*, *Apo-*

ſtolis ſine Thoma et cum Thoma, contentus una, illuſtriſſima, quae plurimos teſtes habebat ſuperſtites, quum hoc ſcriberet.

17. προσεκύνησαν αὐτῷ) Nusquam legimus, Chriſtum ante reſurrectionem ſuam ab Apoſtolis adoratum fuiſſe: unde colligimus, maius quiddam et diuinius eos de Chriſto nunc ſenſiſſe, quam antea. οἱ δὲ ἐδίστασαν) οἱ δὲ, *quidam*, pro τινὲς δὲ, quum οἱ μὲν non praecedit, non bene graecum eſt; quare alii legi uolunt οὐδὲ, ex coniectura. Videntur tamen huius conſtructionis exempla eſſe Matth. XXVI, 67. Luc. V, 33. Io. XIX, 29. *Aeliani* Var. Hiſt. V, 17. Cf. *Bowyer* ad h. l. *Addubitauerunt quidam.* Habet autem et haec pars hiſtoriae ſuum momentum. Nam aeque rem aeſtimantibus omnem dubitationem de facti ueritate adimit certa fides illis etiam facta, qui ad credendum difficiles fuerant.

18. καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς) Vno compendio *Matthaeus* complectitur praecipua capita ſermonum, quos Chriſtus cum Apoſtolis non in monte tantum, ſed et Hieroſolymis ante et poſt, in coelum iamiam aſcenſurus, Bethaniae habuit. ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία) Habuerat et antea, uitam mortalem agens, ἐξουσίαν: at morte acquiſiuit regnum infinitum, πᾶσαν ἐξουσίαν. Phil. II. 9-11. ἐν οὐρανῷ) imperium in angelos. Phil. II, 10. Hebr. I, 4. καὶ ἐπὶ γῆς) Ius congregandi populum ex omnibus terrae finibus, gubernatio eccleſiae etc.

19. πορευθέντες οὖν) Optime cohaeret cum ſuperioribus. Quando id ius mihi datum eſt, uos eſtote eius iuris adminiſtri atque legati. μαθητεύσατε) Μαθητεύειν alias intran-

transitiue est *discere;* hic autem, ut in aliis locis in significatione hiphilica est *discipulum facere, institutione ad coetum Christianum adducere.* Discipulorum autem nomine ueniunt non illi tantum, qui iam didicerunt atque instituti sunt, sed praeter eos ii quoque, qui discunt et instituuntur, et qui adhuc sunt instituendi. Baptizandi igitur sunt etiam infantes. Quum enim Apostoli non ignorarent, pueros quoque et infantes Proselytorum ex gentibus, non solum Proselytos appellari, et circumcidi, quod *Mischna* docet, uerum etiam baptizari, (quod Wetstenius ex *Gemara* ad Matth. III, 6. prolixe probat) in mentem ipsis uenire non potuit, ut pueros et infantes e catalogo discipulorum expungerent, aut a baptismo arcerent, nisi disertis uerbis a Christo excepti et exclusi fuissent; quod non legimus. πάντα τὰ ἔθνη) Non, ut hactenus, solos Iudaeos, cap. X, 5. sed homines ex omnibus nationibus, siue Iudaei sint, siue Samaritae, siue profani. βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς κ. τ. λ.) Varii sunt fines baptismi. Sed pro natura sua praecipue est nota professionis, et introductorium in ecclesiam. Ἐις τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς etc. hebraeo dicendi genere pleonastice dicitur pro: εἰς τὸν πατέρα etc. Act. XIX, 5. coll. Gal. III, 23. Baptizari in aliquem est, baptismo obligari ad eius cultum religiosum, et professionem religionis, ab eo institutae. Sic Paulus negat, quemquam baptizatum in suum nomen 1 Cor. I, 13. 15. hoc est sibi uelut nouae religionis auctori mancipatum. Baptizamur igitur *in nomen Patris,* i. e. in professionem et cultum Dei, qui se in V. T. reuelauit; *in nomen Filii,* tanquam ueri Messiae, qui in carne humana apparuit, et miraculis, doctrina, resurrectione,

 ascen-

aſcenſione uerus Meſſias demonſtratus eſt; *in nomen Spiritus ſancti*, qui donis ſuis beneficia ſpiritualia nobis applicat, uel, ut breuiter dicam: baptizamur in *patrem*, ut nouae religionis auctorem; in *filium*, ut noui coetus dominum; in *ſpiritum ſanctum*, ut huius coetus rectorem ac adiutorem. *Conſtitut. Clem.* VII, Baptismus datur in nomen τοῦ ἀποςείλαντος Πατρὸς, τοῦ ἐλθόντος Χριςοῦ, τοῦ μαρτυρήσαντος παρακλήτου. Innuitur ſimul Patris, Filii et Spiritus S. in eadem doctrina conſenſus. Nempe Chriſti doctrina non eſt alia quam Patris; nec ea quae Spiritus S. Apoſtolos docuit diuerſa ſunt a Patris et Filii doctrina Io. XVI, 15.

20. διδάσκοντες — ἐνετειλάμην ὑμῖν) *Eo quod doceatis eos obſeruare quaecunque uobis praeceperim. Praeceptorum* ſuorum nomine Ieſus non modo comprehendit leges proprias, h. e. mandata ſuper iſtis quae agenda fugiendaque ſint, ſed etiam promiſſiones fide tenendas, quas Euangelii uocabulo complectuntur diuini Scriptores. Cf. Luc. XXIV, 47. 1 Io. III, 23. καὶ ἰδοῦ, — τοῦ αἰῶνος) Videtur aſcenſus Chriſti in coelum adeo notus fuiſſe omnibus Chriſtianis in Palaeſtina, ut de eo nihil *Matthaeo* opus fuerit dicere. Nam quum quingentis illis apparuit Chriſtus, haud dubie futurum aſcenſum ipſis ſignificauit. Obiter tamen hic indicatur: Abiturus quidem ſum in coelum, nec adero uobis aſpectabili modo; ſed adero diuina efficacia; notandum enim eſt, cum aliquo eſſe, peculiariter de Deo dici, in multis ſcripturae locis. Ieſ. XLI, 10. Act. VII, 55. XVIII, 10. Ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος h. l. uidetur eſſe *finis Moſaicae conſtitutionis*; nam ὁ αἰών, עולם הזה ſaepe eſt *haec aetas*, i. e. tempus ante Meſſiam. Ita ſenſus eſſet: Omnibus do-

nis

nis et adiumentis ad religionem meam fundandam neceſſariis uos inſtruam et exornabo. Poteſt tamen ἡ συντέλεια τῦ αἰῶνος intelligi etiam de fine mundi. Tum uero haec promiſſio non ad ſolos Apoſtolos, ſed ad omnes Chriſtianos pertinet, ut ſenſus ſit: Vobis et omnibus mihi credituris adero usque ad rerum humanarum finem. Omiſit *Matthaeus* aſcenſus hiſtoriam, in Palaeſtina uiuentibus notiſſimam. Eam uero *Marcus* et *Lucas*, quum extra Iudaeam uiuentibus ſcriberent, merito adiecerunt. Varias uariorum codicum ὑπογραφὰς *Griesbachii* Editio exhibet.

 SCHO-

SCHOLIA
IN
EVANGELIUM MARCI.

NB. Sciat amicus Lector, nos ea Marci loca, quae in Euangelio Matthaei, iisdem fere, aut non multum diuersis uerbis leguntur, studio praetermisisse; quia eandem rem repetere superfluum duximus.

De Euangelio Marci.

Marcus fuit natione Iudaeus. Act. XII, 12. Nomen Iudaicum ei erat Ioanni, et a Petro uidetur fuisse conuersus, 1 Petr. V, 13. Euangelium suum *Romae* conscripsisse, et Matthaeum quidem in compendium redegisse, nonnulla uero, quae a Petro audiuerat, adiecisse dicitur. *Irenaeus:* (L. III, c. 1.) *MARCUS, discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annunciata erant, per Spiritum nobis tradidit.* Hieronymus Hedibiae Q. XI. *B. Petrus habebat*, inquit, *interpretem Marcum, cuius Euangelium, Petro narrante, et illo scribente compositum est.* Matthaei Euangelium sine dubio ante oculos habuit Marcus; hoc enim ex harmonia manifestum est. Genealogiam Christi totam silentio praetermisit, quia discipulis Romae ex gentibus ad Christum conuersis ad auctoritatem Christo conciliandam satis erat, ut scirent, ipsum esse filium Dei unigenitum, qui titu-

lus

lus omnibus est augustior atque diuinior: neque multum attinebat ipsis praeterea narrare, ipsum ex prosapia inter Iudaeos honorata atque nobili prognatum fuisse, ut recte *Wetstenius* obseruauit. — Fabulae sunt, quae de Marci Euangelio latino Autographo Venetiis asseruato, narrari solent. Fuit enim codex iste Venetianus pars Foroiuliensis, maximam partem a *Blanchino* in Euangelistario quadruplici editi. Euangelii Marci 40. folia Venetiis, reliqua 20. folia eiusdem codicis Pragae asseruantur, iam typis expressa, sub titulo: *Fragmentum Pragense Euangelii S. Marci uulgo autographi.* Edidit lectionesque uariantes critice recensuit *Iosephus Dobrowsky*, Clericus Ecclesiasticus. Pragae 1778.

CAP. I.

1. Ἀρχὴ τῦ εὐαγγελίυ I. X.) Sc. ἥδε. *Initium historiae Iesu Christi* est hoc. Sic *Herodotus:* Ἡροδότυ, Ἁλικαρνασσῆος ἱστορίας ἀπόδειξις ἥδε. υἱοῦ τῦ Θεῦ) Hoc in ipso exordio praefatur *Marcus*, tanti cognominis ueritatem sequentium rerum magnitudine probaturus.

2. 3. 4. Elegans ὑστερολογία est in his tribus commatibus. Initium enim Euangelii a Ioanne deducturum se promittit; quem Euangelii, ut praecursorem, ita quasi initium fuisse, quemadmodum praedictum iam de eo esset, iis nempe locis quos adducit. Ordo igitur: Ἀρχὴ τῦ εὐαγγελίυ Ἰησῦ χριστῦ, υἱῦ τῦ Θεῦ. Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, ἰδὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω etc. idem Φωνὴ βοῶντος etc. deinde καὶ ἐξεπορεύετο etc. Illud ὡς γέγραπται ἐν τοῖς

προφή-

προφήταις, nihil aliud eſt, quam: κατὰ τὸ γεγραμμένον ὑπὸ τῶν προφητῶν. Mens eſt haec: *Initium Euangelii Ieſu Chriſti, filii Dei hoc eſt: Quemadmodum ante a prophetis ſcriptum fuit: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui praeparabit uiam tuam coram te; item, Vox clamantis in deſerto: Praeparate uiam Domini, complanate ſemitas eius: ita et reuera euenit. Fuit enim in deſerto ac baptizauit Ioannes.* Teſtimonium de Ieſaia et Malachia contextum eſt. Nihilominus pro: ἐν τοῖς προφήταις alii legunt: ἐν ἠσαΐα τῷ προφήτῃ, quae lectio omnino praeferenda uidetur. Malachiam nominare inſuper habuit Marcus, quod Ieſaiae auctoritas eſſet illuſtrior, nec quicquam eſſet in uerbis Malachiae, cuius non ſententia etiam apud Ieſaiam extaret. κηρύσσων — ἁμαρτιῶν) *Publice profeſſus eſt, initiandos eſſe homines baptismo ad poenitentiam, qua remiſſio peccatorum impetretur.* Βάπτισμα μετανοίας, baptisma, quo ii, qui eo utuntur mentis et uitae emendationem ſpondent. Εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *ut remiſſionem peccatorum accipiant.* Εἰς finem indicat. Reliqua uerba explicauimus Matth. III, 1 - 3. ut et ſequentia, quae repetere nolumus.

9. εἰς τὸν Ἰορδάνην) Quidam εἰς hic poſitum eſſe pro ἐν, enallage Scriptoribus cum Sacris, tum profanis uſitatiſſima, exiſtimant; aliis autem haec loquendi ratio ex Graecismo paullo elegantiori exponenda uidetur, ut dictum ſit pro: κατέβη εἰς τὸν Ἰορδάνην, ἵνα βαπτισθῇ, quam interpretationem Krebſius nonnullis locis confirmat.

10. σχιζομένους) *Matthaeus* dixerat: ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί. Sed *Marcus* modum, quo uiſum eſt aperiri coelum,

lum, expreffit, non fenfim, fed uno impetu, ut ea, quae fcinduntur.

12. ἐκβάλλει) Haec uox pro ἄγειν ponitur Ioan. X, 4. Sed fimplicior expofitio eft, *iubet difcedere.* cf. Matth. IX, 25. et infra h. cap. com. 43.

13. μετὰ τῶν θηρίων) Hoc adiecit Marcus, ut fignificaret, non quamuis, fed defertiffimam fuiffe hanc folitudinem.

15. πεπλήρωται ὁ καιρὸς) *Appropinquat tempus.* Conftat nempe, πληρῦσθαι in facris litteris faepiffime de tempore ita ufurpari, ut id *appropinquaffe, aduenifſe* fignificent, ad imitationem hebraici מלא. Connectuntur autem haec cum fequentibus: καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλέια τῦ θεῦ, *quo inchoatur regnum Dei.* Quid hoc fit, dictum eft ad Matth. III, 2. ut etiam de fignificatione uerbi μετανοεῖν. Πιςέυετε τῷ ἐυαγγελίῳ, *confidite in hoc laeto nuncio*; confidite, uera effe quae uobis nunciantur de regno Meffiae. Ἐν et ἐις poft πιςέυειν eodem fenfu ufurpant Alexandrini. Πιςέυειν ἐν τινὶ, ficuti hebr. האמין cum ב conftructum, eft, *in aliquo fiduciam ponere.* Ita πιςέυειν τῷ ἐυαγγελίῳ eft credere, *uera effe quae dicebantur*; fed πιςέυειν ἐις τὸ ἐυαγγέλιον, fiue ἐν τῷ ἐυαγγελίῳ eft *in ea annunciatione fiduciam fuam collocare*, rem illam firmiter et cum animi fiducia credere.

21. τοῖς σάββασιν) *Sabbato*, ut Syrus et Latinus habent, uel fingulis Sabbatis.

22. ὡς ἐξȣσίαν ἔχων) Luc. IV, 32. ὅτι ἐν ἐξȣσίᾳ ἦν ὁ λόγος ἀυτȣ͂, *inftitutio eius erat efficax*, ut nempe animum uehementer commoueret. Matth. VII, 29.

23. ἄνθρω-

23. ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ) *Homo cum ſpiritu impuro*, i. e. habens impurum ſpiritum ut Lucas loquitur. Cf. annotata ad Matth. IV, 24. Ἀνέκραξε, ut inſanientes ſolent. Habuit homo iſte ſua interualla. Si enim perpetuo fuiſſet furibundus, non fuiſſet admiſſus in Synagogam.

24. Ἔα — καὶ σοὶ) *Hem, quid eſt, quo te offenderimus?* Hebraica phraſis. 1 Reg. XVII, 18. Ἔα eſt hebraeum האח, *ah*, *hem.* ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ) *Meſſias*, Danieli cap. IX, 24. dictus קדש קדשים, interprete etiam *Abenesra.* Sed ſanctus Dei eſt etiam quiuis homo conſecratus miniſterio Dei, adeoque legatus diuinus, miniſter Dei. Sic prophetae ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι dicuntur 2 Petr. I, 21. quia miniſterio Dei omnem uitam ſuam conſecrabant. Ceterum ſunt haec uerba furioſi hominis, metuentis ſibi a Ieſu, ne perdat eum, i. e. ne morbum illum tollat.

26. σπαράξαν) Verbum σπαράττειν non ſemper eſt *diſcerpere*, *lacerare*, ut Lexicographi tradunt, ſed interdum quoque *uehementer concutere* et *commouere.* Sic non ſolum Alexandrini Interpretes utuntur pro Hebraeorum געש et המה, ut Ierem. IV, 19. ſed etiam *Philo*, cuius locum *Loesnerus* laudat. Et σπαραγμὸν inter alia Graeci uſurpant pro conuulſione, quae σπασμὸς alioqui frequentius dicitur. Solent autem daemoniaci neruorum conuulſiones perpeti, quas ſequitur oris deſpumatio Luc. IX, 39.

27. ὥστε συζητεῖν πρὸς αὐτοὺς) συζητεῖν h. l. eſt hominum attonitorum, qui mutuo ſeſe rogitant et interpellant. κατ᾽ ἐξουσίαν) pro poteſtate, pro imperio, i. e. tanquam poteſtatem et imperium habens. Solebant quidem Iudaei exorciſtae inuoca-

uocatione quadam diuini nominis fugare daemones; fed nemo ante hoc tempus id fecerat pro imperio, ut Chriftus. Quum ergo uiderent, Iefum effe patratorem miraculorum, cogitabant: Qualis eft haec noua docendi ratio? Non poffumus eius doctrinam repudiare.

32. ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος) Dicuntur δύεσθαι quae aquam fubeunt; ut appareat hoc dicendi genus profectum ex uulgi opinione, qui folem mergi putabat oceano. Ceterum Iudaeos religio tenebat, quo minus ante exitum fabbati aegrotos fuos afferrent. Cf. com. 21. 29.

34. ἤφιε) *permifit*, Aorift. 2. ut docet Sylburg. in notis ad Clenard. p. 468. uerbi ἀφιέω. *Grotius* coniicit legendum ἠφίει, quia ifta uox alibi non occurrit. Obferuat tamen *Schvvarzius* in Commentariis linguae graecae N. F. augmentum hoc et formam flectendi ab ἱέω occurrere etiam in Imperfecto apud Philoftratum Vita Apollon. IV, c. 20.

35. καὶ πρωῒ ἔννυχον λίαν) *Noctu, fed quum dies inftaret,* quod Lucas dicit γενομένης ἡμέρας. Nam uox ifta γενομένης modo iam exactum, modo praefens, modo imminens tempus fignificat.

36. κατεδίωξαν) *profecuti funt,* uelut fugientem, ut faepe folebat ad precandum folitudinem captare.

38. ἄγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις) Ἄγειν, *ducere*; h. l. autem, ut faepius, *abire.* Κωμόπολις eft *uicus magnus, muris carens, uicus oppidi aemulus*, ex κώμη et πόλις. Notio autem τοῦ ἐχόμενος pro *uicinus, propinquus* apud optimos

fcripto-

scriptores non raro reperitur. Nam ἔχεσθαι τινος significat *instare, adhaerere*. Sic apud Iosephum est ἡ ἐχομένη ἑορτάσιμος, sequens dies festus; τῷ ἐχομένῳ ἔτει, *anno sequenti*; ἐχόμεναι πόλεις, *proximae urbes*. εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα) Patris missu; ἀπέσταλμαι, ut *Lucas* habet. Mandatum acceperat, omnibus in Palaestina Iudaeis doctrinam suam promulgandi. ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν) sc. τῶν κωμοπόλεων. Nam et in maioribus uicis, qui ad oppidorum accedebant magnitudinem, synagogae erant.

43. ἐμβριμησάμενος αὐτῷ) *Serio interminatus est ei*, i. e. grauioribus et seuerioribus uerbis interdixit ei, ne quicquam de hac re aliis diceret. Vid. notata ad Matth. VIII, 4. εὐθέως ἐξέβαλεν αὐτὸν) *Statim dimisit eum*, cum festinatione abire eum iussit. De hac uerbi ἐκβάλλειν significatione uid. Matth. IX, 38.

45. τὸν λόγον) *Rem*. Respondet enim hebraeo דבר, quod non tantum *uerbum*, sed et *rem* significat. ὥστε — εἰσελθεῖν) Μὴ δύνασθαι h. l. non simpliciter ἀδύνατον significat, sed id, quod secundum naturae ordinem multum incommodi habet ac difficultatis. Nam turbae affluxu premebatur Iesus in locis angustioribus.

CAP. II.

1. Δι' ἡμερῶν) *Post aliquot dies*; nam deest more hebraeo τινων, et διὰ ualet *post*; quo sensu etiam apud Philonem haud raro occurrit. καὶ ἠκούσθη — ἐστι) *Et quum auditum* s. cognitum *esset eum in domo esse*. Εἰς οἶκον, i. e. ἐν οἴκῳ. Videtur Iesus latenter intrasse urbem, et eam, quam ibi conduxerat

duxerat domum. At uix intrauerat urbem, quum fama de eius aduentu percrebesceret.

2. ὥςε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν) *Adeo ut iam ne uestibulum quidem eos caperet.* Nam τὰ πρὸς τὴν θύραν, loca, quae sunt ad ostium Graecis dicuntur τὸ πρόθυρον. τὸν λόγον) cum articulo, ut intelligatur Verbum Dei κατ' ἐξοχὴν, ut ἡ γραφή. Proponebat illis doctrinam coelestem.

4. ἀπεςέγασαν τὴν ςέγην) *Detexerunt tectum*; quod facile potuit fieri, si in porticu uestibuli scalae erant, quibus in tectum ascendi poterat. In Orientis regionibus domos ita aedificari solitas, testantur Rabbini. quod hodie etiam fieri *Schavvius* testis oculatus confirmat. Vid. *Fabri Archaeol.* p. 423. χαλῶσι) *demiserunt* (*funibus.*) Est praesens pro praeterito, quae enallage narrationibus conuenit, et Marco est familiaris. τὸν κράββατον) κράββατος, (uox latina) est lectulus. Graecis uocabulum putatur minus elegans; pro hoc enim dicunt σκίμπυς et ἀσκάντης.

5. σοὶ αἱ ἁμαρτίαι σου) Codd. nonnulli et antiquiores et recentiores habent σου αἱ ἁμαρτίαι.

7. τίς δύναται — ὁ θεός;) i. e. nemo potest remittere peccata nisi Deus. Vberius explicat Marcus, quod Matthaeus dictum a legisperitis refert: οὗτος βλασφημεῖ. Habebant nempe Iesum pro mero homine, et argumentabantur: Nunquam Deus potestatem et ius remittendi peccata cuiquam hominum concessit; ergo concedere non potest. Non habuerunt hoc ius prophetae: ergo nec habebit Messias.

8. τῷ πνεύματι αὐτῦ) Non, ut prophetae, per afflatum, ſed tanquam filius Dei, et diuinae originis, cuius erat tam peccata remittere com. 5. quam cogitationes hominum ſcire. 1 Cor. II, 10. Ad ſequentia cf. Matth. IX, 5—8.

14. καὶ παράγων) Quum ad partes maritimas iret Ieſus, exeundum illi fuit per portam Capharnaumi maritimam, apud quam haud dubie fuit uectigalarium, quum domus publicani eſſet in media urbe. ἐπὶ τὸ τελώνιον) ubi portorium, ſeu uectigal portus ſoluebatur. com. 13. Cf. Matth. IX, 9. ſqq.

16. ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα) Quum intelligerent, Ieſum cum publicanis cibum ſumere; neque enim aderant. τί) *Quid hoc rei eſt?*

18. καὶ ἦσαν — νηςεύοντες) Saepius ſolebant ieiunare. Non enim agitur hic de aliquo definito tempore, ſed de eo, quod fiebat ſaepius. Ieiunabant die ſecundo et quinto; *quinto* quidem, quia illo Moſes montem Sinai conſcendit; *ſecundo* autem, quia eo ex illo deſcendit. *Babyl. Bava Kama* fol. 82. Hoc notat Marcus, quia ſcripſit Romanis, quibus Iudaeorum inſtituta erant ignota. οἱ δὲ σοὶ μαθηταὶ ὐ νηςεύυσι) οἱ σοὶ (ſc. ὄντες) μαθηταὶ. Datiuus enim, qui pendet a ſubintellecto Subſtantiuo, ſaepiſſime ab optimo quoque ſcriptore ita ponitur, ut Genitiui uicem ſuſtineat, e. g. apud auctorem argumenti Pluti Ariſtophanici, ὁ τῷ χρεμύλῳ θεράπων, *qui ſeruus eſt Chremylo, ſive Chremyli.*

19. ἐν ᾧ) ſc. χρόνῳ, quae ellipſis eſt Graecis in hoc dicendi genere familiaris. ὅσον χρόνον μεθ' ἑαυτῶν ἔχυσι τὸν νυμφίον, ὐ δύνανται νηςεύειν) Hoc addidit *Marcus*, ut ſignificaret,

ficaret, interrogationem uim habere negandi. Quare et Syrus hic praeter nudam negationem nihil posuit. Δύνανται hic, non quid fieri omnino possit, sed quid conueniat, significat: quod et alibi occurrit. Cf. Matth. IX, 15. sqq.

23. παραπορεύεσθαι διὰ τῶν σπορίμων) *Quum praeteriret segetes, iuxta agros frugibus consitos ambularet.* Male reddunt multi: Quum transiret *per* sata, s. agros frugibus consitos. Nam hoc sine damno possessorum fieri non potuisset, nec Christus adeo discipulis suis id concessurus fuisset. Et Marcus, si id indicare uoluisset, haud dubie scripturus erat: διὰ μέσου τῶν σπορίμων. καὶ ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας) ἄρχεσθαι ut Hebraicum החל saepe redundat. Ὁδὸν ποιεῖν est pro ὁδοποιεῖν, unico uerbo, ut legit Theophylactus, uel ποιεῖσθαι ὁδόν. Formarum enim ὁδὸν ποιεῖν et ποιεῖσθαι perpetua differentia haec est, ut ὁδὸν ποιεῖν *sit uiam parare, sternere*, ὁδὸν ποιεῖσθαι autem sit *uiam ingredi, iter facere.* Tenendum autem, non tantum ab Alexandrinis interpretibus, sed etiam a recentioribus scriptoribus illud Actiui et Medii discrimen in exprimendo uerbo עשה fere negligi. Sensus non esse potest, discipulos uiam sibi parare ac sternere coepisse euellendis spicis; id enim sine ullo dierum discrimine omnino facere non licebat; sed ambulando euulsisse spicas; nam paulo post discipuli dicuntur a Pharisaeis reprehensi fuisse, tanquam ob aliquod factum, quod tantum sabbato licitum non esset.

25. ὅτε χρείαν ἔσχε) sc. *cibo.* Addidit hoc consulto Marcus, ut speciale exemplum ad generalem referret regulam, quae haec est: leges rituales uim obligandi amittere, ubi satis grauis urget necessitas. Matth. XII, 3. seqq.

26. ἐπὶ ἀβιάθαρ) 1 Sam. XXI, 2. Pontifex ipſe uocatur *Achimelech*, qui pater fuit *Abiatharis*. Hunc nodum nonnulli ita ſoluere uolunt, ut dicant, τῦ ἀρχιερέως h. l. poſitum eſſe pro: τῦ ὕςερον ἀρχιερέως. Alii τὸ ἐπὶ eo ſenſu accipiunt, quo habemus 1 Tim. V, 19. ut ſenſus ſit, *praeſente, et factum probante Abiathare*, qui paulo poſt Patri ſuo, per Doegum occiſo, in dignitate Pontificis maximi ſucceſſit. Sic ἐπὶ μαρτύρων, *praeſentibus teſtibus* eſt apud *Aelianum*; ἐπὶ τῦ βασιλέως, *rege praeſente*, apud *Diodor. Sic.* ut Wetſtenius obſeruat. Vid. Bowyeri coniect. ad h. l. *Michaelis* (introduct. in Libros N. F. Part. I. p. 134. edit. tertiae) ex Rabbinico Libros V. T. citandi more explicat, ut uerborum ἐπὶ ἀβιάθαρ is ſit ſenſus: *In ea parte librorum Samuelis, quae hiſtoriam Abiatharis continet.* Praeferenda eſſet ſine dubio haec explicatio, ſi *Marcus* addidiſſet uerbum γέγραπται, uel λέγει ἡ γραφὴ, ut Rom. XI, 2.

27. τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο.) Sabbatum eſt inſtitutum, ut homo ſe recreet; homo uero non ideo eſt creatus, ut quolibet ſeptimo die anxie ceſſet ab omni labore. Quum haec ſit Sabbati natura, ſequitur uerum eſſe quod u. 28. additur, in Meſſiae poteſtate poſitum eſſe, hominem neceſſitate ſabbati ſeruandi ſoluere.

CAP. III.

1. Ἐξηραμμένην ἔχων τὴν χεῖρα) Verbum ξηραίνεσθαι de iis hominibus uſurpatur, in quibus ſuccus uitalis, ſeu humidum radicale et naturale deficit. ξηροὶ ſunt *aridi*, *die ganz verdorret und vertrocknet ſind*. Medici hunc morbum ἀτροφίαν uocant. Matth. XII, 9. ſqq.

2. παρε-

2. παρετήρουν αὐτὸν) Verbum hoc παρατηρεῖν denotat *curiose et sollicite obseruare*, idque *bono* uel *malo* animo. Deinde autem *clam et insidiose obseruare quid alter agat, animo infesto, et ad nocendum parato.* Sic ἐπιτηρεῖν est apud Philonem de Legat. ad Caium: ἐπετήρουν, μή τις ὑπεξέλθοι λαθὼν, obseruabant, ne quis clanculum exiret.

3. ἔγειραι εἰς τὸ μέσον) Vt uel ipse aspectus hominis dura corda emolliret.

4. ψυχὴν σῶσαι, ἢ ἀποκτεῖναι;) *Viuam creaturam seruare, an trucidare?* Nam ψυχὴ, נפש, saepe est *creatura.*

5. μετ' ὀργῆς συλλυπούμενος) συλλυπούμενος non potest accipi pro συμπάσχειν, sicut apud Latinos condolere et condolescere dicuntur, qui aliorum dolore ad commiserationem commouentur. Nec enim isti obdurati suam uicem dolebant, sed aduersus Christum frendebant. Significatur ergo hoc uerbo, Christum fuisse quidem grauiter illorum desperata improbitate offensum, sed ita, ut eorum etiam misereretur. Docet exemplo suo Christus, ita irascendum peccatis, ut simul peccantium nos miserat. ἐπὶ τῇ πωρώσει) Significatur πώρου nomine *durities calli*, uel quiddam etiam durius, ossis instar. Transfertur deinde πώρωσις ad animum, de *contumacibus*, quorum animus adeo occalescere solet et obdurescere, ut salutari deinde doctrinae nullus sit locus. ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη) Adiecta sunt haec uerba interpretamenti loco ex Matthaeo; desunt enim in plurimis Codd. et Verss.

7. καὶ ὁ Ἰησοῦς — εἰς τὴν θάλασσαν) Lectio εἰς, quam codices nonnulli exhibent, quia est difficilior, omnino praeferenda est. Significat autem πρὸς. Concessit Iesus ex Iudaea

in Galilaeam ob insidias uitae suae structas, ut patet ex comm. 6.

8. καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας) Quae iis temporibus cum Iudaeis religionis societate iungebatur, ut ex *Iosepho* apparet. καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα) Videntur indicari, non Tyrii et Sidonii, sed Iudaei habitantes oram maritimam in confinio Tyri et Sidonis, quae παράλιος Τύρου καὶ Σιδῶνος dici uidetur Luc. VI, 17.

9. προσκαρτερῇ αὐτῷ) *praesto sit ipsi.* Significat enim προσκαρτερεῖν, in re aliqua, aut apud aliquem ita perseuerare, ut semper praesto sis.

10. ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ) ἐπιπίπτειν τινι est, *amplecti, occurrere, incidere*, uel *amanter*, uel *hostiliter*, apud Philonem. Est etiam *ingruere, irruere, adoriri*, apud eundem. μάστιγας) μάστιξ, *flagellum*, metonym. *morbum*, a Deo inflictum, et quidem malum grauius significare uidetur; nam bis infra Marcus distinguit νόσους καὶ μάστιγας, ut et Lucas c. VII, 21.

11. τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα) Ii, qui exagitabantur impuris spiritibus, correpti ab illis, ut recte hic notauit Camerarius. Patet hoc ex addito uerbo προσέπιπτεν. Cf supra I, 24.

13. ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος) Vt solebat, quoties precari patrem attentius instituerat. Cf. Luc. VI, 12. προσκαλεῖται, οὓς ἤθελεν αὐτὸς) Ex omnium se sectantium numero, (multos enim iam tum habuit discipulos,) perpetuos sibi comites duodecim adsciscit, non qui uolebant, sed quos uolebat ipse. Cf. Eph. I, 1. Ioan. XV, 16.

14. καὶ

14. καὶ ἐποίησε δώδεκα ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ) *Constituit duodecim, qui eum perpetuo comitarentur.* Ποιεῖν h. l. est *constituere.* Ita עשה tum alibi, tum 1 Sam. XII, 6. sumitur, ubi LXX. uertunt: ὁ ποιήσας, i. e. ὁ καταστήσας Μωσῆν καὶ Ἀαρών. ἵνα ἀποστέλλῃ) *Vt eos mitteret*, quum commodum uideretur. Id enim post aliquanto accidit. De uocabuli ἀπόστολος ui et potestate uid. Matth. X, 2.

15. καὶ ἔχειν) Repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ uerbum ἀποστέλλῃ, et uertendum: eosque mitteret, ut praedicarent et potestatem haberent.

16. καὶ ἐπέθηκε) Praeponit Beza: πρῶτον σίμωνα, ut habent duo Codd. iuniores.

17. Βοανεργὲς) Ex בני et רעש, uel etiam רגש, *tonitru.* Prior huius uocabuli pars est בני, sed laxius pronuntiata syllaba prima, eo sono qui inter o et a est medius. *Iudaei*, obseruante *Hugone Brugthono*, in hunc usque diem Schva per *oa* exprimunt, ut *Noabhiim*, pro *Nebhiim.* Explicationem *Marcus* statim addit: υἱοὶ βροντῆς, *tonantes*; nam uox υἱοὶ, hebr. בני ex Hebraismo satis noto est explicanda. Nimirum υἱοὶ βροντῆς sunt βροντῶντες, h. e. δεινοί. Βροντὴ est imago *eloquentiae*, maxime eius, quae partes animorum quasque aptis orationis modis pellat et moueat. Sic Demosthenes et Plato ab Columella (R. R. Praef. Lib. I. f. 30.) *tonantes* uocantur, et Pericles apud Aristophanem (Acharn. 530.) ἀστράπτειν, βροντᾶν dicitur. Appellati igitur sunt Iacobus et Ioannes a Iesu υἱοὶ βροντῆς, *tonantes*, quod facultate eloquentiae pellentis flectentisque essent inprimis praestituri. Vid. *Io. Fr. Fischeri* Prolus. 29. de uitiis Lexicor. N. T. p. 16. Alii eos ob ingenii feruorem ita a

Christo nuncupatos esse uolunt. Cf. Marc. X, 38. 39. Luc. IX, 54. Alias coniecturas uide apud *Lightfootum* in h. l.

20. καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον) Cohaerent haec uerba cum sequentibus et constructione et sensu. Vult enim narrare *Marcus*, maximam concursionem factam, quum Christus iam domum intrasset coenaturus. ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν) Ita ut Christus, et qui cum eo erant, siue Apostoli omnes, siue eorum aliqui, non possent cibum capere turba undique obstante.

21. οἱ παρ' αὐτοῦ) *Raphelius, Albertus, Kypkius*, quos sequitur *Loesnerus*, interpretantur: *propinquos, fratres et matrem Christi.* Et recte quidem; nam οἱ παρά τινος sunt omnino qui ad aliquem pertinent quocunque modo, in quibus inprimis insunt propinqui. Deserit hanc interpretationem *Krebsius*, tanquam parum confirmatam, et a serie orationis alienam, reddens uerba, οἱ παρ' αὐτοῦ, *qui una cum Christo in domo erant*, nempe Apostoli, a Christo tunc constituti, de quibus u. 19. ἔρχονται εἰς οἶκον. Sed *Marcus*, si eos intelligi uoluisset, scripsisset potius οἱ παρ' αὐτῷ. *Knatchbullus* et *Hombergius quosdam ab eo missos* intelligi uoluerunt; quod narrationis perspicuitati minime conuenit. Videtur igitur οἱ παρ' αὐτοῦ dictum esse pro οἱ αὐτοῦ, quemadmodum apud Demosthenem pro corona ὁ παρὰ Φιλίππου στρατηγὸς, *dux Philippi.* Quam interpretationem et orationis series desiderat. Etenim u. 31. pergit Marcus in interrupta, aliquot uersiculorum interuentu, narratione, quod declarat illud οὖν, ita: ἔρχονται οὖν οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ. Cf. omnino *Loesn.* ad h. l. ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτὸν) *Venerunt ut prehenderent eum.* Nimirum ut

ut eum ex ea domo, in qua premebatur, alio abducerent. ἔλεγον γὰρ) Hoc non eſt intelligendum de propinquis Chriſti, ſed accipiendum imperſonaliter: *Fama erat, dicebant homines.* ὅτι ἐξέςη) *Eum mente eſſe permotum.* Cod. Vercell. *exſtitit mente.* Vulg. brix. alii habent: *in furorem uerſus eſt.* Alii ἐξέςη uertunt: *diſceſſit, egreſſus eſt domo.* Sed haec explicatio, praeterquam quod non ſatis apta eſt reliquae orationi, etiam ideo minus probanda uidetur, quod ἐξίςασθαι in abeundi et diſcedendi notione fere ſemper iunctum ſibi habeat genitiuum, quo indicetur locus uel res unde aliquis diſceſſiſſe intelligatur. At ſatis frequens eſt in uerbo ἐξίςασθαι, quum ſignificat *mente permotum eſſe*, omitti τȣ̃ φρονεῖν, uel ἀυτȣ̃, uel τῶν φρενῶν. Phauorinus: ἐξέςηκε, μαίνεται. Porro hoc uerbum opponitur τῷ σωφρονεῖν, 2 Cor. V, 15. Haec ergo ſententia praeferenda eſt. Dici quoque de uatibus, et idem eſſe quod κάτοχον εἶναι docet *Loeſnerus* ex Philone. *Dauid Clericus, Kühnius* aliique per ellipſin τȣ̃ ὄχλος, de populo potius, quam de Seruatore haec explicanda eſſe exiſtimant. Sed durior eſt haec ellipſis, quam ut recte admitti poſſit; et notum eſt, Iudaeos non paucos pro ſua improbitate Ieſum eiusmodi conuitiis proſcidiſſe. Cf. Io. VII, 5. X, 20. Hanc autem famam, mente permotum Ieſum, Phariſaei ſparſerant, ut patet ex com. 22. ubi καὶ recte uertas: *Nam.* Et ἔχειν βεελζεβȣ̀λ, ſicuti: ἔχειν δαιμόνιον eſt *inſanire, mente captum, ſummo furore correptum eſſe.* Ad ſequentia uid. Matth. XII, 25. ſqq.

27. ȣ̓ δύναται ȣ̓δεὶς) Plurimi Codd. habent: ȣ̓δεὶς δύναται. διαρπάσει) Permulti Codd. habent διαρπάσῃ, quod

ſane melius cohaeret cum praecedentibus. Si legimus διαρπάσει, ſenſus erit: *tunc enim demum domum praedari poterit.*

29. ἔνοχός ἐςιν αἰωνίȣ ἁμαρτίας) Sic enim legendum uidetur. Probabile eſt, αἰωνίȣ κρίσεως fuiſſe interpretamentum Hebraismi, quo peccatum ſumitur pro poena peccati. Senſus eſt: Non tantum hic punitur induratione, ſaepe et poenis aſpectabilibus, quod Iudaeis contigit, ſed et poſt hanc uitam ſuppliciis aeternis.

30. ὅτι ἔλεγον πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει) Verba ſunt Euangeliſtae, cauſſam afferentis, cur Ieſus uſus ſit hac comminatione, ideo nimirum, quia uidebat, illos agnoſcere intra ſe uim diuinam, ſed inuidia et odio comminiſci calumnias, ut plebem auerterent; atque ita, quod Dei erat, diabolo adſcribere.

31. ἔρχονται ȣ̃ν) Particula ȣ̃ν hoc loco eſt Epanalepſeos nota. Redit enim Marcus ad hiſtoriam, quam u. 21. de eius propinquis narrare coeperat. Cf. Matth. XII, 46. ſqq.

32. εἶπον δὲ) Non dicta ſunt haec a circumſtante turba; ſed ab iis, quos miſerant propinqui, ut eum accerſerent. Ceterum cf. Matth. XII, 47. ſqq.

CAP. IV.

1. Καθῆσθαι ἐν τῇ θαλάσσῃ) i. e. in naui deducta in mare. Cod. Cantabrig. habet πέραν τῆς θαλάσσης. Itala: *ad ſ. circa ſ. proxime littus.* Matth. XIII, 1. ſqq.

2. ἐν τῇ διδαχῇ) i. e. ἐν τῷ διδάσκειν, inter docendum. Senſus eſſe uidetur: quum alia multa diſſereret, tum hoc quoque dixit inter cetera.

7. καρπὸν οὐκ ἔδωκε) Hoc de prioribus ſeminibus nihil neceſſe erat dici. Nam quomodo fructum ederent, aut ab auibus abſumta, aut aeſtu ſolis arefacta? Sed de hoc ſemine non ſine cauſſa id dicitur; quia primi auctus ſpem faciebant bonae frugis.

10 καταμόνας) ſc. χώρας, *ſeorſim a turba*, uel: cum ſolus iam eſſet. οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα) Eleganter Graeci τοὺς περί τινα appellant eos, qui ſunt cuipiam dediti et addicti, ita ut eum ſectentur, ſintque ipſius uelut factionis. Minime igitur hoc loco ſignificantur externi aliqui homines qui Chriſto adeſſent, ſed ii tantum, qui ſolebant eum affectari, et diſcipuli eius erant, quales habuit quidem, praeter ſelectos illos duodecim, etiam alios multos. Ii igitur, ſecuti eum uel domum, uel in deſertum, quaeſierunt de parabola. Vid. Matth. XIII, 10. ſqq.

11. ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω) Iudaeis οἱ ἔξω erant Ethnici, deſumta inde phraſeologia, quod omnes terras et regiones praeter ſuam uocarunt חוצה לארץ, *extra terram*. Hoc autem loco intelliguntur homines, Iudaei quidem, ſed non interioris apud Ieſum admiſſionis. Philoſophi etiam diſtinguebant diſciplinam exotericam et eſotericam. *ARISTOT. Eudemior.* I. 8. καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, καὶ ἐν τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν. *AUL. GELLIUS* XX, 4. *Hinc diſciplinae, quam dixi* ἀκροαματικὴν *tempus exercendae dabat in Lyceo matutinum, nec ad eam temere quenquam admittebat, niſi quorum ante ingenium, et eruditionis elementa, atque in*

diſcendo

discendo studium laboremque explorasset. Illas uero ἐξωτερικὰς eodem loco uesperi faciebat, easque uulgo iuuenibus sine delectu dabat. ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται) γίνεται ex sensus ratione hic idem ualet, quod *proponuntur* ; τὰ πάντα, scilicet, non quae ad poenitentiam, sed quae ad arcana diuinae dispensationis, aut ad euentum praedictionum pertinent. Praecessit enim mentio τοῦ μυστηρίου. Et ἐν παραβολαῖς intelligendum ἐν μόναις παραβολαῖς, sine earum apertiori explicatione.

12. ἵνα βλέποντες βλέπωσι) Non uerba ipsa prophetarum, sed sensum comminationis exprimit *Marcus*: futurum scilicet, ut qui uidentes uidere, audientes audire, et intelligere noluerant, postea nec uidere, nec audire, nec intelligere possent ea, quae ad ipsorum conuersionem pertinebant. Cf. Matth. XIII, 13. sqq.

14. ὁ σπείρων, τὸν λόγον σπείρει.) Is *sator*, de quo dixeram in fabella, significat *doctorem salutaris uerbi.*

15. ὅπου) *ubi*, pro *in quibus.* Sic *unde*, pro *a quo*, Latini saepe usurpant. Sensus est: *Isti autem sunt, qui iuxta uiam (sc. semen excipiunt,) in quibus* (ὅπου) *seminatur uerbum.*

19. καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι) περὶ τὰ λοιπὰ, i. e. τῶν λοιπῶν, cupiditates quae in ceteris rebus uersantur, *uoluptates corporis*, quas Matthaeus non expresserat, quia diuitias comitari solent.

20. ἐν τριάκοντα) Post ἐν subauditur participium τὸ σπειρόμενον, alioqui dicendum fuerat potius εἰς in accommodatione parabolae.

21. ἔρχε-

21. ἔρχεται) ἔρχεσθαι h. l. eſt *inferri in conclaue*; quod quum obſcurius uideretur, mutandi occaſionem praebuit: alii enim codices habent καίεται, alii ἅπτεται. ἢ ὑπὸ τὴν κλίνην) Hoc et Lucas poſuit c. VIII, 16. Magna ubique relucet in Chriſti dictis popularitas. Quia modius et lectus cauitatem habent, ſub qua condi lucerna poſſet, ideo iſta nominauit. οὐχ' ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν ἐπιτεθῇ) Alia ſimilitudine idem, quod ſuperiore oſtenditur. Applicatio ſumenda eſt e ſerie orationis. Praeceſſerant nempe haec duo: Edocti erant diſcipuli ſenſum parabolae; et edocti erant, id, quod didicerit aliquis, etiam factis eſſe exprimendum. Ergo hoc uult Chriſtus: Quod uos a me didiciſtis, debetis rurſus alios docere. Nolite ergo lumen, quod in animis ueſtris eſt, occultare, ſed alios in poſterum etiam docete. Deinde: Non debet in animis ueſtris latere doctrina mea, ſed debet erumpere in facta.

22. οὐ γάρ — ἔλθῃ) Poſt ἀπόκρυφον ſupple τι ex membro ſuperiore. Et ἐγένετο hic eſt, quod ibi ἐστὶ. Mos Hebraeorum eſt eandem ſententiam uerbis mutatis repetere, quod in Prouerbiis Salomonis ſaepiſſime occurrit. Ἀλλ' ἵνα, *niſi ut*. Senſus eſt: Vt in uitae experientia uel occultiſſimae res aliquando innoteſcunt, ſic, quae nunc ſunt occulta, paullo poſt in omnium conſpectu erunt. Hoc factum eſt, quum poſt mortem Chriſti propagata eſt haec doctrina per omnem terrarum orbem. Ineſt etiam hoc: Si omnia in uita communi aliquando manifeſta fiunt, etiam doctrina non debet latere in animo, ſed in facta erumpere.

24. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς) *Praeterea* dixit. Familiaris eſt Marco iſta tranſitio, qua uel diuerſos ſermones, uel diuerſas eiusdem ſermonis partes connectit. βλέπετε τί ἀκέετε) *Etiam atque etiam conſiderate, quid et quale ſit, quod auditis*, ut pro rei magnitudine intendatis animum. Lucas (c. VIII, 18.) habet: βλέπετε ἒν πῶς ἀκέετε, uidete igitur, quo modo audiatis doctrinam, quo conſilio, quo animo, quo fructu in animis ueſtris? utrum audiatis ſic, ut hanc doctrinam uelitis cum aliis communicare, et per omnem uitam exercere, uel ſic, ut in ea ulterius progredi uelitis? ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται τοῖς ἀκέεσιν) Prouerbium generale, cuius quis hic ſit uſus, uerba illa poſtrema oſtendunt, nimirum idem, qui ſequentis ſententiae: *habenti dabitur*. Audientibus quomodo audire oportet, beneficia ulteriora contingunt. Cf. dicta ad Matth. XIII, 12.

26. ὡς ἐὰν ἄνθρωπος, βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς) Sator non eſt hic quiuis praeco ueritatis, ſed ipſe primus eius ſator Chriſtus, Matth. XIII, 37. Nam et hic, qui ſeuit, dicitur miſſurus in agrum meſſores, infra comm. 29. Is autem haud dubie eſt Chriſtus, Matth. XIII, 39-41.

27. καὶ καθεύδῃ, καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν) i. e. Semente facta, tranſigat ſecurus noctes et dies, minime nimirum dubitans, quin ſemen germinet. Eſt igitur loquendi genus, ſecuritatem agricolae indicans. Nam quod *Eraſmus*, et poſt eum alii exiſtimant, referri illud καὶ ἐγείρηται ad ſemen, non poteſt conuenire, ob copulam interiectam; dicendum enim fuerat: καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν ὁ σπόρος etc. Deinde illud ἐγείρεσθαι, certum eſt opponi

τῷ

τῷ καθεύδειν, ut ſit ſimile quiddam ei, quod dicunt Hebraei exire et introire, pro: uerſari in loco aliquo, et officium ſuum facere. Senſus eſſe uidetur, *Chriſtum a facta ſemente ad meſſis tempus agro, i. e. eccleſiae aſpectabili ſua praeſentia non adfuturum.* Non ſunt enim particulae ſimilitudinis premendae ultra id, quod intenditur.

28. αὐτομάτη γὰρ ἡ γῆ καρποφορεῖ) *Nam ſua ſponte terra profert etc.* ut nempe continuato labore agricolae non amplius ſit opus. Αὐτόματον eſt *omne quod ſponte a terra naſcitur, nec humanae curae et induſtriae debetur,* quo ſenſu ſaepe apud Philonem occurrit. In uerbo καρποφορεῖ eſt κατάχρησις: nam proprie καρποφορεῖν eſt *frugem proferre,* hic autem ſimpliciter *proferre.* Quod primum enaſcitur, herbam etiam uocant Latini, unde prouerbium natum eſt: *in herbis eſſe,* et *meſſis in herba eſt.*

29. ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς) ſubintellige ἑαυτὸν, *fructus maturus tradit ſeſe metenti.* Georg. I. 287. Multa adeo gelida melius ſe nocte dederunt. Germ. *ſich ergeben.* ἀποστέλλει τὸ δρέπανον) *Immittere falcem* dicunt Latini. Quum autem ἀποστέλλειν rectius de perſonis, quam de ipſis falcibus dicatur, δρέπανον forſan hoc loco, metonymia quadam populari, ipſos meſſores cum falcibus ſignificat. Applicatio eſt facilis. Sicut agricola, poſtquam ſemen credidit aruo, omnia reliqua permittit Deo et naturae, ita Chriſtus ab initio princeps ſemen doctrinae ſuae ſparſit per uniuerſam Iudaeam; mox opere ſuo in his terris peracto, rediit ad Patrem, nec rediturus eſt in hunc mundum, hominibus conſpicuus, niſi quum negotio Euangelii ad eam menſuram progreſſo, quam ipſe praefiniuit, rurſus adueniet, ſeparaturus

pios

pios ab impiis, ac pios, ueluti probum frumentum, in aeternae quietis horreum reconditurus. Ad sequentem parabolam cf. notata ad Matth. XIII, 31. 32.

33. καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν) pro captu scilicet eorum, quos auditores, habebat; uel secundum *Grotium*: ut digni erant audire; nam et alibi τὸ πρέπον per uerbum δύνασθαι explicatur, ut Matth. IX, 15.

34. οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς) Nempe arcana regni. Ita enim ex sententia uocum latitudo restringenda est. ἐπέλυε) soluebat, i. e. *explicabat*, ut 2 Pet. I, 19. quo sensu saepius apud Profanos occurrit, quod probant loca, quae a *Wetstenio* laudantur.

36. παραλαμβάνουσιν ἐν τῷ πλοίῳ) *In ipsa naui, in qua tum erat docens, coeperunt in ulteriorem ripam eum transuehere.* Nam supra dictum est, ex naui in mari concionatum fuisse Iesum adstantibus in littore. *Vt erat*, sine ullo ad iter apparatu. Elegans locutio; ita Latini, *ut erat disiecta capillos.* μετ' αὐτοῦ) Proxime nauigantem sequebantur. Nam qui in istis nauibus erant, dixerunt, quod infra memoratur, comm. 41.

37. λαίλαψ ἀνέμου) est ἀνέμου συστροφὴ μετὰ ὑετοῦ, ut ait *Hesychius*, consentientibus Homeri interpretibus. τὰ δὲ κύματα ἐπέβαλλεν εἰς τὸ πλοῖον) *Fluctus irruebant in nauigium*; nam ἐπιβάλλειν hoc loco declarat, cum impetu sese proiicere, ut in coniugatione Hithpael.

38. ἐπὶ τῇ πρύμνῃ) Gubernatoris locus in puppi.

39. πεφί-

39. πεφίμωσο) comprimitor, et coërcetor. Cf. Matth. VIII, 26. καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη) Subito, quum alioqui diu ſoleat mare agitari, poſtquam uenti ſiluerunt.

41. ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους) Verbum imperſonaliter poſitum. Subauditur: non diſcipuli, ſed οἱ ἄνθρωποι, nempe in hoc et in aliis nauigiis eum ſequentibus, quod expreſſit *Matthaeus.*

CAP. V.

2. Ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ) Matthaeus duos nominat c. VIII, 28. Marcus uero aut de duobus memorat inſigniorem, aut ea de cauſſa de uno tantum loquitur, quia duorum mentio facta parum ad potentiam Chriſti oſtendendam contuliſſet, et quaeſtionibus dubiisque praebuiſſet occaſionem, quum furioſi et coeci ſocietatem inire non ſoleant. Cf. c. X, 46.

3. ὃς τὴν — μνημείοις) Vera lectio eſt μνήμασι. Hanc enim plurimi et uetuſtiſſimi codices exhibent. Sepulcralia illa monumenta more Orientis aedificata fuerunt ſingulatim in locis ſolitariis, aut in uiis ſaltem publicis. In huiusmodi locis et fornicibus homo iſte furibundus a tempeſtate poterat eſſe ſecurus. Vid. *SHAW* itinerar. p. 193. 229. *HARMARI* obſeruatt. in Orient. Tom. I. p. 234. uerſ. germ.

5. διαπαντὸς νυκτὸς καὶ ἡμέρας) Vnum altero explicatur, ad perpetuitatem indicandam.

7. ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν) i. e. νὴ τὸν Θεὸν. Errant autem, qui hic iusiurandum exigi putant; nam eſt quidem alicubi ea uocis ſignificatio, ſed multis aliis in locis nihil aliud ſignificat, quam *religionem iniicere*, quod eſt in lingua uetere Romanorum *obſecrare*. μή με βασανίσῃς) *Ne me affligas*. Afflictio quam metuebat, *iſte*, in eo erat, quod Ieſus daemonem iubebat diſcedere; ut apparet ex u. 8.

9. τί σοι ὄνομα;) Videtur Ieſus nomen hominis, quem ſanaturus erat, ſcire uoluiſſe. λεγεὼν ὄνομά μοι) *Legio* quid ſit, notum eſt. Sed Iudaeis *Legio*, לְגִיוֹן ſiue לִגְיוֹן ſaepe etiam ſignificat legioni praefectum, ducem exercitus. Vid. *Io. Buxtorfii* Lexicon Rabb. ſub hac uoce. Ergo is, qui Ieſu reſpondebat, ducem, ſ. principem multorum ſe nominauit. Quicquid ſit, uidetur haec eſſe uox furioſi, nomen ſuum ignorantis. Nam furioſum hominem, non daemonas allocutus erat Ieſus. *Plaut.* Captiu. III, 4. 15. *Hic homo rabioſus habitus eſt in Aulide.* 28. *ſuum ipſe interdum ignorat nomen, neque ſcit, qui fiet. Aen.* IV, 469. *Eumenidum ueluti demens uidet agmina Pentheus, et ſolem geminum et duplices ſe oſtendere Thebas.*

10. καὶ παρεκάλει — ἔξω τῆς χώρας) *Enixe eum precatus eſt* (obſeſſus) *ne eos* (ſc. daemones quibus ſe obſeſſum eſſe putabat) *eiiceret ex hac regione.* Lucas: (c. VIII, 31.) *ne eos iuberet* εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. Vbi ἡ ἄβυσσος uidetur eſſe *mare*, in quod gregem porcorum paulo poſt praecipitauit daemoniacus. u. 13.

11. πρὸς τὰ ὄρη) Plurimi Codd. habent πρὸς τῷ ὄρει, quibuscum conſentiunt multae Verſſ. Theophyl. Euthym.

Lucas

Lucas ἐν τῷ ὄρει. Intelligi poteſt grex ille tum fuiſſe in parte montis inferiore.

12. καὶ παρεκάλεσαν — οἱ δαίμονες) In quibusdam codicibus deſunt uerba πάντες οἱ δαίμονες. In aliis retinetur οἱ δαίμονες, ſed deeſt πάντες. Vnde ſuſpicio oritur, legendum eſſe: καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν, omiſſis reliquis. Ex ore hominis obſeſſi prolata ſunt uerba: πέμψον ἡμᾶς εἰς τοὺς χοίρους. Daemonas ipſos hoc dixiſſe, uulgo credebatur. Hoc referunt Euangeliſtae, non anxie quaerentes, utrum Daemones per os hominis locuti fuerint, an uero homo miſer, furore correptus, inſana uerba protulerit. Ἐις τοὺς χοίρους, i. e. εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων, ut habet Matthaeus c. VIII, 31. Cf. notata ad iſtum Matthaei locum.

18. ἵνα ᾖ μετ' αὐτοῦ) Veritus, ne, digreſſo Ieſu, ipſe in daemonum poteſtatem recideret. At Chriſtus oſtendere uoluit, ſe etiam abſentem praeſidio eſſe iis, qui ſibi confiderent, ut recte obſeruat *Theophylactus.*

19. ἀνάγγειλον αὐτοῖς) Voluit Chriſtus etiam ad gentes aliquam ſui famam manare, uocationis ſecuturae praeſagium.

23. ἐσχάτως ἔχει) extreme laborat; extreme male ſe habet, in ultimo diſcrimine eſt. Phraſis bene graeca. ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς) Subauditur: παρακαλέω σε, ex eo quod praeceſſerat. Hoc autem nihil eſt aliud, quam circumſcriptio modi precatiui. καὶ ζήσεται) Hebraeis futurum eſt uice ſubiunctiui. Neque eſt Tautologia. Senſus enim eſt: *ut ſanitatem recipiat, atque ita mortem imminentem effugiat.*

25. οὖσα

25. ἣσα ἐν ῥύσει ἅιματος) *Quae fluxu ſanguinis laborabat.* Sic Cicero Tuſcul. III. et IV. ſanos opponit iis qui ſunt in morbo, i. e. qui morbo aliquo tenentur. Cf. quae notauimus ad Matth. IX, 20. ſqq.

29. ἔγνω τῷ σώματι) *Senſit corpore.* Magna eſt emphaſis in his uocibus. Nam naturaliter nemo ex ueteri morbo ſubito reualeſcit, ſed longa manent cedentis mali ueſtigia.

30. καὶ εὐθέως — ἐξελθοῦσαν) Haec Ieſu uerba Viri ceteroquin docti ita acceperunt, quaſi uirtus ſanandi diffuſa per totum Chriſti corpus fuerit, ut totus nihil fuerit aliud, quam, (ut loquitur *SIMON EPISCOPIUS*) *ſalutare pharmacum.* Exiſtimauit ipſe *CLERICUS* quoque, ex hac locutione, ſi nimis urgeatur, colligi poſſe, Chriſtum aegrorum morbos effluxu quodam curaſſe; quod intelligi non poſſe, recte monet. Intelligere ſe hoc putabunt fortaſſis qui hac noſtra aetate per *magnetiſationem*, quam uocant, morbos curare uolunt. Sic experientiſſimus *EBERHARD GMELIN* laudat uirtutem ſanandi per corpus diffuſam, qua uarii generis morbi curari poſſint, in libello, cui titulus: *Veber thieriſchen Magnetiſmus. In einem Brief an Herrn geheimen Rath Hoffmann in Mainz.* Tubingae 1787. Sed fac, uera eſſe omnia, quae nobis narrantur ab iis, qui artem magnetiſandi exercent, ad Saluatorem noſtrum haec minime applicari poſſunt. Is enim uno tactu curauit aegrotos; ut taceam mulierem haemorrhouſam ſanatam fuiſſe, quum ipſa fimbriam ueſtis Ieſu tantum tetigiſſet. Notandum eſt inprimis etiam, uerba: ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ ἀυτοῦ ἐξελθοῦσαν δύναμιν de ſenſu corporeo non eſſe explicanda, ſed potius

potius ſenſum eſſe: *Ieſum ſciuiſſe, ſe aliquod miraculum patraſſe.* Ἐπιγινώσκειν enim quam maxime obuio ſignificatu ad animi ſenſum et ſcientiam potius, quam ad ſenſum corporis refertur. Δύναμις Ieſu eſt omnipotentia eius, et uis diuina, qua miracula fecit. Haec uis ſiue potentia ἐξέρχεται, *egreditur*, quando ſe exſerit extra eum; nam apud Hebraeos uerbum יצא, cui frequentiſſime uox graeca ἐξέρχεσθαι reſpondere ſolet, haud raro ἐνέργειαν et efficacem aliquam operationem notat, e. g. Ierem. XXX, 22. Ruth. I, 13. Non ergo dicitur, Chriſtum in corpore ſuo ſenſiſſe aliquam mutationem, ſed cognouiſſe diuinum opus a ſe patratum. Ceterum, quae de ſtatua, Chriſto ab Haemorrhouſa in urbe Paneados erecta, leguntur apud *Euſebium* (Hiſt. eccleſ. Lib. VII, c. 17) Sozomenum, Philoſtorgium, Nicephorum, Ioannem Damaſcenum, et Ioannem Malalam, ita comparata ſunt, ut penitus reiicienda eſſe uideantur.

33. πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν) i. e. rem totam, ita ut gesta erat.

34. ὕπαγε εἰς εἰρήνην) Etiam apud LXX extat πορεύου εἰς εἰρήνην 1 Sam. I, 17. pro eo quod Latini dicunt *feliciter.*

35. ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου) i. e. ab aedibus principis ſynagogae; nam Iairus ipſe cum Ieſu erat. Ad uerbum ita loquitur Terentius in Hecyra: *Sed quid Bacchidem a noſtro affine exeuntem uideo?* i. e. ab affinis domo. τὶ ἔτι σκύλλεις) uexas, i. e. defatigas, moleſtia afficis.

38. ἀλαλάζοντας) ἀλαλάζειν quemcunque ſonum et clamorem, ſiue triſtem illum, ſiue laetum, denotat. Hoc loco

autem notat *eiulare*; nam apud LXX ſaepe idem eſt, quod θρηνεῖν, quum Hebraicum הליל per ἀλαλάζειν reddiderint, e. g. Ierem. XXV, 34. et XLVII, 3.

40. ἐκβαλὼν ἅπαντας) Tot teſtes adſumebat, quot rei probandae ſufficiebant. Plures admittere ſpeciem habere poterat oſtentationis. τὰς μετ' αὐτȣ̃) i. e. diſcipulos tres, quos in domum intrans ſecum retinuerat. ἀνακείμενον) Deeſt in nonnullis codd. et uerſſ. Alii habent κείμενον, alii κατακείμενον, Theophyl. καταβεβλημένον.

41. ταλιθὰ κȣ̃μι) טליתא eſt puella, ἡ παῖς, aut τὸ κοράσιον.

43. ἵνα μηδεὶς γνῷ τȣ̃το) Vid. Schol. ad Matth. IX, 30. εἶπε) i. e. ἐκέλευσε, אמר, ut ſaepius. φαγεῖν) ut appareret, non uiuam tantum eſſe, ſed et recte ualentem; nam grauiter aegroti uix ſolent cibum ſumere.

CAP. VI.

5. Ὀυκ ἠδύνατο ἐκεῖ ȣ̉δεμίαν δύναμιν ποιῆσαι) Hoc non abſolute et ſimpliciter, ſed ſecundum quid intelligendum eſt, de non adeo multis et ingentibus, quam aliis in locis fecit, miraculis. Nam ſtatim ſubiicitur, eum *paucis infirmis manus impoſuiſſe, eosque ſanaſſe.* Cauſſa uero, cur Ieſus miracula Nazarethae patrare non poſſet, haec erat, quod Nazarethani praeiudiciis occupati Chriſto aegrotos non offerebant, nec opem eius implorabant. Ergo nec *potentia*, nec *animus*, ſed occaſio faciendi miracula ei deerat. Obtrudi autem beneficia nemini poſſunt. Cf. notata ad Matth. XIII, 58.

6. πε-

6. περιῆγε τὰς κώμας κύκλῳ) i. e. τὰς κώμας ἐν κύκλῳ πάντοθεν κειμένας, *undique circumiacentes uicos.* Patriam ingratam deſerens auditores quaerebat, quorum animi non aeque eſſent prauis affectibus occupati.

7. δύο δύο) more Hebraeorum, qui diſtributiuis carent, pro: ἀνὰ δύο, *binos*; ſingula ablegauit paria, ad plenam teſtimonii fidem.

8. εἰ μὴ ῥάβδον μόνον) Contradicere uidetur Marcus *Matthaeo*, qui expreſſis uerbis: μηδὲ ῥάβδον dixit. *Heinſius* τὸ εἰ poſitum eſſe exiſtimat pro ἐπεὶ, et μὴ non ad τὸ εἰ, ſed ad τὸ μόνον referendum putat, ut ſenſus ſit: *Praecepit eis, ne quid ſecum aſſumerent: ſiquidem* (uel *imo*) *ne uirgam quidem, non peram, etc.* Ἐι pro ἐπεὶ paſſim in Sacris uſurpatur ab Helleniſtis. Certe ſi dixiſſet Marcus: καὶ παρήγγειλεν αὐτοῖς, ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν, ἐπεὶ μὴ ῥάβδον μόνον, μὴ πήραν etc. nemo dubitaret, quid uellet. *Grotius*: Eam uirgam, cum qua tunc forte ambulabant, non aliam inter ſarcinas, uſui futuram ſi forte prior defeciſſet. *Wetſtenius:* Non ſingulis baculum permiſit, ſed duobus unum. Sed non poſſunt hic urgeri ſingula. [Non quaeritur enim, an diſcipulis uti baculo licuerit uel minus? ſed uniuerſim hoc dicitur: Nolite iter anxie parare. Deus ipſe neceſſitatibus ueſtris proſpiciet.

9. ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια) Ellipſis; deeſt enim πορεύεσθαι. Ire iubet ita ut erant, ſoleatos ſcilicet. Sandalia fuerunt ſoleae ligneae, quae corrigiis deuinciebantur; proprie diuerſa ab ὑποδήμασι, i. e. calceis cauis, quorum uſum Ieſus Apoſtolis interdixit Matth. X, 10. Sed, ut modo

 dixi-

diximus, non ſunt urgenda ſingula. Nam haec omnia eo pertinent, ut Apoſtoli intelligerent, nullo maiore apparatu ſibi ad iter opus fore, quam ſi domi eſſent manſuri. Voluit enim Dominus in prima legatione manifeſtum ipſis dare documentum diuinae prouidentiae.

10. ἐκεῖθεν) *ex ea urbe*, ut et ſequenti commate.

11. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) In teſtimonium contemti ab ipſis Euangelii; nam in eius contemtus deteſtationem puluis excutiebatur. ἀμὴν λέγω — πόλει ἐκείνῃ) Deſunt haec uerba in multis Codd. et Verſſ. Videntur Matthaei eſſe.

13. ἤλειφον ἐλαίῳ) Ex more antiquo Hebraeorum, qui precibus pro aegrotis adiungere ſolebant unctionem per oleum, in ſpem impetrandi a Deo leniminis et gaudii, quod per oleum ſignificatur. Fuit igitur oleum ſymbolum mirificae iſtius uirtutis, ſanandi aegrotos, non autem medicamentum, quo morbos curarent.

15. ὅτι προφήτης ἐστιν, ἢ ὡς εἷς τῶν προφητῶν) Τὸ ἢ omittunt permulti Codd. et Interpretes; nec interpoſitum ἢ, ſenſum commodum reddit, quum huius lectionis, quae omittit ἢ, aperta ſit ſententia: *Propheta eſt, ſimilis Prophetis aliis.* Nam haec iſtorum hominum de Chriſto opinio fuit, eſſe eum non Meſſiam, non Eliam, non Ioannem, ſed prophetam a Deo ſuſcitatum parem ueteribus Prophetis.

19. ἐνεῖχεν αὐτῷ) Heſychius interpretatur ὠργίζετο. *Vulg.* inſidiabatur. *Caſtelio:* imminebat. *Boiſius:* infenſa erat. Quaerebat nimirum occaſionem e medio tollendi Ioannem.

20. συνε-

20. συνετήρει αὐτὸν — ἤκυε) *Colebat eum, et audiens eum in multis ei obsequebatur, et libenter eum audiebat.* Συντηρεῖν, *obseruare, colere.* Πολλὰ ἐποίει, quae nempe Ioannes ei suadebat. Monitis eius aures praebuit. Sic non opus est coniectura Heinsii, qui hanc lectionem in quibusdam codicibus extitisse suspicatur: καὶ συνετήρει αὐτὸν, καὶ ἀκύσας αὐτῦ πολλὰ ἐποίει; *et seruabat eum, utque audiret eum, omnem dabat operam. Beza:* Auditoque eo, multa faciebat, et libenter eum audiebat.

21. τοῖς μεγιςᾶσι) Vox μεγιςᾶνες, (ut existimat *Salmasius* de Hellenist. pag. 110.) de *proceribus et magnatibus,* uidetur sumta a Macedonibus, et in usum apud Graecos introducta. Non enim habet analogiam nec terminationem Graecam; nec exemplum suppetit uocabuli sic graece formati. Persico prorsus modo et sono terminatum est, Apud *Tacitum* Annal. XV, 27. *Megistanes* sunt praefecti militum. Vsus est hac uoce etiam *Suetonius* Calig. c. 5. et *Seneca* epist. 21. Πρῶτοι autem sunt primores, praecipui magistratus.

25. μετὰ σπυδῆς) *Cum festinatione;* est enim σπυδὴ a σπεύδω,) *festino.* Polybius quoque ita locutus est, ut *Raphelio* ad h. l. obseruatum est. θέλω) *Peto,* aut *uellem,* ut Matth. XXVI, 39. ἐξ αὐτῆς) sc. ὥρας, i. e. παραυτίκα, *e uestigio, protinus.* Matth. X, 28. est ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

26. ὐκ ἠθέλησεν αὐτὴν ἀθετῆσαι) *Noluit eam reiicere,* i. e. nolebat irritum facere, quod ei promiserat, quum iurasset se ei daturum quodcunque rogasset. Eodem fere sensu ἀθετεῖν est apud *Iosephum,* ut notat *Krebsius* ad h. l.

27. σπεκκλάτωρα) *Speculator*, eſt uox latina, quae non uno modo ſumitur. Dioni Caſſio aliquo loco Speculatores dicuntur δήμιοι, i. e. *carnifices*; et in Gloſſis Speculator non ſolum κατάσκοπος, ſed etiam ὁ ἀποκεφαλίζων exponitur, quae notio h. l. obtinet.

33. Valde corruptus eſt hic Verſus in Editionibus. Varias lectiones exhibet *Griesbachius*.

35. ὥρας πολλῆς γενομένης) Horarum numerc iam aucto; quum coepiſſet iam dies ad noctem appropinquare, maiore illius parte abſumta. Matthaeus c. XIV, 15. ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν, ſc. prandii tempus.

37. ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν) Eſt interrogatio, ſed cum admiratione et indignatione coniuncta; hoc enim dicendi genere utimur, quum indignantes negamus aliquid nos eſſe facturos. διακοσίων δηναρίων) Quum Chriſtum conſtet γλωσσόκομον habuiſſe, et in eo ex amicorum collatione pecuniae aliquid, tum in ſuos et duodecim comitum, tum in pauperum uſus, ueriſimile eſt, fuiſſe illi hoc tempore, quum ab oppidis in agros uelut ibi manſurus aliquamdiu ſeceſſiſſet, denarios ducentos.

39. συμπόσια συμπόσια) *Per diſtinctos conuiuarum ordines.* Nam συμπόσιον interdum eſt *compotatio, conuiuium*, interdum *locus conuiuii*, interdum autem ſignificantur ſinguli conuiuarum ordines, diſtincti per diſcubitus, uel ſodalitates. Ceterum more Hebraeorum idem nomen bis ponitur ad indicandam diſtributionem.

40. πρασιαὶ πρασιαὶ) *Per ſodalitates ſeiunctas.* Hebraismus. Πρασιὰ proprie eſt *area*, ſeu *areola in horto*. Hoc autem

autem loco ſunt ordines ſodalitatum. Diſtributis igitur turmis conuiuarum ſuper uiridi gramine, uideri poterant prata in totidem ueluti areolas diſtincta. ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα) Partim centeni, partim quinquageni.

43. καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων) i. e. καὶ τῶν ἰχθύων τι. Addidit hoc *Marcus* ſolus; neque tamen, quantum fuerit, putauit exprimendum.

46. καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς) Nimirum τῷ ὄχλῳ. Conſtructio πρὸς τὸ σημαινόμενον, ut infra c. VIII, 1. Ἀπολύσας τοὺς ὄχλους eſt apud *Matthaeum.* Prius Chriſtus Apoſtolos ablegauit, tum ualedixit multitudini, deinde in montem ſe contulit oratum. Hic ordo eſt apud Matthaeum, nec dubium, quin idem aliis uerbis dixerit *Marcus.*

48. ἐν τῷ ἐλάυνειν) ἐλάυνειν de naui proprie eſt κωπηλατεῖν, *remigare.*

51. λίαν ἐκ περισσοῦ) Quaſi dicat Euangeliſta, tantum abfuiſſe, ut, quum cognouiſſent, ſpectrum non eſſe, deſierint obſtupeſcere, ut etiam multo magis quam antea ſint perculſi, quum uiderent, uentos ac mare ipſius imperio acquieuiſſe.

52. οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις) Breuiter dictum eſt, pro: οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τῷ θάυματι τοῖς ἄρτοις γενομένῳ. *Non intelligebant* (potentiam et perſonam Chriſti) *poſt miraculum recenter in panibus editum.* Haec autem uis eſt praepoſitionis ἐπὶ Datiuo iunctae, ut ſignificet *poſt*, *poſteaquam*, et *recens quoddam factum* indicet, quo ſenſu ſaepe occurrit apud Philonem. Alioqui admiſſa ellipſi paullo inſolentiori,

tiori, τὸ γεγονὸς ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, pro τοῖς ἄρτοις ut c. V, 33. accipiendum ſit.

54. ἐπιγνόντες αὐτὸν) Subintelligitur, quod expreſſit Matthaeus, οἱ ἄνδρες τȣ͂ τόπȣ.

55. ὅπȣ ἤκȣον, ὅτι ἐκεῖ ἐςι) Vbicunque, i. e. quibuscunque in locis homines audiuiſſent, quod ibi Ieſus adeſſet.

56. ἵνα κἄν τȣ͂ κρασπέδȣ κ. τ. λ.) Vt ſaltem tangere liceret fimbriam ueſtimenti ipſius. ἐσώζοντο) conſeruabantur, i. e. recuperabant ſanitatem.

CAP. VII.

2. Κοιναῖς χερσὶ) Marcus ipſe ſtatim interpretatur, quid hoc ſignificet. Heſychius: κοινὸν, βδελυκτὸν, ἀκάθαρτον. Hic ſignificatus τȣ͂ κοινὸς pro *impurus*, *pollutus*, unice ex Hebraico repetendus eſt; nam LXX. ſaepe hebr. טמא reddunt κοινὸν. ἐμέμψαντο) Deeſt hoc uerbum in Codd. nonnullis et Verſſ. Tota periodus, per parentheſin dilatata, ſuſtinetur uerbo ἐπερωτῶσιν. Nam uerbum uel iteratur finita parentheſi, uel tum demum ponitur, ut h. loco, ſitque connexio per particulas καὶ, δὲ, οὖν et h. l. per ἔπειτα. Vide huius conſtructionis exempla in *Bengelii Gnom.* ad h. l. Hoc non obſeruato, poſt ἄρτȣς inſeruere nonnulli ἐμέμψαντο.

3. πυγμῇ) Variae ſunt ſententiae Interpretum de huius uocis ſignificatione. Πυγμὴ eſt *pugnus*, manus in pugnum contracta uel complicata. Latinus et Syrus prior uerterunt *crebro et diligenter*. Vnde, inquit *Eraſmus*, probabile eſt, in uetuſtioribus Codicibus ſcriptum fuiſſe, non πυγμῇ, ſed πυκνῶς, aut πυκνῇ, quod ſonat *frequenter*, aut *ſubinde*. Alii inter-

interpretes intelligunt, non manum ſolum, uerum etiam brachium ad cubitum usque lauare Iudaeos conſueuiſſe; quod et ſignificationi πυγμῆς, quae nonniſi manum contractam denotat, et conſuetudini Iudaicae, quae uel digitos ſolos, uel manum ſolam ad carpum usque lauari iubet, repugnat. Alii ſtatuunt, manum alteram in pugnum compoſitam altera caua lauandam atque fricandam fuiſſe; at praeterquam quod huius ritus nullum in ſcriptis Iudaeorum reperitur ueſtigium, uidetur potius Euangeliſta, ut hoc exprimeret, ſcripturus fuiſſe πυγμὴν νίψωνται. Veriſimilis itaque eſt *Wetſtenii* ſententia, exiſtimantis intelligi πυγμὴν ὕδατος, ſiue menſuram et pondus aquae adhibendae. Ex praeceptis enim Rabbinorum minimum debebat adhiberi quartarius, ſiue quarta pars logi, quae continet ouum cum dimidio, ſiue drachmas aquae circiter uiginti ſeptem, quod multis teſtimoniis probat *Pocokius* in notis ad Portam Moſis p. 361 - 365. νίψωνται) νίπτεσθαι eſt, aquam manibus affundere, ſicut βαπτίζεσθαι, quod mox ſequitur, manus aquae immergere.

4. καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται οὐκ ἐσθίουσι) Ἀγορὰ, *publica loca*, opponitur domibus. Senſus eſt: *E foro*, hoc eſt *publico reuerſi, niſi lauerint manus, cibum non capiunt.* Huic interpretationi plerique interpretes fauent, ac ipſi quidam Codd. antiqui, poſt ἀγορᾶς interſerentes ὅταν ἔλθωσιν. *Krebſius* illum τῆς ἀπὸ ſignificatum inſolentem aut luculentioribus exemplis confirmandum eſſe ait, aut ἀπὸ ἀγορᾶς ἐσθίειν accipiendum pro: *res in foro uenales edere.* Sed de ea dicendi forma non dubitandum, nec locis pro ea prolatis probandi uim denegandam eſſe, *Loesnerus* multis teſtimoniis confirmat, e. c. Siracid. XXXIV, 27. ubi βαπτιζόμενος ἀπὸ

νεκροῦ

νεκροῦ est, *qui se lauat reuersus a mortuo curando.* οὐκ ἐσθίουσι) Ne per cibum pollutum noua pollutio accedat. Lauabant religionis caussa ante cibum et post cibum, ut docent scripta Thalmudica. παρέλαβον) קבלו, per traditionem acceperunt. Relata sunt παραλαμβάνειν et παραδιδόναι. ξεστῶν) ξέστας uocarunt Graeci sextarios, quod est nomen mensurae liquidorum; item *urceus*, *urceolus.* χαλκίων) χαλκία sunt *uascula aenea.* Caute hoc dictum, aenea enim abluebantur, testacea frangebantur, si polluta crederentur. κλινῶν) κλίναι, *spondae. Celim* XVI, 1. Lectus, cui innixus est seminifluus — in quem uel sederat, uel steterat, uel se reclinauerat aut profluuiosa, aut menstruosa, aut puerpera, aut leprorsus — immundus erat.

5. οὐ περιπατοῦσι) i. e. *non instituunt uitam*, ex Hebraeorum idiotismo, apud quos הלך, ambulare, idem ualet quod uiuere; et *uia* dicitur uitae genus quod aliquis tanquam uiam sequatur.

8. καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα) Et alia id genus istis similia, i. e. cerimonias non minus frigidas, quarum pleni sunt Iudaeorum libri.

9. καλῶς) Ironia. Quam bellum hoc est, quod seruando a uobis tradita, mandatum Dei reiicitis.

11. ἐὰν εἴπῃ — — — ὠφεληθῇς) Κορβᾶν, s. δῶρον h. l. est res Deo ita dicata et consecrata, ut nihil utilitatis in alium ex ea redundare possit. *Krebsio* hic locus sic exponendus uidetur: *Si quis dixerit patri aut matri suae: illud Deo iam consecratum et deuotum est, quo possis a me iuuari,* (neque adeo patrem aut matrem beneficiis afficit) *nullam*

nullam culpam luet, non morietur; quae ἀπόδοσις ex antitheſi u. 10. θανάτῳ τελευτάτω, repetenda eſt. Non enim inſolens eſt Graecis et Latinis, ut ex antecedente oratione aliquid, ſenſu contrarium, ἀπὸ κοινῦ repetant. Opponuntur nimirum hic diſerte *praeceptum Dei*, et *traditiones hominum*: *illud* eum iubet mortis poena afficere, qui parentibus nihil beneficii tribuit; *hae* autem pronuntiant inſontes, et mortis poena eos liberant, qui callidis quibusdam et impiis artibus defraudant parentes debitis beneficiis. Cf. Matth. XV, 5.

12. καὶ ὐκ ἔτι ἀφίετε) Nam qui hoc dicit, quod (u. 11.) Phariſaei dicebant, reipſa non permittit, i. e. impedit beneficium.

19. καρδίαν) *animum*, ex quo ſolo delictum naſcitur. καθαρίζον) Si quid eſt in cibo naturalis immunditiae, id aluo eiectum purgat relictum in corpore cibum.

21. ἔσωθεν) *intus*, i. e. ex corde, ut mox explicatur.

22. πλεονεξίαι) Iniuſta rei faciendae artificia, ſtudium habendi et circumuentio. *Diog. Laert.* L. I. 105. τὴν ἀγορὰν ὡρισμένον ἔφη τόπον εἰς τὸ ἀλλήλυς ἀπατᾶν καὶ πλεονεκτεῖν. πονηρίαι) Πονηρία interdum latius ſumitur pro omni *uitioſitate*. At hic certa eſt ſpecies, *malus animus* ut hebr. רָעָה, *boeſe Abſicht*. ἀσέλγεια) *proteruia*, *petulantia*, germ. *Muthwille*. Coniecturas de deriuatione uocis apud Suidam et Auctorem Etymologici M. laudat Wetſtenius. ἀφροσύνη) *amentia, imprudentia*; uidetur hic eſſe *incogitantia atque incuria rerum bonarum*, quae maxima delictorum ſcaturigo eſt. Cf. Eph. V, 17.

24. εἰς τὰ μεθόρια τύρε καὶ σιδῶνος) in confinia Tyri ac Sidonis. Intelligit extremos Palaeſtinae fines, quibus a Tyro et Sidone, i. e. a Phoenicia dirimitur. εἰς τὴν οἰκίαν) Deeſt articulus τὴν in multis uetuſtis exemplaribus, ut ſenſus ſit: *in domum quandam.* Chriſtus enim hic non habitabat, ſed Capernaumi. ἐδένα ἤθελε γνῶναι) Ne de induſtria profanarum gentium homines ad ſe allicere uideretur, poſthabitis Iudaeis.

26. ἑλληνὶς) Plerumque nomen religionis eſt, non regionis, et eo nomine uocantur, quotquot idololatrae ſunt, quamuis graeci generis non ſint, ſed Syri puta, uel Parthi uel Medi uel Arabes uel Indi uel Aethiopes. Quicunque enim Iudaismum non profitebantur, Iudaeis ἕλληνες dicebantur, et totus mundus ab his diuidebatur in ἕλληνας et Ἰεδαίες. Idem ergo in libris ſacris ἕλλην et ἐθνικὸς Act. XIV, 1. 5. *Salmaſ.* de Helleniſt. p. 218. Inde tamen non ſequi, idolorum cultricem fuiſſe hanc foeminam ad Matth. XV, 22. notauimus. συροφοίνισσα τῷ γένει) Plurimi Codd. habent aut συροφονίκισσα, aut συραφοινίκισσα. Erat natione, gente, patria Syrophoeniſſa. Vocatur autem Syrophoeniſſa, ut diſtinguatur a Lybophoeniſſis ſiue Poenis, qui Romae notiores erant.

27. ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα) Sine prius Iudaeos impleri beneficiis, ut nihil habeant, quod querantur. Tum tempus ueniet ſpargendi coeleſtia beneficia in gentes alias, quum Iudaeos eorum faſtidium ceperit.

29. διὰ τῦτον τὸν λόγον) *Quia hoc dixiſti*, i. e. propter fidem et fiduciam tuam. Metonymia effecti pro cauſſa. Per

orationem

orationem enim significatur fides oratione expressa, ut apud Matthaeum uidere est. ὕπαγε) Per parenthesin accipiendum est, ut praecedentia sequentibus cohaereant.

30. βεβλημένην ἐπὶ τῆς κλίνης) In lecto molliter cubantem sine ulla iactatione.

32. μογιλάλον) *difficulter loquentem*, impeditae linguae hominem. Nam sequitur: ἐλάλει ὀρθῶς. Neque obstat, quod infra u. 37. ἄλαλος dicitur homo a Iesu sanatus; nam promiscue utuntur Alexandrini uocibus μογιλάλος, et ἄλαλος, pro hebr. אלם, ut patet ex Ies. XXXV, 6. et Ps. XXXVIII, 14. Videtur homo miser casu quodam factus esse *surdus*; nam surdus a natiuitate, qui nunquam humanum sermonem audisset, uix et ne uix quidem loqui potuisset, nisi sumas copiam uocabulorum ei subito per miraculum fuisse infusam.

33. καὶ ἀπολαβόμενος — ἰδίαν) Abduxit eum, acceptum ex eorum, qui eum adduxerant, manibus, ut seorsim a populo, in omnium staret conspectu. καὶ πτύσας — αὐτῆ) *Et sputo irrigauit linguam eius.*

34. καὶ ἀναβλέψας — ἐστέναξε) Oculos in coelum attollere solent, qui Dei auxilium implorant, eique gratias agunt. Ps. CXXI, 1. 2. Marc. VI, 41. Iesus, miserum istum hominem sanaturus, opem Patris implorauit; quoniam uero non usus est uerbis, sed animo tantum et mente precatus est, ideo *suspirasse* eum Marcus dicit. ἐφφαθὰ) Vocabulum Syriacum אתפתח, aperire, te ipsum aperi, a radice פתח, aperuit. *Drusius* suspicatur, scriptum fuisse ἐθφαθὰ, et inde postea factum ἐφφαθὰ. Quaerunt interpretes, cur Christus non uno uerbo sanauerit miserum, sed

tot ambagibus ufus fit? Confentiunt omnes, et eft etiam per fe clarum, immiffionem digitorum in aures, et fputum linguae admotum nihil feciffe ad fanationem. Refpondent autem, monftrare uoluiffe Iefum, fe effe eum, cuius uirtute ac potentia claufi meatus aurium aperiantur, linguaeque uinculum foluatur. Sed ad hoc monftrandum non opus erat externis his fignis; nam in oculos incurrebat, hominem, qui fuiffet furdus et impeditae linguae, fubito per Iefum recuperaffe audiendi et loquendi facultatem. Videtur potius Chriftus eo confilio haec feciffe, ut refutaret calumniam eorum, qui dixerant, eum ope principis daemoniorum patrare miracula. (Vid. fupra c. III, 22.) Facile perfpicere poterant omnes, eum, qui in confpectu omnium, nullis adhibitis incantationibus uel remediis, Dei omnipotentis auxilio fretus, uno uerbo (ἐφφαθὰ) hominem fanaret, alieniffimum effe a communione cum principe Daemoniorum.

35. δεσμὸς τῆς γλώσσης) Omnia fenfuum impedimenta uelut uincula quaedam funt.

36. καὶ διεςείλατο — εἴπωσιν) Vid. Schol. ad Matth. IX, 30. ὅσον) pro; καθ' ὅσον, quo magis. μᾶλλον περισσότερον) Pleonasm. Eo magis fupra modum.

37. ἐξεπλήσσοντο) Imperfonaliter. Subintelligendum οἱ ἄνθρωποι, qui ifta audiebant.

CAP. VIII.

2. Ἡμέρας τρεῖς) Plurimi Codd. habent ἡμέραι. Nominatiuus temporis, fubaudito *eft* uel *funt*, abfolutam locutionem

nem facit. Vocibus ἡμέραι τρεῖς addunt uerba: εἰσὶν, ἀπὸ πότε ὧδε εἰσιν, Cod. Cantabrig. Veron. Verc. Corb. Vind. Colb. Vid. quae ad hanc hiſtoriam notauimus Matth. XV, 32. ſqq.

3. εἰς οἶκον αὐτῶν) in domum, ſcilicet ſuam unumquemque. ἥκουσι) Omnino uera eſt haec lectio. Verbum ἥκω iam in praeſenti tempore *ueni* potius et *adſum*, quam *uenio* ſignificat. Hanc uerbi uim non uidentur conſideraſſe, qui ἥκασι ſubſtituerunt.

10. Δαλμανουθὰ) Quod alii libri pridem habuerunt Μαγεδὰν aut Μαδεγαδὰ, interpretamentum eſt ex Matthaeo. Cf. Matth. XV, 39. *Ligthfootus* coniicit, eundem eſſe locum, qui in *Celaim* IV, 9. et alibi uocatur Zalmon.

11. συζητεῖν αὐτῷ) *diſputare cum eo.* Mos antiquiſſimus diſputandi erat per interrogationes. Hinc factum, ut συζητεῖν dicatur *diſputare.*

12. καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ) *Suſpiria duxit ab imo pectore*, ut loquuntur Latini Poetae. Nam πνεῦμα h. l. eſt animus humanus. εἰ δοθήσεται) *Non* dabitur. Hebraica eſt haec ſignificatio particulae אם, ut Deut. I, 35. 2 Reg. III, 14. σημεῖον) Repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ quod praeceſſit ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ.

18. ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐ βλέπετε;) Alibi huiusmodi phraſibus peruerſitas notatur, obſtans docilitati; hic uero incogitantia diſcipulorum, qui non ſatis attentum animum haberent ad ea conſideranda, quae ab ipſo fiebant. Quum uerba mea ueſtris auribus inſonent, miracula praeſtringant oculos, neutra in animum admittitis.

19. ἔκλασα) *diſtribui*; Hebraismo ſatis noto.

21. πῶς ȣ̓ συνίετε;) i. e. Qui fieri poteſt, ut tam aperta tamque manifeſta non intelligatis?

22. ἐις βηθσαϊδὰν) Fuit haec ciuitas Galilaeae, et una ex iis, quae ad Decapolin referebantur, ſita in occidentali ripa maris Galilaeae.

23. ἔξω τῆς κώμης) Ipſa intelligenda eſt *Bethſaida*. Non enim inſolens eſt, oppidum uocari κώμην. Sic Bethlehem Luc. II, 4. dicitur πόλις, at Io. VII, 42. κώμη appellatur. Cur autem Chriſtus eduxit coecum ex oppido? Hoc me neſcire fateor. Bethſaidenſes malitioſos fuiſſe, et conqueſtum eſſe Ieſum de eorum pertinacia, patet ex Matth. XI, 21. Fortaſſis igitur noluit Chriſtus eos porro eſſe ſpectatores miraculorum ſuorum, ne iis ſe obtrudere uelle uideretur. Cf. infra u. 26.

24. καὶ ἀναβλέψας) *Et oculos attollens*; nam ἀναβλέπειν hic non denotat, uidendi facultatem amiſſam recuperare, ut alibi ſaepe, ſed exprimit ipſum coeci geſtum et habitum, oculos attollentis et explorantis, ecquid oculorum aciem recepiſſet. βλέπω τȣ̀ς ἀνθρώπȣς ὡς δένδρα περιπατȣ͂ντας) *Video homines inſtar arborum ambulantes.* Senſus eſt: coecum iſtum potuiſſe motum hominum percipere, non autem formam ipſam diſtinguere, quaſi diceret: Video homines incedentes, ſed proceros ut arbores. Non itaque a natiuitate coecus fuiſſe uidetur.

25. καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι) *fecitque ut* (denuo) *oculos attolleret*, i. e. iterum iuſſit, ut reipſa exploraret,

an

an perſpicue iam cerneret. Particula πάλιν eſt repetenda ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. τηλαυγῶς) *clare, dilucide.* Heſychius: τηλαυγῶς, λαμπρῶς. ἅπαντας) Praeferenda uidetur lectio ἅπαντα, quam Codd. multi et Verſſ. exhibent.

26. εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ) Videtur in agro habitaſſe. τινὶ ἐν τῇ κώμῃ) Senſus eſt: μηδὲ εἴπῃς τινὶ τῶν ἐν τῇ κώμῃ, ſc. οἰκούντων. Non modo uetat eum ire in oppidum, ſed et, ſi quis oppidanorum alibi ei fiat obuius, rem narrare prohibet.

30. περὶ αὐτοῦ) Illud, ſe eſſe *Meſſiam.* Nam ueri doctorem, et prophetam ſe dici ab Apoſtolis uolebat; Meſſiam uero ſe eſſe paucis dixit, nolens id ipſum publice diuulgari ante reſurrectionem ſuam. Marcus, Petri amanuenſis, quae hac occaſione in laudem Petri dicta, et a Matthaeo relata ſunt, praetermittit: ea contra, quae Petro parum erant honorifica, pleniſſime narrat: quod utique eum decebat, qui et ueritatis et modeſtiae ſtudium profiteretur.

31. ἀποδοκιμασθῆναι) Alluſio ad locum Pſalmi CXVIII, 22. cuius ſaepe meminerunt Chriſtus eiusque Apoſtoli. Ibi in Hebraeo eſt מאס, quod Helleniſtae modo uertunt ἀποδοκιμάζειν, modo ἐξουθενεῖν. Varia contemtus genera expertus eſt Chriſtus. Summus gradus fuit, quum a ſynedrio, tanquam indignus Iudaei nomine, traditus eſt Romanae poteſtati. μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι) h. e. *tertio die,* ſeu *intra triduum.* Profani quoque Auctores τὸ μετὰ eodem modo uſurpant, et hoc cum ſacris commune habent, ut annum diemque inceptum et adhuc currentem pro completo

 et

et exacto numerent. Indubitatis e Iosepho exemplis eam uim praepositionis certiorem dedit *Krebsius*, et ante ipsum *Fischerus* in Animadu. ad Gram. Vuell. p. 375. ubi Scholiastae Aristophanis ad Plut. auctoritate docet, hanc dicendi formam, ut μεθ' ἡμέραν dicatur pro ἐν ἡμέρα, Atticis scriptoribus propriam esse. Sic et *Philo* saepe usurpat, ut *Loesnerus* ostendit.

32. παῤῥησία) Sermone minime ambiguo uel obscuro, sine inuolucris simplici, ac nuda oratione, non per figuras ut antea. Cf. Matth. XVI, 22. sq.

38. ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους) *Si quem pudeat profiteri me et doctrinas meas.* Est enim hic ἐπαισχύνεσθαι *agnoscere aliquem nolle*, quod abiectae eius sortis nos pudeat, ut Rom. I, 16. καὶ ὁ υἱὸς — αὐτὸν) *Eum uicissim Messias non agnoscet pro suo*; nihil igitur beneficii ei tribuet. Ad sequentia quod attinet, uid. notata ad Matth. XVI, 27.

CAP. IX.

3. Οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι) *Quam candida nullus in terris fullo fecerit.* Non dissimile loquendi genus apud *Horatium:* Animae quales neque candidiores terra tulit.

6. λαλήσῃ) Legendum uidetur λαλῆσαι, ut Codd. nonnulli habent. Vult enim dicere Marcus nesciisse Petrum quid sibi dicendum esset.

10. συζητοῦντες τί ἐστι, τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι) *Disputantes, quid esset illud ex mortuis resurgere?* Quum Pharisaicis

ſaicis opinionibus eſſent imbuti de terreſtri Meſſiae regno, et Eliae aduentu, non poterant capere quod Chriſtus dixerat de ſingulari illa et peculiari ſua reſurrectione ex mortuis, tertio die futura.

11. ὅτι λέγουσιν) *Cur, quare?* Grotius ὅτι pro hebr. כי poſitum, et Hebraismis Marci annumerandum eſſe exiſtimat. Sed Krebſius obſeruat, τὸ ὅτι apud Ioſephum etiam, aliosque Auctores, e. g. Ariſtophanem et Lucianum denotare *cur, quare.*

12. καὶ πῶς γέγραπται) *Camerarius* ſupplendum putat εἶπεν αὐτοῖς, dixit ipſis, quo pacto ſcriptum eſſet, pertinens ad filium hominis etc. *Heinſius* diſtinguit: καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; ἵνα πολλὰ πάθῃ καὶ ἐξουδενωθῇ. *Et quomodo, uel quid ſcriptum eſt de filio hominis? Fore ut multa patiatur, ac ludibrio exponatur.* Secundum Grotium ſenſus eſt hic: Si uerum eſt, Eliam omnia reſtituturum, i. e. quemadmodum legisperiti interpretantur, effecturum, ut a populo omni Iudaico Meſſias gratis animis accipiatur, quomodo igitur conſtabit fides aliis uaticiniis, quae oſtendunt, fore, ut Meſſias multa patiatur, (quod apertiſſime dixit Ieſaias,) et reiiciatur a primoribus populi? ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου) inuſitatius; i. e. *pertinens ad filium hominis.*

13. ἀλλὰ λέγω ὑμῖν) Immo inquit, tantum abeſt, ut omnes Iudaei ſint ad obedientiam Meſſiae debitam perducendi, ut ipſe, qui *Elias* dicitur, debuerit a Iudaeis atrociſſima perpeti. καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτὸν) in hiſtoria ſcilicet Eliae, cui ſimilis erat Ioannes.

16. ἐπηρώτησε αὐτὺς) Haec enim lectio praeferenda est uulgari: τὺς γραμματεῖς. Interrogauit nempe Christus non tantum legis doctores, sed etiam discipulos.

18. ῥήσσει αὐτὸν) *Allidit solo, affligit eum.* Sic Glossaria antiqua hoc uerbum interpretantur, et sic rectissime uertit *Vulgatus.* τρίζει τὺς ὀδόντας) κατὰ τὺς ὀδόντας, stridet dentibus suis, ille nimirum δαιμονιζόμενος. ξηραίνεται fit aridus, tabescit, ut pro mortuo iaceat.

19. ὁ δὲ — αὐτοῖς λέγει) Αὐτοῖς pro αὐτῷ habent codices et uersiones optimae notae. Dixit Iesus haec et discipulis, et aliis praesentibus.

20. καὶ ἰδὼν αὐτὸν, εὐθέως τὸ πνεῦμα ἐσπάραξεν αὐτὸν) Assentior *Bezae*, τὸ ἰδὼν referenti non ad πνεῦμα, sed ad Iesum; quia ἰδὼν est masculinum, πνεῦμα neutrum, ut significetur, simulatque Iesus puerum in conspectum suum adductum conspexisset, spiritum coepisse more suo saeuire.

23. τὸ, εἰ δύνασαι πιςεῦσαι) Articulus praepositiuus non solum interrogationibus, sed unicuique sententiae praeponitur, sequentemque adeo sententiam indicat. Neque sacri solum, sed profani etiam scriptores illud τὸ ita eleganter adhibent, quod exempla a Krebsio allata probant. πάντα δυνατὰ τῷ πιςεύοντι) Omnia posse fieri a credente dicitur πρὸς τὸ ὑποκείμενον, nimirum ea, quae effici Deus a credentibus uelit. Est autem sermo de fiducia in potentia Dei collocata. Grotius: *Omnia effici possunt*, (a Deo scilicet) *in usum confidentium.*

24. βοή-

24. βοήθει μου τῇ ἀπιςίᾳ) *Quod fiduciae meae deest, bonitate tua ſupple.* Nam ut augmentum fiduciae ab Ieſu ſperauerit, et quidem ſubito, uix credibile eſt.

25. ὅτι ἐπισυντρέχει ὄχλος) *turbam ſimul accurrere*, ad ipſum ſcilicet Ieſum, quid futurum eſſet expectantem, ut plenius expoſuit Syrus interpres. ἐγώ σοι ἐπιτάσσω) Emphatice. Ego, qui ſum Dominus, longe maiori auctoritate praeditus, quam diſcipuli mei. καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτὸν) Niſi hoc adieciſſet, ſuſpicioni locus fuiſſet relictus, paroxyſmum nunc quidem ſponte ceſſaturum, ſed expleto menſe eſſe rediturum.

26. Hiſtoria huius paroxyſmi ideo narratur, ne diceretur iam ante ſanatus fuiſſe quam ad Chriſtum acceſſiſſet.

28. ὅτι) Pro τί ὅτι, aut διὰ τὶ, ut habent Codd. nonnulli. Alii habent ὅτι διατὶ. Ad ſequens comma uid. annotata ad Matth. XVII, 21.

30. παρεπορεύοντο διὰ τῆς γαλιλαίας) *praeteribant Galilaeam.* Nam διέρχεσθαι, παρέρχεσθαι, παριέναι, παραπορεύεσθαι διὰ τόπου τινὸς, ſaepe Graecis non *per locum aliquem tranſire*, ſed *locum aliquem praeterire* denotat, quo ſenſu haec Phraſis etiam apud Ioſephum occurrit, ut obſeruat *Krebſius* ad Luc. XVII, 8.

34. τίς μείζων) Scilicet inter ipſos; id enim tacita primum cogitatione, deinde et uerbis inter ſe agitauerunt.

36. ἐναγκαλισάμενος) i. e. δεξάμενος εἰς τὰς ἀγκάλας, quod Homero eſt ἀγκὰς ἑλεῖν.

37. ἐν τῶν τοιούτων παιδίων) Metaphora ex comparatione. Pueros enim uocat, qui puerorum inſtar ab ambitione et ſimilibus uitiis uacant. cf. Matth. XVIII, 5. οὐκ ἐμὲ δέχεται) μόνον ex interpretamento adiectum; ſed frequenter ſolet in huiusmodi bimembri oratione ſubaudiri. Alibi ſimilis ellipſis per *tam* et *quam* exprimitur.

38. τῷ ὀνόματί σου) *te nominato*, auxilio tuo fretus. Formula enim erat exorciſmi: *In nomine Ieſu Nazareni egredere*, ut et in ſanationibus. Non iuſſu Chriſti, ſed fretus Chriſto daemonia eiecit. ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν) Non ſe adiungit noſtro comitatui, neque profitetur ſe tui gregis. καὶ ἐκωλύσαμεν αὐτὸν) *Et interdiximus.* Quo animo haec Ioannes dixerit, difficile eſt definire. Videtur illorum uerborum, ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου (u. 37.) ſimilitudine cum actione hominis illius, qui ἐν τῷ ὀνόματι χριστοῦ daemonia exturbauerat, in hanc ipſam narrationem incidiſſe, et interrogaſſe Ieſum eo conſilio, ut uel ſe defenderet ab iniquitatis ſuſpicione, uel, quid Chriſto de ea re uideretur, percunctando eliceret. Videtur autem iſta quaeſtio Ioannis aliquid arrogantiae continere. Nam Apoſtoli paullo ante de praecipuo honore contenderant, ipſeque Ioannes in ſimili plane cauſſa talem a Chriſto honorem petierat. Infra c. X, 35. ſqq. Porro ex uerbis Ioannis: *cohibuimus eum, quoniam non ſequebatur NOS*, facile agnoſci poteſt, eum aliqua fuiſſe inuidentia ductum propter ea quod Chriſtus facultatem miraculorum ſolis Apoſtolis et diſcipulis LXX tanquam aliquid praecipui dediſſet. Scita haec eſt Io. Aug. Noeſſelti obſeruatio, Opuſc. Faſcic. I. p. 7. ſq.

39. καὶ δυνήσεται ταχὺ) Hoc δυνήσεται moraliter intelligendum. Vix enim reperietur homo tam uanus, qui ſub idem tempus ſit obtrectaturus ei, cuius nominis ui aduerſum daemonas utitur. Non poteſt fieri, ut is, qui auxilio meo fretus daemonia ejicit, paullo poſt me fraudatorem eſſe dicat.

40. καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν) Ita optimi Codices, ita multae Verſiones, non ἡμῶν. Prouerbium erat uſu communi tritum, quod prima, an ſecunda, an tertia perſona efferatur, nihil refert. Nam indefinita oratio eſt, ad quosuis pertinens. Qui nos non oppugnat, inquit Chriſtus, is nos propugnat. Qui non aperte hoſtis noſter eſt, is eſt in numero amicorum et defenſorum noſtrorum; idem eſt, ac ſi in coetu noſtro eſſet. Ergo homo iſte, qui in nomine meo daemonia eiecit, non erat cohibendus, uel contemnendus a uobis, ſed potius laudandus, et ad maiora excitandus.

41. ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς) Vocula γὰρ uidetur aliquam cum ſuperioribus cohaerentiam requirere. Nec obſtat, quod alio tempore *Matthaeus* iſta recitat. Nam ut aliis ſapientibus, ita Chriſto ſententiae quaedam erat adeo familiares, ut eas ſaepe repeteret. Dixerat Chriſtus, hominem illum, cohibitum a diſcipulis, non fuiſſe contemnendum. Addit iam, ut id confirmet, etiam minima beneficia a quouis homine, etiam non rectae fidei, negotio Euangelii impenſa, ſuam mercedem habitura, et contra non impune laturum, qui uel minimum ei negotio impedimentum attulerit. ἐν τῷ ὀνόματί μου, ὅτι χριστοῦ ἐστε) Optimi Codd. habent: ἐν ὀνόματι,

ματι, ὅτι χριςȢ ἐςε. Secundum utramque lectionem sensus est: *mea caussa*, atque ideo, quod mei estis discipuli et ministri.

42. καὶ ὃς — θάλασσαν) Sensum uerborum explicauimus ad Matth. XVIII, 6. Ceterum uidentur haec Christi uerba esse pars colloquii cum Ioanne. Declarant enim planissime contrarium illis, quae Iesus u. 41. proposuerat. Quomodo uero Christus inciderit in hanc admonitionem, aut quo sensu τὸ σκανδαλίζειν usurparit, facile e contextu intelligitur. Quum nempe Iesus eum, qui nomine Christi daemonia exturbasset, a suis partibus stare declarasset (u. 40.) eandemque cum Apostolis caussam propagare, itemque castigasset Ioannem qui illius cohibuisset studia: profecto ille erat εἷς τῶν μικρῶν τῶν πιςευόντων εἰς χριςὸν, *unus credentium in Christum*, quanquam fuerat ab Apostolis contemtus, qui facile tali acerbitate Apostolorum irritari poterat et auerti a studio propagandi hominis Christi, omninoque a Christi caussa alienior fieri. Vid. *Noesselt* l. c. p. 15. sq.

44. ὅπȢ ὁ σκώληξ αὐτῶν Ȣ̓ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ Ȣ̓ σβέννυται) *ubi nunquam deerunt uermes rodentes, nec ignis extinguitur*, i. e. in loco supplicii, ubi nunquam deerit materia cruciatuum. Verba translata sunt ex Ies. LXVI, 24. ubi de supplicio, quo contumaces in hac uita afficiendi essent, sermo est, ad describendum more Iudaeorum iudicium uitae alterius. Locus damnatorum comparatur campo, ubi cadauera proiecta a uermibus arroduntur, uel igni cremantur.

49. πᾶς

49. πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται) *Quiuis enim (horum hominum,) perpetuo igni cruciabitur.* Πᾶς hic eſt *quiuis*, et ſubintelligendum eſt αὐτῶν, ut ſignificetur quilibet eorum, de quibus Chriſtus egit hactenus, qui ſcilicet prauis affectibus indulgent. πῦρ h. l. eſt *ignis infernalis*, conſueta imago poenarum aeternarum; et ἁλίζεσθαι πυρὶ eſt igne tanquam ſale conſpergi, i. e. uri, cruciari. καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται) *Sed quaeuis uictima ſale condietur*, uel condiri debet; i. e. quiuis homo Deo conſecratus ſale uerae ſapientiae praeparari debet ad aeternam felicitatem. Nam *ſal* et apud Profanos Scriptores ſaepe ponitur pro *ſapientia*. Hoc autem loco *doctrina Chriſti*, quae ſumma eſt ſapientia ita uocatur. Hebr. ו h. l. ſignificat: *ſed*. πᾶσα θυσία metonymice eſt omnis homo, qui tanquam uictima Deo eſt conſecratus, Rom. XII, 1. Non igitur opus eſt *Ioſ. Scaligeri* aliorumque coniecturis, de quibus uid. Bowyer ad h. l.

50. καλὸν τὸ ἅλας) Salis facta mentione, aliam obiter Chriſti ſententiam Marcus adiicit, ſimilem ei, quae legitur Matth. V, 13. Cf. quae ibi annotauimus. Ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας) Hic iterum, ut u. 49. ſal eſt *ſapientia*, et ἔχειν pro κατέχειν. Retinete ueram ſapientiam, i. e. eam doctrinam, quam uobis ex parte iam tradidi, et porro tradam. καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις) *Et pacem colite inter uos*; ne ſcilicet uis et efficacia doctrinae meae in animis ueſtris impediatur. Videtur Chriſtus his uerbis reſpicere ad ea, quae u. 34. de diſceptatione diſcipulorum, quis in regno Meſſiae maximus eſſet futurus, dicta erant.

CAP.

CAP. X.

1. Διὰ τȣ͂ πέραν τȣ͂ Ἰορδάνȣ) i. e. διὰ τȣ͂ τόπȣ ὄντος πέραν τȣ͂ Ἰορδάνȣ, per illam partem regionis, quae eſt trans Iordanem.

2. ἀπολῦσαι) Scilicet quauis de cauſſa, quod Matthaeus expreſſit, c. XIX, 3. Nam aliqua de cauſſa poſſe non dubitabant.

3. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς) Quum Moſis auctoritatem afferrent pro diuortiorum promiſcuo iure, Chriſtus urget ut ipſa uerba Moſis recitent.

5. τὴν ἐντολὴν ταύτην) ἐντολὴ generali ſignificatu *leges quascunque*, etiam *permittentes*, ſignificat. Praecipue autem hic intelligendum eſt mandatum de ſcribendo diuortii libello, ſi quis pro ſua duritie non poſſet ferre uxorem. Neque enim Moſes praeceptum dedit de repudiandis uxoribus, ſed permiſit diuortia, ita tamen ut uxoribus contra inflexibilem maritorum duritiem proſpiceret.

11. μοιχᾶται ἐπ᾽ αὐτὴν) Aduerſus illam, quam ſcilicet repudiauit, adulter eſt, nimirum altera conſueſcens. Ἐπὶ, *contra*, *aduerſus*.

12. καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται) Ἐὰν ἀπολύσῃ, uerte: *ſi deſeruerit*. Nam *repudiare* maritum uxor non poterat. Non eadem diuortiorum licentia data fuit Iudaicis uxoribus, quae maritis. Matthaeus nouies loquitur de marito repudiante uxorem; de uxore maritum repudiante ne ſemel quidem. Nam potiora fuerunt iura mariti quam uxoris; quod inde etiam mani-

manifestum est, quia uxor iure et consuetudine Iudaeorum erat in potestate mariti. Porro uxor cum iuuene rem habens adulterii erat rea et morte punienda; non item uir rem habens cum innupta; quod etiam apud ueteres Christianos obtinuit. Ex eo autem, quod Christus de uiris uxores repudiantibus dixerat, Marcus infert, multo scelestius esse, si mulier uirum deserat. Quod et Romanis, quibus Marcus scripsit, licitum, et tum temporis, licentia supra modum grassante, familiare erat, postquam Messalina, Claudii Imperatoris uxor, Claudio uiuente, Silio publice nupserat, et ipse Claudius Octauiam Caesaris filiam, L. Silano a patre desponsatam, Neroni collocauerat. *Tacit.* Annal. L. XI, 27. XII, 3. 9.

15. ὃς ἐὰν — εἰς αὐτήν) *Nonnisi pueri indole praeditus particeps fieri potest beneficiorum in regno Messiae expectandorum.* Cf. notata ad Matth. XIX, 14. Non potest sententia Christi esse: neminem salutis compotem fieri nisi qui infans fuerit; hoc enim prorsus abhorret. Sunt quidem qui comminiscantur Christum quasi animum intendisse ad infantes, per baptismum cooptandos in beatorum collegium. Quum uero Christus ne uno uerbo quidem subobscuro talia prodiderit in hoc loco, nefas est eam mentem eius uerbis obtrudi. Accedit, quod plerique qui isto tempore baptizarentur, non infantes fuisse, sed adultos, in quos haec uerba Christi nullo modo quadrant. Recte haec monet S. V. *Noesselt* (l. c. p. 24. sqq.) et commata 14. 15. ita παραφράζει: "Nolite a me arcere infantes; nam qui similem cum iis sortem subierit, ut per meae disciplinae susceptionem plane nouus homo sit factus, is demum obtinebit

regnum

regnum Dei. Profecto dico uobis, nisi quis repuerascat quasi atque hac lege regno Dei potiatur, nunquam illud adipiscetur. Quare, quum infantes (ob animi docilitatem et modestiam) sint quasi exemplar ueraeque uirtutis simulacrum, ad quod omnes meos accommodari oporteat: non ita humilis est et abiecta eorum conditio, ut non aeque debeant in beneficiorum meorum communionem uenire." Cf. Io. III, 3. 1 Petr. II, 2.

17. διδάσκαλε — κληρονομήσω;) Vid. notata ad Matth. XIX, 16. sqq.

19. μὴ ἀποστερήσῃς) Vulgata: *Ne fraudem feceris.* Verbum autem ἀποστερεῖν latius patet apud Graecos; significat enim quempiam re sua priuare, siue eam retineas, siue fraude ac ui eripias, quod probant loca a *Wetstenio* allata. Quod Marcus praecepta mutato ordine refert, mirabitur nemo, qui cogitat, Iudaeos non fuisse solitos in uulgari sermone, aut in libris uuigo editis, Decalogi praecepta ipsis, quibus concepta erant uerbis, recitare, sed uel aliis uerbis, uel ordine mutato. *Iosephus* Antiquitt. III, 5. 4. ita de praeceptis per Mosen datis: ὓς οὐ θεμιτὸν ἐστιν ἡμῖν λέγειν φανερῶς πρὸς λέξιν, τὰς δὲ δυνάμεις αὐτῶν δηλώσομεν. cf. Rom. XIII, 9.

21. ἠγάπησεν αὐτὸν) i. e. *laudauit, probauit eum quaeque dixerat, acquieuit eius responsione.* Nam ἀγαπᾶν apud probos Scriptores est uel *amare, magni facere,* uel *contentum esse aliquo;* quod uel probant a *Reiskio* in Ind. Demosthenico citata exempla. ἆρας τὸν σταυρὸν) Certus ex professione huius disciplinae multa tibi incommoda euentura. Matth. X, 38.

22. συγ-

22. συγνάσας) Quum sequatur λυπούμενος, uidetur συγνάσας ad uultum magis quam ad animum pertinere, quasi dicas: *fronte nubila.* Nam et οὐρανὸς συγνάζων est apud Matth. c. XVI, 3.

24. τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασι) Marcus distinctius quam Matthaeus interpretatur, quinam diuites intelligantur, ii nimirum qui animos diuitum gerunt, et pecuniis freti se super alios efferunt. Haec adiectio necessaria erat, ut constaret uiam salutis omnibus esse apertam, etiam foeminis honestioribus, etiam iis qui erant e domo Caesaris, etiam diuitibus, quales plurimi erant in urbe rerum domina.

26. καὶ τὶς δύναται σωθῆναι) Optimi Auctores utuntur illo καὶ in interrogationibus, quae cum aliqua admiratione fiunt. Exempla ex Philone affert *Loesnerus.*

30. Consulto uidetur Marcus nullam uxorum mentionem fecisse, ne calumniae occasio praeberetur. Nam et Iulianus hoc irrisit, ut monet Theophylactus. μετὰ διωγμῶν) *Post persecutiones, superatis calamitatibus.* Heinsius in Exercitatt. ad h. l. legi malebat μετὰ διωγμὸν ut habent Codd. nonnulli. Sed non opus ea lectione esse ostendit *Raphelius* in notis Polybianis. Eadem uis huius praepositionis μετὰ cum casu secundo, ut denotet *post,* est apud Philonem, in locis a *Loesnero* citatis.

32. ἦν προάγων αὐτοὺς) More intrepidi ducis. καὶ ἐθαμβοῦντο — ἐφοβοῦντο) *Attoniti et timidi sequebantur eum.* Pro se scilicet erant solliciti, et pro uita magistri. καὶ παραλαβὼν) καὶ hebraico more *nam* uidetur denotare; nam ratio redditur, cur discipuli adeo anxii et solliciti fuerint.

34. καὶ ἐμπαίξουσιν αὐτῷ) nempe οἱ ἄνθρωποι, i. e. impersonaliter, *illudetur ei.*

35. λέγοντες) per matrem. Simile loquendi genus Matth. VIII, 5.

37. δὸς ἡμῖν) διδόναι pro *permittere*, *concedere*, non ex Hebraismo repetendum, ſed optimo cuique Auctorum uſurpatum, locis ex Ioſepho et Philone allatis, oſtendunt Krebſius et Loesnerus.

42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν) Qui impotenti dominatione ſibi regnare uidentur, reuera autem affectuum ſuorum ſerui ſunt; uel *regnant*, ut οἱ δοκοῦντες pleonaſtice ſit poſitum. Sic *Ioſephus* Antiq. L. XIX, c. 6. §. 3. δοκοῦντας αὐτῶν ἐξέχειν explicat per τοὺς πρώτους ἄρχοντας. Vel etiam δοκεῖν h. l. eſt *florere, communi quadam laude celebrari*, ut apud Herodian. VI, c. 1. §. 3. οἱ δοκοῦντες τῆς συγκλήτου βουλῆς σεμνότατοι εἶναι, ſunt *ſenatores opinione grauitatis florentiſſimi.* οἱ μεγάλοι αὐτῶν) i. e. τῶν ἀρχόντων.

46. υἱὸς Τιμαίου Βαρτίμαιος) *Timaei* ſatis noti hominis filius, unde uulgo patronymice appellabatur ברטימי, uti Bariona, Barnabas, Bartholomaeus, Barieſus etc. Nomen Timaei Graecum eſt, ex *Platone* notum.

47. ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖός ἐστι) nempe ὁ παράγων, quod is, qui praeteribat, eſſet *Ieſus Nazarenus.*

51. ῥαββονί) Optimi et plurimi Codd. legunt ῥαββουνί. Iod ſeruit formandae uoci, quale in Rabbi, magiſter. Vt enim Rab et Rabbi dicimus, ſic Rabbon et Rabboni, uel Rabbuni. *Rabban* plus eſt quam Rabbi, diciturque de eis duntaxat, qui in ſcientia rerum excellunt, ut *Elias* aſſerit.

CAP.

CAP. XI.

2. Πῶλον, Marcus nulla aſinae mentione facta, πῶλον uocat, quae uox tam aſellum quam equulum ſignificare poteſt; forſan ne Romanorum aures offenderentur. Sic Flauius Ioſephus ſaepe in Antiquitt. pro aſinis ſubſtituit equos, ut patet ex locis a *Wetſtenio* allatis. ἐφ' ὃν ἐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε) *Cui nemo inſederat:* quia animalia, uſibus humanis nondum mancipata, ſacra habebantur Deut. XXI, 3. 1 Sam. VI, 7. *Ouidius* Met. III, 12. Bos tibi, Phoebus ait, ſolis occurret in aruis, nullum paſſa iugum, curuique immunis aratri.

4. ἐπὶ τῦ ἀμφόδυ) Gloſſar. ἄμφοδον, compitum, multae aedes, quas uia publica ambit, uicus et uia. Vulgata: in biuio.

8. ςοιβάδας) *frondes.* Alii legunt ςιβάδας. ςιβὰς autem eſt *torus. Theocrit.* VII, 67. Schol. ςιβὰς δὲ ἐςὶ ςρωμνὴ ἐπὶ τῆς γῆς ἐκ φύλλων. Vide *Wetſten.*

10. εὐλογημένη — τῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβὶδ) *Fauſtum ſit regnum Patriarchae noſtri Dauidis mox rediturum.* Verba ἐν ὀνόματι κυρίε, deſunt in multis Codd. et Verſſ. Tempora Dauidis, regis optimi ut redeant precantur.

13. εἰ ἄρα εὑρήσει τὶ ἐν αὐτῇ) non quidem ficus multas et maturas, nondum enim erat tempus ficuum; ſed aliquot ſaltem praecoces uel immaturas ſiue Groſſos, quibus famem utcunque depellere poſſet. ὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων) *Abreſchius* Lect. Ariſtaenet. Lib. I, p. 16. accipit καιρὸν non de *temporis*, uerum de *loci tractusque* illius *opportunitate,*

nitate, ut adeo ſenſus ſit, *ſoli uitio*, *uel aëris intemperie in iſta arbore ficus repertas non fuiſſe.* Καιρὸν autem dici de locis, exemplis probat Thucydidis, Libanii, aliorumque — Sed notio iſta, etiamſi uera ſit, tamen eſt nimis artificioſa, et repugnat ſententiae loci. Dicitur potius καιρὸς de tempore anni, quo poma maturuerunt, colligique poſſunt. Quum igitur dicit Marcus, *non* fuiſſe καιρὸν σύκων, hoc uult: non fuiſſe tempus legendi ficus, quippe quae tum nondum maturuiſſent. Cur autem Chriſtus, quem hoc non fugiebat, ad arborem acceſſit, ſperans ſe inuenturum in ea ficus; Reſpondeo, ſperare poterat fructus, quia *folia* habebat arbor. Nam *fico ſerius folium naſcitur quam pomum*, ut loquitur Plinius Hiſt. Nat. XVI, 26. Recte Wetſtenius ita illuſtrat locum: Si Chriſtus tempore ficuum maturarum ad arborem accedens nil niſi folia reperiſſet, non tamen id praebuiſſet certum indicium arboris infoecundae et maledictione dignae; potuiſſent enim fructus omnes ex arbore fertili paulo ante decerptae fuiſſe. At quum ante tempus maturarum ficuum *folia* exhiberet arbor, iuſta ſpes erat etiam ficus in ea inueniendi, et iuſta indignatio, quum nil niſi folia reperirentur. Ficus autem repraeſentat nationem Iudaicam, quae debuiſſet ſuo tempore fructus bonos uitae emendatae proferre, infra c. XII, 2. Matth. XXI, 34. 41. et cui ficus arefacta imminens exitium praefigurabat. Vid. notata ad Matth. XXI, 19.

16. διενέγκῃ σκεῦος) profanum ſcilicet, ad quaeſtum faciendum pertinens, cuiusmodi plura habebant iſti, quibus atrium templi eſſe coeperat pro foro.

19. ἐξεπορεύετο ἔξω τῆς πόλεως) Ne quam noctu in urbe inquieta rerum nouarum occasionem praesentia sua daret, aut dare uideretur.

22. πίστιν Θεοῦ) i. e. εἰς Θεόν.

32. εἶχον Ἰωάννην, ὅτι ὄντως προφήτης ἦν) Consueta constructio fuerat, ut apud Matthaeum: ἔχουσι τὸν Ἰωάννην ὡς προφήτην, aut ἐδόκουν περὶ Ἰωάννου, ὅτι ὄντως προφήτης ἦν. Nunc duo loquendi genera miscuit, atque ita constructionem fecit κατὰ τὸ σημαινόμενον.

CAP. XII.

2. Τῷ καιρῷ) τῶν καρπῶν, ut addit Matthaeus, c. XXI, 34.

4. ἐκεφαλαίωσαν) Vsitata uerbi κεφαλαιοῦν significatio est *summam conficere.* Hoc loco noua significatione usurpatur, ut denotet *in capite uulnerare*, ut habet Vulgata. Apud *Aristophanem* γαστρίζειν simili modo formatum est; nam γαστρίζομαι Scholiastes interpretatur: εἰς τὴν γαστέρα τύπτομαι. *Camerarius* suspicatur, indicari *caput et faciem deformatam, uel tonsura, uel alio quopiam pacto,* quum mox fuisse cum ignominia et dedecore dimissus hic seruus perhibeatur. Tunc autem λιθοβολεῖν quod antecedit, esset *lapidibus petere* non necandi, sed *uulnerandi* tantum caussa. Codd. nonnulli, Copt. Vulg. It. illud λιθοβολήσαντες omittunt.

5. καὶ πολλοὺς ἄλλους) Oratio est elliptica. Plena esset talis: καὶ πολλοὺς ἄλλους ἀπέστειλεν, οἷς ἐποίησαν τὸ αὐτὸ, τοὺς μὲν δαίροντες, τοὺς δὲ ἀποκτ. *et multos alios ablegauit ille, quibus fecerunt idem, alios uerberantes seu caedentes, alios interficien-*

ficientes. Vel: πολλοὺς ἄλλους οὕτω διέθηκαν, τοὺς μὲν δέροντες. *Alios multos ita tractarunt*; uel ſimile quippiam.

6. ἀγαπητὸν αὐτοῦ) Notant Graeci, ab Heſiodo aliisque ἀγαπητὸν dici τὸν μονογενῆ. Sic יָחִיד, quod eſt μονογενής, LXX uertunt ἀγαπητὸν, Ier. VI, 26. Gen. XXII, 2. ubi *Aquila* poſuit μονογενῆ.

14. ἐπ' ἀληθείας) *uere*, ut apud Philonem aliosque bonos Auctores occurrit. δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν;) Elliptice: *Auctor es nobis, demus an non?* Neque hoc idem omnino eſt cum ſuperiore quaeſtione: ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ; nam ſi Ieſus *licere* dixiſſet, ſupererat altera quaeſtio, an *expediret?* Vid. ad hanc hiſtoriam notata Matth. XXII, 15. ſq.

24. οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες) Interrogationem ex more Hebraeorum pro uehementi affirmatione poſitam, ex Matthaeo liquet, qui habet πλανᾶσθε.

26. ἐπὶ τῆς (uel τοῦ, ut multi Codd. habent) βάτου, ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεὸς) Per traiectionem conſtruendum eſt hoc membrum ita: ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεὸς ἐπὶ τῆς βάτου.

29. κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστι) *Iehoua eſt Deus noſter, Iehoua unus eſt*; nam κύριος Scriptores N. T. ut LXX. plerumque pro יְהוָה ponunt; ὁ Θεὸς autem h. l. eſt Epitheton nominis Iehoua. Cf. Deut. VI, 4. Bene hoc addidit Marcus, quia ad ſequentis praecepti illuſtrationem pertinet. Ad religionis enim ſubſtantiam non ſatis eſt, *quoduis numen* colere, ſed *certum numen* animo proponendum eſt, cuius nota eſt unitas, qua diſtinguitur a Diis gentium, qui multi eſſe credebantur.

30. ἐξ

30. ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου) Addidit hoc *Marcus* ad interpretationem eius, quod praecessit, ψυχῆς: ut et infra additum est ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως simili sensu.

33. πλεῖον) Prius ac potius, Deoque gratius.

35. πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς) i. e. quomodo consistere potest, quod dicunt legisperiti? Proponebatur haec quaestio Pharisaeis, qui in explicatione prophetarum multum credebant legisperitis. Itaque Christus eos sic alloquitur, quasi quos sciret ab auctoritate legisperitorum non discessuros.

38. τῶν θελόντων) *qui amant.* Respondet enim τὸ θέλειν uerbo חפץ. ἐν στολαῖς) *Stola* etiam uestem uirilem significat, inprimis Orientalium.

40. προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι) *qui in speciem utuntur longis precibus.* Solent enim isti homines honestas caussas praetendere, sub quibus quaestum faciant; ut, quod pro aliis apud Deum indefessis precibus instent, pro qua opera non iniuria muneribus dotentur, quum interim eos, pro quibus precari se dicunt, non doceant ueram pietatis uiam, et munera ultro captent, saepe et maiora, quam pro facultatibus donantis.

41. κατέναντι τοῦ γαζοφυλακίου) *in conspectu gazophylacii.* In tractatu de *Siclis* docetur, XIII fuisse in atrio mulierum nummorum receptacula, quae a forma *tubae* dicebantur, unde ter in anno ante tria festa solennia in thesaurum, Corbonam dictum, deferebatur pecunia; illa autem impendebatur in usus templi, pro sacrificiis, oleo, uino,

 thure,

thure, pro uaſis templi, pro laminis aureis ad ſanctum ſanctorum obducendum et lignis coëmendis.

42. λεπτὰ δύο) τὸ λεπτὸν, ſc. νόμισμα, eſt minutum quoddam nummi genus, *obolus.*

43. προσκαλεσάμενος τὺς μαθητὰς) Seorſim hoc illis dixit, quia nihil attinebat, aut uiduam hoc audire aut ceteros. Sed diſcipulos docere uoluit, quae uera eſſet liberalitatis aeſtimatio apud Deum et Dei imitatores.

44. ἐκ τῦ περισσεύοντος αὐτοῖς) *Ex eo quod ipſis redundat*, i. e. de magna copia aliquantum.

CAP. XIII.

9. Βλέπετε δὲ ὑμεῖς ἑαυτὺς) i. e. προσέχετε ἑαυτοῖς, *uobis attendite.* καὶ εἰς συναγωγὰς) Codices nonnulli et Verſiones cum ſequenti uerbo δαρήσεσθε haec coniungunt, ita ut εἰς pro ἐν accipiatur: *in ſynagogis caedemini.* Sed lectio εἰς συναγωγὰς omnino uera eſſe uidetur. Tradere in Synedria et Synagogas aliquem, eſt, tradere eum examini et poenae. Examinatum enim, ſi a religione ſua aberraſſet, flagellabant. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) *In teſtimonium aduerſus eos.* Veſtra illa fata, inquit Chriſtus, teſtes erunt de impietate, illorum hominum.

10. εἰς πάντα τὰ ἔθνη) *apud omnes gentes.* Sic *Demoſthenes* de corona: καὶ παρελθὼν εἶπον εἰς ὑμᾶς, — *dixi apud uos.*

11. ἀγάγωσιν) Lege ἄγωσιν. Sic enim habent optimi et plurimi Codd. *Origenes* et *Theophylactus.* Et ἄγειν proprie dicitur is, qui alium in ius rapit; unde *agere* et *actio* Latinis.

Latinis. μηδὲ μελετᾶτε) μελετᾶν saepe dicitur de oratione cum cura et studio elaborata, quae opponitur orationi extemporaneae. Glossar. declamatio, μελέτη ῥήτορος. declamat, μελετᾷ ῥήτωρ. Apud Profanos frequenter. Ad sequentia Cf. Matth. X, 19.

14. τὸ ῥηθὲν ὑπὸ δανιὴλ τοῦ προφήτου) Videntur haec uerba ex Matthaeo adiecta; desunt enim in optimis Codd. et Verss. nonnullis.

19. ἔσονται γὰρ αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι θλίψις) Tempori adscribitur res, quae in tempore fit. Vna et continua erit calamitas.

32. οὐδὲ ὁ υἱὸς) Christus hoc loco de se tanquam filio hominis loquitur, qui omnino multa ignorauit; uidetur enim natura diuina cum homine Iesu coniuncta, menti humanae Christi affectus suos, et notitias etiam necessarias impressisse pro temporum ratione. Sic anno duodecimo aetatis et postea Iesus profecit sapientia; accessionesque, quas tum fecit, non habuerat prius. Id si illo non erat indignum, ne docenti quidem ei necesse erat, unum iam tum scire arcanum Patri reseruatum. Sicut igitur post resurrectionem accepit omnem potestatem, ita et omnem scientiam.

34. ὡς ἄνθρωπος ἀπόδημος) *Sicut quispiam peregre abiens*, (ita est scilicet filius hominis.) τὴν ἐξουσίαν) Procurationem rerum domesticarum patet intelligi. τὸ ἔργον αὐτοῦ) *ministerium.* Parabola huic similis extat Matth. XXIV, 45. seqq. Vide ibi notata.

CAP. XIV.

3. Ἀλάβαστρον — πολυτελοῦς) *Alabastrum plenum unguento, et quidem confecto de spicis Nardi, admodum pretioso.* Alabastrum est lapis, albedine et leuitate insignis, ex quo uasa excauabant ueteres, et qui adeo tractabilis nascitur, ut uasis ex illo cauatis ipsa uitrea mentiri uideantur. Vid. *Plin.* H. N. L. XIII, c. 2. Folium nardi, ut principale in unguentis describit Plinius H. N. Lib. XII, 12. Πιστικὸν dici, quod fidei est exploratae, uerum est, sed nonnisi apud scriptores aliquot seculis seriores. Videtur igitur πιστικὴ esse uox latina *spicatae*. *Marcus* enim Romae scribens usus est uerbis apud Romanos usitatissimis: spicatum autem deflexit in πιστικὸν, ut Sextarium in ξέστην, ut intelligatur eximium et admodum pretiosum unguentum confectum de spicis Nardi. συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον) Intelligenda est haec confractio tantum de lagenulae unguentariae superiore parte, siue orificio obsignato, quod signum erat unguenti genuini, et foris aduecti. Apud ueteres autem in conuiuiis hominum lautiorum usus erat unguentorum: unde permagnus honos habitus seruatori nostro, confracta et effusa in caput eius lagenula unguenti. Eadem haec historia legitur Matth. XXVI, 6. seqq.

8. προέλαβε μυρίσαι μου τὸ σῶμα) προλαβεῖν explicatur aliquid *praecipere*, *anticipare*. Apud Philonem tamen saepius eam uim obtinet, ut sit *mente cogitationeque quicquam occupare*, adeoque idem quod *praeuidere*, *praesentire*. Hinc sensus loci nostri flueret hic: *Intellexit, praesensit, me sepulturae caussa ungendum esse.* Posset etiam sensus esse: *Primum omnium sepulturae caussa meum corpus*

corpus unxit, quemadmodum eſt apud Xenophontem Cyrop. I, 2. οἱ νόμοι προλαβόντες ἐπιμελοῦσιν etc. *leges primum omnium curant.*

13. ἄνθρωπος) opponitur τῷ οἰκοδεσπότῃ commate ſequenti. Intelligitur ergo ſeruus, ut Luc. XII, 36. Miniſterium autem portandi aquam erat ſeruilium uiliſſimum, Deut. XXIX, 10. Ioſ. IX, 21. nec minus abiectum apud Romanos, apud quos ſerui militum uocantur lixae, quod eorum munus erat, militibus aquam ad caſtra uel tentoria ferre, a lixa aqua, ut docet *Nonnius.* κεράμιον) ſc. ἀγγεῖον uel σκεῦος. Dubitandum non eſt, quin multi Hieroſolymitae coenacula inſtructa ſub id tempus aduenis elocauerint, cuius ſortis et Dominus huius ſerui fuiſſe uidetur.

14. κατάλυμα) eſt locus in hoſpitio. Eſt enim καταλῦσαι inter alia *diuerti*, et κατάλυσις atque κατάλυμα habitationis uſus et locus. Liceat fortaſſe *conclauis* quoque nomine latino Graecum interpretari.

15. ἀνώγεον) Optimi Codd. legunt ἀνάγαιον, *coenaculum.* Eſt autem ἀνώγεον ex uſu linguae graecae conclaue in ſuperiori parte aedium. In ea parte ſemper fuerunt coenacula, Romanorum more. ἐστρωμένον) *ſtratum*, nempe tricliniis. Dicitur non modo triclinium uel menſa ſterni, ſed etiam coenaculum, quum ibi apparantur multae menſae. Ergo *coenaculum ſtratum* eſt, in quo multae apparatae ſunt menſae. Quare ſtatim explicationis cauſſa additur ἕτοιμον, quod deeſt in permultis codd. Vide *Scalig.* de Emendat. Temporum p. 571. ubi multa notata ſunt ad hanc omnem hiſtoriam.

19. εἷς

19. εἷς καθ' εἷς) pro quo Graeci dicunt: οἱ καθ' ἕνα, unus poſt alium, i. e. ſinguli. Alii ſcribunt καθεῖς.

22. φάγετε) ex Matthaeo hic additum uidetur; deeſt enim in permultis Codd. et Verſſ.

30. πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με) *Matthaeus*, quem Lucas et Ioannes ſequuntur: πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με. Sed non magis pugnant Euangeliſtae, quam Horatius et Iuuenalis, quorum alter dixit, *ſub cantum galli*; alter, *ad cantum galli ſecundi*. Marcus nimirum magis definite partim, partim more ueterum locutus eſt, qui quum noctem terminant, plerumque τῆς δευτέρας ἀλεκτοροφωνίας meminerunt. Notus eſt Graecorum uerſiculus, quum matutinum tempus innuunt: πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλέκτωρ ἐφθέγγετο.

36. Ἀββᾶ ὁ πατὴρ) Videntur Hebraei Graeco utentes ſermone, retinuiſſe uocem אבא, quia naturaliter pueri eo ſono patres ſalutant. Duplex autem uox poſita eſt affectus teſtandi cauſſa. οὐ τί ἐγὼ, ἀλλὰ τί σὺ) Supple: *fiat*. Hebraei, Graece ſcribentes, particulas ὃ et τὶ promiſcue uſurpant.

41. ἀπέχει) Imperſonale, *ſufficit*, *ſatis eſt*, quo ſignificatu utitur Anacreon Oda XXI.

44. σύσσημον) *Heſychius*: σύσσημον, σημεῖον. *Suidas*: σύνθημα, σύσσημον. *Etymol.* σύνθημα, συνθήκη, σύσσημον, λόγος ἐν πολέμῳ ἐπὶ γνωρισμῷ τῶν οἰκείων διδόμενος. *Commune ſignum*, omne ſignum, de quo inter duos pluresue conuenit; quo ſenſu haec uox etiam apud Profanos paſſim obuia eſt, ut oſtendunt loca apud *Wetſtenium*. κρατήσατε αὐτὸν, καὶ

ἀπαγά-

ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς) *Tenete, et ducite bene et accurate seruatum.* Polyb. III, 110. ὅτε μάχεσθαι κρίνων, ὅτε μὴν ἀπάγειν ἀσφαλῶς τὴν ϛρατιὰν ἔτι δυνάμενος.

49. ἀλλ' ἵνα) Supple τῦτο ὅλον γέγονε, ex Matthaeo.

51. καὶ εἷς τις νεανίσκος) Non de apoſtolorum grege, nec e domo, in quam Chriſtus in urbe diuerterat, ſed ex uilla aliqua, horto proxima, ſtrepitu militum excitatus, et ſubito accurrens, ut conſpiceret, quid ageretur. σινδόνα) σινδὼν h. l. eſt *ueſtis dormitoria*, leue et tenue ueſtimentum linteum. *Thucydides* Lib. II, c. 49. τάτε ἐντὸς ὅτως ἐκαίετο, ὥϛε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μετ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι: *Tantus fuit ardor interius, ut nemo* (laborantium ſc. morbo illo) *ſuſtineret uel admodum etiam tenuia ueſtimenta et lintea leuia impoſita, neque aliud quicquam, niſi ut nudus eſſet.* ἐπὶ γυμνῦ) ſcilicet σώματος. οἱ νεανίσκοι) i. e. milites Romani, quos et Graeci νεανίσκυς, et Latini ſaepe iuuentutem uocant. Hi autem adoleſcentem iſtum apprehenderunt, unum diſcipulorum Ieſu eſſe exiſtimantes: quod ideo addidit Marcus, ut ſignificaret conſtitutum fuiſſe, non Ieſum tantum prehendere, ſed et diſcipulos eius.

52. καταλιπὼν τὴν σινδόνα) qua tenebatur.

54. πρὸς τὸ φῶς) i. e. πρὸς τὸ πῦρ, *ad ignem*; nam φωτὸς appellatione etiam ignem intelligi teſtatur Heſychius, a conſequenti uidelicet.

56. ἴσαι) *paria, congruentia, conuenientia, ſibi conſtantia.*

68. εἰς

68. εἰς τὸ προαύλιον) αὐλὴ eſt *atrium:* προαύλιον *ueſtibulum.* *Suidas:* προαύλιον, τὸ ἔμπροσθεν τῆς αὐλῆς.

69. ἡ παιδίσκη) i. e. παιδίσκη τις, quomodo interdum ſumi articulum, certum eſt. Nam aliam fuiſſe a priore, *Matthaeus* docet. πάλιν, ἤρξατο) Coniungendum potius eſt πάλιν cum ἤρξατο, ut ſignificetur idem dictum Petro iterum, quomodo et Latinus interpres uidetur accepiſſe. ἐξ αὐτῶν ἐςι) *Eſt illius ſectae.*

72. καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε) *Theophylactus* interpretatur, ἐπικαλυψάμενος τὴν κεφαλὴν, refertque ad morem ueterum in luctu caput operiendi, quam interpretationem multi ſequuntur. *Krebſius* in uoce ἐπιβαλὼν ſubintelligit: τὸ ἱμάτιον, ut idem ſit ſenſus, *capite,* ſc. *operto, ueſte capiti iniecta.* *Vulgatus,* quocum conſentit *Syrus* interpres: *coepit flere.* Alii uertunt: *quum ſe foras proripuiſſet, uel eieciſſet.* *Wetſtenius* uerſionem *Anglicam* ſecutus, uocem ἐπιβαλὼν interpretatur: *Quum animaduertiſſet, rem altius reputaſſet.* Integre dicitur ἐπιβάλλειν τὸν νοῦν, τὴν διάνοιαν, ſaepe autem ſimpliciter ἐπιβάλλειν, quam huius uocis ſignificationem multis Profanorum teſtimoniis confirmat Vir diligentiſſimus.

CAP. XV.

1. Συμβούλιον ποιήσαντες) i. e. λαβόντες ut *Matthaeus* loquitur. Nam ſic et Marcus ſupra c. III, 6. locutus eſt, συμβούλιον ἐποίουν, i. e. *conſilium ceperunt,* non, ut quidam interpretantur, *ſenatum conuocarunt.* καὶ ὅλον τὸ συνέδριον) *Pleno ſenatu,* cuius partes iam nominauit.

8. ἤρξα-

8. ἤρξατο αἰτεῖσθαι, καθὼς ἀεὶ ἐποίει αὐτοῖς) Elliptice; ut id faceret, quod semper facere ipsis consueuisset.

11. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον) Elliptice; Summi Sacerdotes commouerunt, instigarunt multitudinem, ut peterent Barrabam potius sibi liberari, uel absolui.

15. τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι) *Satisfacere*, quod hic, ut apud Latinos scriptores saepe est, efficere, ne alter habeat, quod queratur. Ex Romano sermone genus hoc loquendi in Graeciam traductum, ut multa alia, postquam Graecia et Oriens facta erant Romani iuris. φραγελλώσας) Quum iam ante flagris eum cecidisset, ut Matthaeus refert.

16. ἔσω τῆς αὐλῆς) Statim explicat Marcus, addens: ὅ ἐστιν πραιτώριον. Etiam latinae historiae scriptores praetorium solent uertere αὐλήν. A tribunali ergo quod erat in stadio, in partem domus interiorem abductus est Iesus.

21. Ἀλεξάνδρου καὶ Ῥούφου) Videntur isti, quum haec scriberet Marcus, uixisse Romae, ubi ista scribebat, ita ut merito prouocet ad eorum testimonium, qui rem a patre acceptam narrare aliis poterant. Nam inter eos, qui Romae Christum profitebantur, *Rufum* salutat Paulus, Rom. XVI, 13.

23. ἐσμυρνισμένον οἶνον) Vid. Matth. XXVII, 34. *PLINIUS*: (*Hist. Nat.* XIV. 15.) *lautissima apud priscos uina erant, myrrhae odore condita.* More erat receptum apud Iudaeos, ut damnatis per Synedrium ad mortem, antequam supplicio afficerentur, uinum bonum et generosum bibendum praeberent, eo consilio, ut mens moribundi alienaretur. *Tanchuma*, p. 126. *Sanhedrin*, fol. 43. Christo autem milites

milites per ludibrium porrigebant poſcam aceſcentem et amaram, ut patet ex Matthaei l. c.

25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη — αὐτὸν) Senſus eſſe uidetur: *Factum eſt autem hoc* (quod de diuiſione ueſtimentorum dictum erat comm. 24.) *quum eſſet hora tertia poſtquam crucifixiſſent eum*, uel poſt crucifixionem. Mirum, quantum ſe torſerint interpretes, ut conciliarent hunc locum cum loco *Ioannis* c. XIX, 14. qui tempus ſupplicii fuiſſe *horam ſextam* ſcribit. *Hieronymus* in Pſal. LXXVII. *Error*, inquit, *ſcriptorum fuit*, et in Marco hora VI. fuit ſcriptum, ſed multi epiſemum Graecum ϛ putauerunt eſſe Γ. ὥρα ἕκτη Verſio *Syra* poſterior in margine, *Aethiop*. Sed hac lectionis mutatione non opus eſt. Optime mihi hunc nodum ſoluere uidetur *Heinſius* in Exercitatt. SS. ad h. l. qui putat, καὶ ἐςαύρωσαν αὐτὸν, hic idem eſſe quod ἐξ οὗ ἐςαύρωσαν, *ex quo*, ſiue *poſtquam crucifixiſſent eum*, i. e. καὶ ἦν ὥρα τρίτη τῆς ςαυρώσεως αὐτοῦ, *et erat hora tertia ex quo crucifigi coepit*; ſiue, et tertia iam agebatur hora, ex quo actus fuerat in crucem. Eſt igitur Hebraismus, in quo copula non diuidit, ſed iungit. Hanc explicationem ipſe contextus requirit. Quae enim in Marco locum hunc praecedunt, eueniſſe *poſt* affixum cruci Dominum, etiam ceteri Euangeliſtae tradunt; neque tempus addunt. Neque pugnant, quae ſequuntur; quum praeſertim, quae adduntur de inſcriptione, de latronibus, de ueſtium diuiſione, aliisque quae paſſionis tempore euenerunt, non ad certum adſtringantur tempus, nec ubique ordo idem in narrandis ſingulis ſeruetur. Alii apud *Ioannem* reponendum eſſe ὡσεὶ τρίτης, exiſtimant. Vid. annotanda ad Io. XIX, 14.

29. οὐὰ)

29. οὐὰ) Latina interiectio *uah*, quae habet detestandi et insultandi significationem.

34. ἐλωΐ) Est uox Syriaca *Elohi*, a nomine *Eloho*, cum suffixo. *Deus mi*.

37. ἀφεὶς φωνὴν μεγάλην) Forma dicendi ἀφιέναι τὴν φωνὴν ab Alexandrinis interpretibus adhibetur ad exprimendam hebraicam phrasin נתן את־קלו Gen. XLV, 2. ubi denotat *clamare*, quemadmodum etiam hoc loco accipiendum esse suadent uerba u. 39. ubi est κράξας, collato Matth. XXVII, 50. Loca *Philonis*, qui eodem sensu usurpat hanc phrasin, Loesnerus exhibet. Neque tamen, ut idem bene monet, semper de clamore dicitur. Hinc λεπτὴν ἀφιέναι φωνὴν est apud Charitonem. *Cicero* in Flacc. c. III. *uox de quaestura nulla missa*.

39. ὁ κεντυρίων) Latinum *centurionis* nomen, quod interpretantur Graeci ἑκατόνταρχον καὶ ταξιάρχην. ὅτι οὕτως κράξας ἐξέπνευσεν) Interpunge: ὅτι οὕτως, κράξας ἐξέπν. *quod ita*, (ut nempe comm. 33. 34. 37. dictum) *clamore edito exspirasset*. Non clamor (hic enim non plane insolitus moribundis) sed miracula, de quibus paullo ante dictum, in admirationem rapuerunt centurionem.

43. εὐσχήμων βουλευτὴς) *Honoratus senator*, uel senatus urbani, uel synedrii membrum. ὃς καὶ — τοῦ θεοῦ) *Qui et ipse amplexus erat de regno Messiae promissiones*, i. e. discipulus Iesu erat. Προσδέχεσθαι, *accipere, amplecti*. τολμήσας — Ἰησοῦ) Sumsisse animum dicitur Iosephus, quia imminere ipsi pericula uidebantur a Primatibus Iudaeorum, et quia more Romanorum, illorum, qui mortis passi erant supplicium, corpora non aliter sepeliebantur, quam si fuisset petitum et permissum.

44. ἐθαύμασεν εἰ ἤδη τέθνηκε) Errant, qui εἰ per *ſi* reddunt, Pilatumque dubitaſſe, an Chriſtus iam mortuus ſit, putant: falſum hoc eſſe, ex ipſius Pilati interrogatione, εἰ πάλαι ἀπέθανε, apparet. Omnino igitur haec particula pro ὅτι, *quod*, ſumenda eſt. Nam τὸ εἰ, poſt uerba inprimis admirandi, ſaepiſſime non dubiam, ſed certiſſimam admirationis cauſſam denotat. Quod teſtantur loca a Krebſio et Loesnero ex Ioſepho et Philone allata. Miratus eſt autem Pilatus, Ieſum iam eſſe mortuum, quia plerique diutius in crucibus uixerunt, ut ingenitum ſcilicet robur erat, aut uires. Vide notata ad Matth. XXVII, 36.

46. καὶ καθελὼν αὐτὸν) Verbum καθαιρεῖν, obſeruante *Loesnero* ſic dicitur apud Philonem in Flaccum, quem dicit iuſſiſſe ὁ τετελευτηκότας ἐπὶ ςαυρῶν καθαιρεῖν, *non mortuos de crucibus refigere*, ibidemque commemorat καθαιρεθέντας, *refixos*. Eſt enim illud proprium hac de re uerbum, ut apud Latinos *refigere*. Iuſtinus IX, 7. *Refixum* corpus interfectoris cremauit.

47. ἡ Ἰωσῆ) Mater ſubauditur, ut et capite ſequente Μαρία ἡ τῶ Ἰακώβȣ. Sic *Hectoris Andromache*; ſupple uxor. *Ioſe* pro *Ioſeph* ex pronuntiatione illorum temporum.

CAP. XVI.

1. Μαρία — ἀλείψωσιν αὐτὸν) Haec uerba in parentheſi legenda, et in plusquamperfecto exponenda ſunt, ut patet ex clarioribus uerbis Lucae c. XXIII, 56. Quum nempe Marcus narrare uellet, mulieres primo mane ad ſepulcrum proceſſiſſe, in mentem uenit ei, ſe nondum conſilii, perungendi Ieſu corpus feciſſe mentionem. Itaque hic illam περίςασιν narrationi ſuae inſerit. Vid. *Leſſ* in h. l. Ceterum

rum Marcus in tradenda historia resurrectionis Christi Lucam potissimum secutus esse uidetur, Matthaeo tamen non penitus neglecto.

2. ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου) *Ioannes* c. XX, 1. πρωῒ, σκοτίας ἔτι οὔσης. Sed haec sibi non repugnant. Aoristus enim non semper exactum tempus significat, sed adhuc durans. Deinde nihil usitatius et Graecis et Hebraeis, quam ut futurum praesenti designetur, quamadmodum quum ἔρχεσθαι dicitur, qui uenturus est; *nasci*, qui nasciturus. Quum igitur λίαν πρωῒ antecedat, clarum est, proximum diluculo significari tempus, quod *ante lucem* Romani dixerunt, aut, *ubi nox abiit, nec tamen orta dies*. Verte igitur: *Orituro sole.*

3. τίς — μνημείου) Tantum de saxo remouendo sollicitae erant. Nam custodiam appositam ignorabant, quia id factum erat, dum ipsae sabbato distinerentur.

4. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα) Ellipsis. Supplendum enim est: quod commode ipsis euenit, quia magnum fuit saxum.

5. εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ μνημεῖον) *Quum intrassent* in monumentum. Vide notata ad Matthaeum, c. XXVIII, 5. sqq.

7. καὶ τῷ Πέτρῳ) Petrus peculiariter hic nominatur, ut dux apostolici coetus, ac proinde exemplum insigne infirmitatis humanae, seriae poenitentiae et instauratae fidei omnibus propositum. Apparet hic illud de quo Christus dixit, angelorum gaudium super conuerso peccatore.

8. οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον) Obuio scilicet; idque prae metu Iudaeorum. At Apostolis renunciarunt, non repertum sibi corpus, sed angelos uisos, qui Iesum dicerent uiuere, Luc. XXIV, 22.

9. Quae inde ab hoc commate nono sequuntur, desunt in nonnullis, imo in plurimis, in accuratioribus, in omnibus paene Graeciae libris; extant uero in aliis raris,

accuratis, multis, quod teſtantur Scholia Codicum haud paucorum, et Patrum quorundam. Verſio *Armena*, quae ſequuntur a commate nono, ſeorſim exhibet. Agnoſcunt uero periocham hanc Verſiones, Clemens Rom. et Alex. Iuſtinus M. Dionyſ. Al. Hippol. Iren. aliique multi. Fieri potuit, (quae *Bengelii* eſt coniectura,) ut librarius, ſcripto uerſu 8. reliquam partem ſcribere differret, et id exemplar, caſu non perfectum, alii quaſi perfectum ſequerentur, praeſertim quum ea pars cum reliqua hiſtoria euangelica minus congruere uideretur. In nonnullis codicibus poſt ἐφοβοῦντο γὰρ addebatur: πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. μετὰ δὲ ταῦτα, καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας. ἀναστὰς) *Poſt reſurrectionem*, quum *reſurrexiſſet*. Haec nec Matthaeus nec Lucas habet. Marcus facillime in domo matris ſuae, ubi diſcipuli Domini conuentus peragere ſolebant, Act. XII, 12. ab hominibus fide digniſſimis reſciſcere potuit.

10. τοῖς μετ' αὐτοῦ γενομένοις) Non ſolis undecim illis diſcipulis ſelectis, ſed aliis quoque qui ipſum affectati fuerant. πενθοῦσι καὶ κλαίουσι) *Lugentibus* amiſſum magiſtrum.

11. ἠπίστησαν) rei magnitudine fidem ſuperante.

12. δυσὶν ἐξ αὐτῶν) τῶν μετὰ Ἰησοῦ γενομένων, ut ſupra dixit commate 10. Hiſtoriam fuſius narrat Lucas c. XXIV, 13. ſqq. ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ) *Habitu alio*, quam quo uti ſolebat, ideo πάροικον putabant. Ita optime conciliatur Marcus cum Luca. Simile contigit circa *Magdalenam*; nam habitum habebat olitoris, uultum *ſuum* quidem, ſed qui non repente agnoſceretur. πορευομένοις εἰς ἀγρὸν.) *in pagum*, qui erat extra urbem, Emmauntem ſcilicet.

13. οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν.) Plerique eorum ſcilicet. Nec obſtat, quod Lucas ait, antequam illi duo aduentarent, Simoni uiſum fuiſſe Ieſum, idque ipſum coetui renunciatum. Nam et hoc in animum non ſatis admittebant. Imo et quum iam Ieſus ſuperueniſſet, adiicit Lucas: ἔτι ἀπιστούντων αὐτῶν. Haec omnia eo pertinent, ut nos firmius credamus his, qui ipſi tam tarde crediderunt.

14. ὕστερον) non eſt *poſtremo,* ſed *deinde;* poſtquam nempe mulieribus et diſcipulis Emaunticis ſe conſpiciendum praebuiſſet. *Thucydides* μικρὸν ὕστερον, dicit, *Plutarchus* ὀλίγον ὕστερον, quum quid uolunt paullo, poſt factum ſignificare. τὴν ἀπιστίαν — σκληροκαρδίαν) *Incredulitatem eorum et pertinaciam;* quod nempe tot teſtibus reſurrectionis Chriſti non crediдiſſent, comm. 10 — 13.

15. καὶ εἶπεν αὐτοῖς) καὶ, *etiam;* non ſtatim poſt ea, quae u. 14. dicta ſunt, ſed paullo ante adſcenſum in coelum. Toto XL. dierum tempore tum in Iudaea, tum in Galilaea his de rebus cum iis eſt collocutus. πάσῃ τῇ κτίσει) *Omnibus hominibus;* nam apud Hebraeos בריה κατ᾽ ἐξοχὴν notat hominem, et כל בריה *omnes homines.* Non tantum Iudaeis, ſed et Samaritanis et Ethnicis.

16. ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς) Qui crediderit, ſcilicet non contemplatiue tantum, ſed actu quoque fidem iſtam profeſſus fuerit. Rom. X, 10. Haec autem profeſſio a ſolemni eius exordio baptismus uocari ſolet. σωθήσεται) *Salutem conſequetur;* liberabitur a poenis peccatorum, a ſuperſtitione, erroribus et uitiis; ad cognitionem ueritatis, ad ueram uirtutem et felicitatem aeternam perueniet. Haec enim omnia uox iſta complecti ſolet. ὁ δὲ ἀπιστήσας) Non autem credens Euangelio, quod ipſi annunciatum

ciatum fuerit. κατακριθήσεται) Retentione peccatorum, et fuppliciis aeternis maioribus, quam quae eos manent, quibus haec doctrina non eft annunciata.

17. σημεῖα — παρακολουθήσει) *Haec autem miracula comitabuntur credentes*, i. e. his autem miraculis difcipuli mei confirmabunt ueritatem religionis meae. Quare uerba: ἐν τῷ ὀνόματί μου, rectius referuntur ad praecedentia, et uertuntur: *propter me*, i. e. confirmandae et propagandae religionis meae cauffa. Non eft hic fermo de iis omnibus qui Euangelio effent crediturí, fed de iis tantum, quorum commate 14. facta erat mentio, qui antea τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν ἐγηγερμένον οὐκ ἐπίστευσαν, nunc autem non tantum de certitudine refurrectionis Chrifti erant conuicti, fed etiam munus annunciandi Euangelium fufcipiebant, quod comma 20. nos docet. Pofito autem, de omnibus credentibus effe fermonem, promiffio haec reftringenda erit ad prima tantum tempora, in quibus ecclefia erat plantanda. Tunc enim omnino miraculis ad iacienda tanti aedificii fundamenta opus fuit. Poftea uero, quum Scripta Apoftolorum in omnium Chriftianorum effent manibus, et ubique terrarum reperirentur Chrifti cultores, ceffarunt dona miraculofa, tefte hiftoria ecclefiaftica. γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς) καιναῖς, i. e. ἑτέραις, *peregrinis*, quas nunquam antea didicerant.

18. ὄφεις ἀροῦσι) Nimirum καὶ οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψουσι, quod ex fequentibus huc quoque referendum eft. Ἀροῦσι autem eft: *manibus tollent*. Vt Paulus fecit Act. XXVIII, 5. θανάσιμον) In hac uoce, quae adiectiua eft, deeft uox φάρμακον, fic enim Graeci et elliptice et plene fcribunt. Exempla dabit *Kypke*.

19. μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς) Quum omnia haec praecepta et promiffa illis dediffet, nec quicquam iam reftaret, nifi

nisi ut eadem per spiritum sanctum obsignarentur. ἀνελήφθη εἰς τὸν ὀυρανὸν.) Nonnulli existimarunt, uerbo hoc indicari agnitionem Christi, a patre antea uelut abdicati. *MAIMONIDES* More Neuoch. *Quando deprimitur uel diminuitur dignitas alicuius, dicitur* ירד *descendit: quando uero extollitur et exaltatur, dicitur* עלה *ascendit* Deut. XXVIII, 43. *CICERO* de Nat. Deor. II, 24. *Suscepit autem uita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes uiros in coelum fama ac uoluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam — hinc etiam Romulus — quorum quum remanerent animi atque aeternitate fruerentur, rite Dii sunt habiti, quum et optimi essent et aeterni.* Sed recte *TERTULLIANUS* Apolog. de Christo: *Circumfusa nube*, inquit, *in coelum est ereptus, multo melius, quam apud uos asseuerare de Romulis Proculi solent.* Nam proprie intelligenda esse, quae referuntur de receptione Christi in coelum, patet ex Actor. I, 9, 10. 11. καὶ ἐκάθισεν — θεοῦ) *Et cum Deo imperat.* Nam dextrum alicui sedere, est, cum eo regnare. Sic, quem Dauides (Ps. CX, 1.) Deo *dextrum sedere* dicit, donec omnium hostium uictor fuerit, hunc Paulus (1 Cor. XV, 25.) Dicit *regnare* donec omnium hostium uictor fuerit. Cf. Hebr. I, 13. 14.

20. ἐξελθόντες) Ex Hierosolymis. Cf. Act. I, 4. ἐκήρυξαν) doctrinam Christi, uitam eius, mortem, resurrectionem, et in coelum ascensionem. καὶ τὸν λόγον — σημείων) *Et doctrinam confirmantes per signa subsequentia,* scilicet doctrinam, quae istis tanquam sigillis obsignabatur.

ERRA-

ERRATA.

pag. 36. lin. 18. pro Spiritum, lege Spirituum.
— 61. — 3. 4. poſt *morborum* ponatur punctum.
— — — 12. poſt πόλιν ponatur punctum.
— 68. — 3. pro inflamant lege inflammant.
— 71. — antepenult. pro ἀδασκειν lege διδάσκειν.
— ibid. — ult. pro uita lege doctrina.
— 71. — penult. dele punctum poſt Daleth.
— 73. — 22. poſt efficit dele punctum.
— 75. — 19. pro cirticis lege criticis.
— ibid. — 24. poſt δεῖ, adde: uti.
— 77. — 25. pro Periphraſticae lege Periphraſtice.
— 92. — 23. pro obſeruando lege obſerando.
— ibid. — 27. pro κλϰισητε lege κλεισητε.
— 110. — 16. pro ποεῖτε lege ποιεῖτε.
— 113. — 10. dele punctum poſt πᾶς.
— 137. — 26. pro moueri lege moneri.
— 155. — 20. pro Nam lege Non.
— 158. — ult. pro crebebatur lege credebatur.
— 162. — 6. poſt γυναικὸς, ponatur punctum.
— 173. — 22. pro ὑ lege ὁ.
— ead. — ead. poſt ι pone punctum.
— 174. — 17. pro ανδρωπον lege ἄνθρωπον.
— 175. — 2. pro ἀυτον lege αὐτὸν.
— 181. — 16. pro propagunda lege propaganda.
— 204. — 3. poſt dicuntur pro (.) ponatur (:)
— 216. — 10. deleatur comma poſt ὀψίας, et ponatur poſt Hebraeis.
— 236. — 1. pro poeſt lege poteſt.
— 251. — 7. pro παιδίεν lege παιδίον.
— 258. — 25. pro fratre lege frater.
— 264. — 12. pro ἐτὶ lege ἐπὶ.
— 275. — 1. poſt Apoſtoli ponatur ſemicolon, et deleatur comma poſt *murmurantes*.
— — — 4. poſt laborauit pro puncto ponatur comma.
— 278. — 11. pro At lege Et.
— 331. — 11. — exercebuntur lege exercebantur.
— 340. — 10. poſt pigro dele in.
— 352. — 4. pro fruor lege fruar.
— 356. — 21. — exigit — exegit.
— 368. — 17. — triſtitia — triſtia.
— 375. — 11. — quia — qui
— 405. — 19. — miſerat — miſereat.